GSS 10.E.3

10.3.80

Digitized by Google

JOH. ALPHONSI TURRETTINI
in Eccleſia & Academia Genevenſi PASTORIS,
S. Theologiæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ
PROFESSORIS,

COGITATIONES ET DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

Quibus Principia Religionis, cùm Naturalis, tum Revelatæ, adſtruuntur & defenduntur; Animíque ad Veritatis, Pietatis, & Pacis ſtudium excitantur.

VOLUMEN ALTERUM.

GENEVÆ,
Typis BARRILLOT & FILII.

M. DCC. XXXVII.

Digitized by Google

INDEX

Voluminis Secundi.

DE VERITATE RELIGIONIS JUDAICÆ ET CHRISTIANÆ.

Diſſertatio I. Adversùs eos qui ſtatuunt, quamcunque Religionem profitearis perinde eſſe. Pag. 3
Diſſertatio II. de Revelationis neceſſitate. 22
Diſſertatio III. de Revelationis examine & characteribus. 52
Diſſertatio IV. de Veritate Religionis Judaïcæ. 68
Diſſertatio V. de Veritate Religionis Chriſtianæ; quæ eſt de præſtantia Doctrinæ. 111
Diſſertatio VI. de Veritate Religionis Chriſtianæ; quæ eſt de charactere Magiſtri, & primorum Præconum. 152
Diſſertatio VII. de Veritate Religionis Chriſtianæ; quæ eſt de Miraculis. 171
Diſſertatio VIII. de Veritate Religionis Chriſtianæ; quæ eſt de Prophetiis. 207
Diſſertatio IX. de Veritate Religionis Chriſtianæ; quæ eſt de Evangelii propagatione. 238
Diſſertatio X. de Veritate Religionis Chriſtianæ; quæ eſt de efficacia Chriſtianiſmi. 253
Diſſertatio XI. quæ eſt Apologetica I. adversùs Incredulorum Difficultates; de Revelatione in genere, & Judaïca in ſpecie. 275
Diſſertatio XII. quæ eſt Apologetica II. adversùs Incredulorum Difficultates; de Myſteriis Chriſtianiſmi. 302
Diſſertatio XIII. quæ eſt Apologetica III. adversùs Incredulo-

dulorum Difficultates; de Præceptis Christianismi. Pag. 318
Dissertatio XIV. quæ est Apologetica IV. adversùs Incredulorum Difficultates; de Miraculis. 334
Dissertatio XV. quæ est Apologetica V. adversùs Incredulorum Difficultates; de Miraculis. 352
Dissertatio XVI. quæ est Apologetica VI. adversùs Incredulorum Difficultates; de Miraculis & Prophetiis. 376

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

- - - - - de Christo audiendo. 392
- - - - - de Articulis Fundamentalibus. 427
- - - - - de Pyrrhonismo Pontificio. 479
- - - - - de Commodis temporalibus Pietatis. 513

DE

DE VERITATE RELIGIONIS JUDAICÆ ET CHRISTIANÆ.

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

adversùs eos qui ſtatuunt

QUAMCUMQUE

RELIGIONEM

PROFITEARIS PERINDE ESSE.

Habita eſt diſputatio, reſpondente ANDREA JOLI *Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

QUIT jam olim, eſtque etiamnum, peſtifera multorum ſententia, quid quiſque credat ac profiteatur, ad Religionem quod adtinet, haud in magno ponendum diſcrimine; aliqua quidem ſuſcipienda Sacra, ſed quænam illa ſint non multum referre; Itaque, juxta illum morem, qui in patria obtinet, vel quem parentes aut præceptores docuerint, vel

quem præceperit Magiſtratus, vel qui utcumque privatis commodis fortuniſque conſentiat, ſalvâ conſcientiâ (ſi modò iis qui ita ſentiunt conſcientia ſit) fieri rem ſacram poſſe. Quæ ſententia quàm impia ſit, quámque ſiculneis argumentis ſuperſtruatur, manifeſtum faciemus; poſtquam verbum de ejus fautoribus, cum antiquis, tum recentibus, dictum fuerit.

II. Res hic nobis eſt cum non uno Adverſariorum genere. Et primò quidem cum *Atheis*; Cùm enim illi Religiones omnes, merum eſſe figmentum, merum Sacerdotum dolum, vel Politicorum aſtum, exiſtiment, non mirum eſt ſi illas omnes eodem loco habeant, id eſt, nullo.

III. His accedunt *Deiſtæ*, quos vocant; qui admittunt quidem principia Religionis naturalis, ſed Religiones omnes revelatas rejiciunt, & meras nugas exiſtimant. Itaque, dummodò quis *moraliter* vivat, ut aiunt, hoc eſt, regulas juſtitiæ ac honeſtatis obſervet, non multùm intereſſe putant cuinam ex receptis Religionibus ſeſe addicat. Et hoc quidem hominum ordine nimis ferax eſt noſtrum hoc Sæculum.

IV. *Ethnicorum* veterum multos diverſiſſima Sacrorum genera, non inter licita modò habuiſſe, ſed & promiſcuè uſurpaſſe, nemo ignorat: velut, cùm victores devictarum gentium numina ritúſque accipiebant; Itérque facientes, Deos regionum quas pertranſibant, ſolemnibus cujuſque loci ritibus, venerabantur. Sic ipſe *Alexander Magnus*, multique poſt eum Syriæ ac Ægypti Reges, Judæorum Deo Hieroſolymis ſacrificia offerri curârunt. Multos autem dico, non omnes: Etenim non pauci contrà fuerunt, qui peregrina numina ac ritus, canc pejus & angue, averſarentur. Unde *Juvenalis*, Sat. XV.

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,
Ardet adhuc Ombos & Tentyra; ſummus utrinque
Inde furor vulgò, quòd numina vicinorum
Odit uterque locus; cùm ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

V.

V. In primis verò multi *Philoſophi* varia Populorum Sacra eodem in cenſu poſuiſſe videntur. Sic nemo neſcit, *Platonem*, *Ciceronem*, alioſque, Deos pro more cujuſque regionis colendos edixiſſe. Unde & illi qui ſanius quàm vulgus de numine ſentiebant, in praxi tamen Deos patrios & recepta Sacra ſequebantur. Verùm nemo fuſius ac operoſiùs Religionum indifferentiam docuit, quàm *Themiſtius*, celebris Philoſophus atque Orator, qui temporibus *Joviani*, *Valentis*, & *Valentiniani* Impp. floruit. Cum enim prævaleret Chriſtiana Fides, & Cultus Ethnicus paſſim everteretur, Themiſtius Ethnicus Chriſtianos Imperatores ad utriuſque Religionis tolerantiam hortatur. Et multa quidem egregia habet, de vi animis non inferenda; v. g. quòd nemo poſſit voluntatem cogere, quòd ne Imperator quidem poſſit invitos ad ſe amandum impellere, quòd vis illa omnis ſinceros Dei cultores efficere nequeat, ſed hypocritas tantùm, & purpuræ adoratores; aliáque idgenus, quæ ſanè veriſſima ſunt. Verùm inter præclara multa, hoc admiſcet minùs ſanum, „quòd „Deus ipſe delectetur illâ cultuum varietate, ut homines per „quandam æmulationem ad ſe colendum vividiùs impellat. Ad„dit, „idem hîc uſu venire, quod in publicis certaminibus, „ubi curſores omnes non per eandem viam, nec eodem in ſta„dio currebant, ſed tamen omnes ad præmium tendebant. „Sub„jungit, „in exercitibus non unum militum genus eſſe, ſed „alios quidem gravioris armaturæ, alios equites, alios funditores, &c.; ſic etiam in Imperio unam non eſſe hominum ſor„tem, ſed alios agricolas, alios oratores, alios Philoſophos, &c. *Hâc quoque varietate*, inquit, *totius Univerſi auctorem ac principem delectari puta*; *aliis inſtitutis ac ritibus uti Syros*, *aliis Græcos*, *aliis Ægyptios*, *cupit*, &c. Hæc *Themiſtius*, Orat. V. ad *Jovianum* Imp.; item Oratione XII. ad *Valentem* Imp., ubi eadem fermè repetit quæ Joviano dixerat. Pariter *Symmachus*, Romanus Senator, & Præfectus Urbis Romæ, eô Sermone quem ad *Valentinianum*, *Theodoſium*, & *Arcadium*, de ara Victoriæ, habuit, Religionum varietatem ita excuſat: *Quid intereſt*, inquit, *quâ quiſque prudentiâ verum inquirat? Uno itinere*

non poteſt pervenire ad tam grande ſecretum. Scilicèt, dum ab Ethnicis Imperatoribus Chriſtiani vexabantur, Philoſophi perſecutiones illas non modò non improbabant, ſed & multi iis plaudebant, prout ex *Celſi* aliorúmque exemplis patuit. At poſtquam mutata eſt alea, & Imperatores Chriſtiani facti de Ethniciſmo abolendo cogitârunt, tunc Philoſophi tolerantiæ præcones facti ſunt; quin & eò uſque proceſſerunt, ut Religionum varietate Deum delectari aſſererent.

VI. Ut verò inter Ethnicos veteres, ſic & inter *hodiernos*, ejuſdem ſententiæ faurores occurrunt: velut *Rex* ille *Siamenſis*, quem cùm Galliæ Rex ad Chriſtianam fidem amplectendam per Legatum hortatus eſſet, reſpondit, „ſe mirari Galliæ Regem „id cordi habere, quod Deus ipſe, cujus res agebatur, parùm „curabat: Ac ſanè, addidit, ille Cœli Terræque Dominus, qui „tam varias naturas variáſque propenſiones hominibus indidit, „potuiſſet ſine dubio eaſdem opiniones eumdémque cultum om„nibus inſtillare: Videtur itaque illâ cæremoniarum diverſitate „delectari, eôdem modô quô ex infinita Creaturarum diverſita„te gloriam ſuam educit. Hæc ille, ſaltem ſi itinerario *Tachar*„*di* fides.

VII. Quid, quòd, inter *Judæos* ipſos, gentem Deo ſacram, verorúmque Sacrorum gnaram, incredibilis, ad imitandos finitimarum gentium ritus, facilitas atque impetus exſtitiſſe deprehenditur: clarô indiciô quàm frigidè illi (quidquid in contrarium Deus edixiſſet) de Sacrorum, imò & Numinum, varietate arbitrarentur. Huc refer in primis fœdiſſimam illam *Samaritanorum* colluviem, de qua 2. Reg. XVII, qui, & Deo Iſraëlis, & Idolis ſuis ſimul litabant. Adjunge & *Rabbinos* quoſdam, qui, ex eo quod in Lege dicitur, Levit. XVIII. 5. quòd is qui ſtatuta Dei obſervaverit, *vivet per ea*, ludicrâ illatione colligunt, nolle igitur Deum, nos ſuâ cauſſâ mortem oppetere; proindéque, vitandæ necis ergò, à vero Dei cultu deficere nefas non eſſe.

VIII. Sed nec defuerunt inter *Chriſtianos* (ſi modò hi Chriſtiani dicendi) impietatis hujus aſſertores: Illi nimirum, qui, ſublatâ

Digitized by Google

ſublatâ Martyrii neceſſitate, Chriſtum abnegare, ſéque Idolorum cultu polluere, ad vitandam perſecutionem, licitum ducebant: Quem quidem unum ex fœdis fuiſſe *Gnoſticorum* erroribus, Eccleſiæ Annales teſtantur. Etiam *Apelles* memoratur, Sæculi II. hæreticus, qui, inter alios errores, nihil inquirendum de fide, ſed unumquemque in ea, quam ſemel imbibiſſet, opinione perſtare oportere contendebat.

IX. Verum, ut de propioribus, nimiúmque proh dolor! certis, dicamus, quis neſcit eorum quàmplurimos, qui, ſive minis, ſive blanditiis, ſive mulctis, aut cruciatibus, ad ejurandam puriorem fidem, falſóque cultui adhærendum, noſtrâ memoriâ adacti ſunt, eorum, inquam, longè plurimos, cùm ea quæ docebantur perſuadere ſibi non poſſent, in eam tandem ſententiam veniſſe, in quâcunque verſeris Sectâ, quæcunque Sacra frequentes, Deo nihilominùs placeri poſſe; ſiquidem, inquiunt, verus Dei cultus non in externis cæremoniis, ſed in mentis cogitationibus, vitâque probâ, ſitus eſt. Sic miſeri illi ſibi blandiuntur; Hícque fructus eſt tot egregiarum, ſi Deo placet, *Converſionum*, ut omnis planè Religionis ſenſus ex animis ſenſim deleatur; locúnique Chriſtianæ fidei, Deïſmus, imò & Atheïſmus, tandem impleant.

X. Denique ſunt etiam, noſtris temporibus, non unius nominis *Sectarii*, qui dum queruntur, neque immeritò, apud Chriſtianos pleroſque nimium externis ritibus externæque profeſſioni pretium poni, ipſi in alterum incidunt extremum, externámque omnem profeſſionem ac cæremonias pro nihilo habent. Verùm de *Indifferentiſmi* fautoribus ſatis dictum eſt: Sequitur jam, ut, adeò antiqui, támque latè graſſantis Erroris, falſitas ac impietas demonſtretur.

XI. PRIMUM igitur, id libenter concedimus, quòd, ſi Atheorum principia valerent, neque ullus rerum conditor atque adminiſtrator Deus exiſteret, útique Religiones omnes eodem loco cenſeri, imò & ſuſque déque haberi poſſent. Verùm, cùm hæc rerum Univerſitas, clara Opificis ſapientiſſimi potentiſſimíque indicia præbeat; ſummúſque ille omnium Parens, Orbem

bem quem condidit administrare, réſque humanas cummaximè paternâ curâ dirigere pergat, Legéſque, hominum cordibus, officiorum magiſtras, inſcribat, ſéque Judicem ac vindicem futurum, in intimis præcordiis declaret; (quæ omnia fusè à nobis in *Theologia* noſtra *Naturali* demonſtrata ſunt) certè Religionem poſthabere, atque inter res liberas reponere, non ſummum ſceleris modò, ſed & ſummum ſtultitiæ eſt.

XII. Secundò, nemo eſt qui non fateatur, indignum eſſe vito probo, id palàm profiteri quod falſum eſſe cognoſcit. Quod ſi verò in rebus omnibus, etiam minimis atque leviſſimis, veritas ſectanda eſt, quantò magis in re omnium maxima, qualis eſt reverentia & cultus Numinis? Certè, mendacio nihil eſſe fœdius, ubi præſertim de rebus graviſſimis ac ſummi momenti agitur, apud eos qui non omnem planè honeſtatis rationem excuſſerunt, in confeſſo eſt.

XIII. Tertiò, ut viro probo indignum eſt, id profiteri quod non ſentit, ita etiam cavere debet, ut ne quid ſentiat de Deo, quod veræ ejus naturæ ac voluntati adverſetur. Enimverò, ſi liberos parentum, ſi ſubditos Principum, ſi ſervos Dominorum, inveſtigare omni ope ac ſciſcitari voluntatem decet, ut eorum ſe moribus juſsíſque adcommodent, quantò magis id debemus nos, reſpectu ſummi illius omnium Parentis ac Domini, qui nos finxit, qui nos fovet, qui nos bonis omnibus cumulat; abſque quo foret, vel merum nihilum, vel miſerrimi eſſemus; quò agante caleſcimus; quò adflante ſpiritum ducimus; qui, tantâ munificentiâ, non noſtris modò neceſſitatibus, ſed & voluptatibus proſpicit; cujus proinde imperio ac regimini, potentiſſima nos ſacratiſſimáque jura ſubjiciunt? Quantò illum ſtudiò cognoſcere, quantâ curâ, quid ei ſit gratum, inveſtigare nos decet?

XIV. Neque verò exiſtimandum eſt, perinde Deo eſſe, quôcunque modô ab hominibus concipiatur. Etenim, quis non videt, maximâ illum contumeliâ affici, dum indignæ illius ideæ habentur; dum ſummus ille omnium conditor cum viliſſimis à ſe creatis rebus confunditur; non modò cum Sole & Stellis, quæ

quæ aliquam Majeſtatis ejus ſpeciem præ ſe ferunt, ſed cum hominibus pridem defunctis, imò & cum hominibus ſceleſtiſſimis, adulteris, perjuris, latronibus, &c. ſed cum animantibus brutis, bobus, ſerpentibus, crocodylis, &c. ſed cum ipſis hortorum plantis; ſed cum lignis atque lapidibus, hominum arte fabrefactis; ſed cum vili panis fruſtulo, flammis, putredini, muribus, obnoxio; ſed cum ipſis hominum affectibus, & quidem fœdiſſimis atque miſerrimis, venere, pavore, diſcordia, &c. Enimverò, an hi ſunt conceptus Deo digni, Ens illud perfectiſſimum atque ſanctiſſimum cum ejuſmodi rebus confundere? Quis id ipſi gratum cenſeat? Quis é contrario, ſtultiſſimis illis turpiſſimiſque ideis, maximo illum dedecore affici non videat? Unde & quidam, tum inter Ethnicos, tum inter Chriſtianos, eò uſque proceſſerunt, ut dixerint majorem contumeliam Deo inferri, dum indignis his modis concipitur, quàm ſi omninò tollatur, ejúſque exiſtentia negetur: eodem modo, quô Rex majori contumelia affici cenſetur, ſi dicatur mente captus, ſceleſtus, crudelis, perjurus, &c. quàm ſi dicatur in vivis non eſſe.

XV. Quòd ſi verò Deo indignum eſt, fœdis hiſce modis concipi, ita & non minùs indignum, præpoſterô more adorari. Enimverò, quis concipiat, Enti illi ſapientiſſimo & ſanctiſſimo perinde eſſe, ſive ab hominibus modô ſanctô & naturæ ejus conſentaneô colatur, ſive obſcœnis actibus, factiſque crudelibus, prout in variis Ethnicorum ſacris mos erat? An credibile eſt eum delectatum horrendâ illâ humanarum victimarum mactatione, quæ apud Carthaginenſes, alióſque Populos, in uſu erat? qui quidem mos ab Ethnicorum ſanioribus damnatus apparet, velut à *Silio Italico*, Lib. IV.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poſcere cæde Deos veniam, & flagrantibus aris,
Infandum dictu! parvos imponere natos.
Quæ porrò hæc pietas, delubra adſpergere tabo?
Heu primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris

Naturam neſcire Dei! Juſta ite precari
Thure pio, cædúmque feros avertite ritus:
Mite & cognatum eſt homini Deus.

Quæro igitur, quibuſnam oculis, crudelem hanc colendi rationem ſpectare potuit Deus? An benigniſſimum illud, & *homini cognatum* Numen, ut cum Silio loquamur, potuit horrendâ illâ miſerorum infantium lanienâ propitiari? Sanè nemo ſobrius id dixerit.

XVI. Quod autem de ſævis illis atque inhumanis ſacrificiis dicimus, de aliis plurimis Superſtitionis ac Idolatriæ generibus aſſerere licet: Niſi fortè, cutem flagellis lacerare, imagunculas oſculari, voces minimè intellectas demurmurare, carnibus terreſtrium animantium abſtinere, ſed eximiis piſcibus veſci, inani ſilentio atque otio vitam tranſigere, campanas aliáque inanima nugatorio ritu baptizare, aliáque ſexcenta idgenus, digni Dei Majeſtate ac ſapientia ritus videantur. Quod ſi non ſit, ſanè Dei Cultus inter res liberas & ἀδιαφόρους ponendus non eſt.

XVII. Quemadmodùm verò, reſpectu Dei, id liberum eſſe non poteſt, ita nec reſpectu Societatis. Quid enim? An Societatis parùm intereſt, utrùm modô ſapienti, & Societatis rationibus conſentaneô, colatur Deus, an verò modô evertendæ ac turbandæ Societati aptô? An Societatis parùm intereſt, Religionis obtentu, ſcelera commendari atque præcipi? An Societatis parùm intereſt, fidem, æquitatem, pudicitiam, humanitatem, manſuetudinem, Sacerdotum arbitrio violari atque proſcribi? Rursùs, an Societatis parùm intereſt, ſcelera ipſa conſecrari, & ad Deos referri auctores? Enimverò, quis à furtis, quis ab adulteriis, quis à fraudibus, quis à mendaciis, quis à factis iniquis crudelibúſque ſibi temperabit, cùm horum omnium exempla in iis ipſis, quos colit, reperiet; illáque ipſa, aut his affinia, inter actus Religionis nomine commendatos, cenſeri videbit? Veriſſimè hanc in rem *Seneca*, Lib. de brevit. vitæ: *Quid aliud eſt vitia incendere, quàm auctores inſcribere Deos, & dare morbo, exemplo divinitatis, excu-*

excuſatam licentiam? Unde nihil crebrius apud Poëtas, quàm delinquentes, qui ſe Deorum exemplis tutabantur; velut *Jon* ille apud *Euripidem*,

Οὐκ ἔτ' ἀνθρώποις καλῶς
Λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν κακὰ
Μιμούμεθ', ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε.

hominibus haud nunc ampliùs
Fas eſt malè loqui aut carpere, ipſi cùm Deûm
Imitamur acta; ſed Deos, hæc qui docent.

Atque hæc fuit cauſa, cur *Plato*, ex ea, quam finxit, civitate, Poëtas ejiceret; quia nempe probè ſentiebat, Poëticam illam Theologiam, quæ ipſiſſima Ethnicorum Religio erat, bene moratæ Societati corrumpendæ atque evertendæ aptam fuiſſe.

XVIII. Neque apud Ethnicos ſolos, ſed & apud multos ex illis qui ſe Chriſtianos dicunt, ea placita atque inſtituta reperire eſt, quæ Societatis commodis é diametro adverſentur. Ac ſanè, quid magis noxium Societati, quàm vilem aliquem presbyterum (quidni enim quod res eſt dicamus?) ſe ſupra Reges omnes ac Imperatores extollere, júſque illorum deponendorum, ſubditorúmque à fide illis debita liberandorum, ſibi arrogare? Quid magis noxium Societati, quàm peſtifera illa dogmata, de Religione armis propaganda, de Hæreticis (hoc eſt, iis qui à nobis diſſentiunt) ferro & igne delendis, de fide iis non ſervanda? quæ quidem truculenta principia, quot ſtragibus ac lanienis locum dederint, non ſemel magnô ſuô malô expertus eſt Orbis? Quid magis noxium Societati, quàm decantata illa principia, de *æquivocationibus*, *mentalibus reſervationibus*, *intentionis directionibus*, aliiſque hujuſmodi? quibus poſitis, fiduciam omnem, imò & omnem probitatem, ab humanis rebus exulare planè neceſſe eſt. Quid magis noxium Societati, quàm ſententia illa quæ ſtatuit, ſolos *Credentes* atque *Electos*, (hoc eſt, certæ Sectæ homines) legitimos eſſe rerum hujus mundi poſſeſſores? unde ſequeretur, alios omnes, ab iis

qui se Credentes dicunt, jure suis bonis spoliari posse. Quæ quidem exempla (quibus & alia non pauca adjungi possent) satis ostendunt, quid quisque credat, ad Religionem quod attinet, Societati perinde non esse.

XIX. Et hæ quidem rationes omnes, quas hactenùs protulimus, etiam sepositâ Revelatione validissimæ sunt. Verùm si ulteriùs jam observemus, Deum ipsum sese revelâsse, suásque perfectiones notas feciisse, suique Cultûs modum præscripsisse, sanè nemo est qui non videat, id non ampliùs liberum esse, illósque Deo esse injurios, qui aliter circa illum sentiunt & agunt, quàm ipse agere ac sentire jussit. Etenim, quô tandem fine, quâ sapientiâ se se revelavit, si liberum sit deinceps, Revelationem sequi vel non sequi, Deo credere vel non credere, ejus Legibus obsequi, vel ab iis recedere? Quis Princeps eô modô haberi velit? Quantô minùs ille rerum omium arbiter Deus?

XX. Neque ullum hac in re dubium patitur esse Revelatio. Etenim, ut de Veteri Testamento primùm dicamus, totum iis Legibus plenum est, quibus extranei Cultus damnantur. Sic ipsô Decalogi initiô prohibet Deus, ne quis alius Deus præter se habeatur. Deinde prohibet etiam, ne imagines ullæ rerum cœlestium, vel terrestrium, vel subterranearum, fiant, coram quibus procumbatur, vel quibus aliquis honos habeatur. Jubet quinetiam loca omnia, sive altaria, sive lucos, quibus Cananæi sacra faciebant, penitùs aboleri atque destrui, Deuter. XII. 2. 3. Severéque prohibet, ne Gentium Diis, vel juxta morem Gentium, Cultus ullus exhibeatur, ibid. ℣. 30. 31. Vúltque suas Leges ita observari, ut ne quid iis adjiciatur vel detrahatur. ibid. ℣. 32. Unde & Israëlitas per Prophetam acriter increpat, quòd se *juxta hominum mandata colerent*, Esai. XXIX. 13. coll. cum Matt. XV. 9. Cúmque illos alibi arguit, quòd fœdum illum ac detestandum Molochi cultum, in infantibus ustulandis, imitarentur, hac præ cæteris ratione utitur, quòd id ipsis non præcepisset: *Quod*, inquit, *non præceperam, & de quo non cogitaveram.* Jerem. VII. 31. Poterat sanè aliis rationibus potentissimis

tiſſimis uti, ad ſævum illum ac inhumanum cultum damnandum; ſed hanc potiſſimùm rationem adducit, ut doceat Iſraëlitas, quantô ſtudiô Legibus ſuis adhærere debeant, & quanto ſe involvant piaculo, quicumque vel minimùm à ſacris divinitùs inſtitutis recedere auſi fuerint. Denique, ſe tanquam *Zelotypum* deſcribit, qui *gloriam ſuam dare alteri non vult.* Exod. XX. 5. Eſai. XLII. 8. Alia loca, idem confirmantia, brevitati ſtudentes omittimus.

XXI. Verùm, ne quis fortè exiſtimet, id Veteri Teſtamento peculiare fuiſſe, majorem verò hoc reſpectu Chriſtianis libertatem eſſe, addimus Novam Legem pari paſſu cum Veteri hic ambulare, neque minùs, impium iſtud, quod jam confutamus, dogma evertere. Etenim præcipit Chriſtus, non modò ut ſibi credatur, ſed & ut Fides animo conceptа per *Confeſſionem* externam manifeſtetur: Qui ſecùs fecerint, ſéque *abnegárint*, ſe illos ultimô die *coram Deo abnegaturum*, Matt. X. 32. Rurſùs, monet Chriſtus diſcipulos, ut à falſis Doctoribus ſibi caveant, Matt. VII. 15. atque in ſua, ad finem uſque, perſtent Doctrina, Matt. X. 22. Docet, *hanc eſſe vitam æternam*, hoc eſt, viam quæ ad eam ducit, *ſolum verum Deum nôſſe, & eum quem miſit Jeſum Chriſtum*, Joh. XVII. 3. Docet ſe eſſe *viam, veritatem, & vitam; neminíque ad Patrem, niſi per ſe aditum patere.* Joh. XIV. 6. Quod verò Chriſtus hac de re docet, idem quoque inculcant Apoſtoli; Monent, *in nullo alio, quàm in Chriſto, ſalutem eſſe.* Act. IV. 12. Aſſerunt, Ethnicos *tenebris* immerſos, *in vanitate ambulantes, extraneos à fœderibus*, imò *ſine Deo ac ſine Spe in mundo*, vixiſſe. Epheſ. II. 12. Urgent iterùm iterúmque, fugiendas falſas doctrinas, quibus jam tum Evangelii ſinceritas adulterabatur; Jubétque expreſsè Paulus, ut, *ſi quis aliquid docuerit præter Evangelicam doctrinam*, etiamſi eſſet *Apoſtolus*, imò etiam *Angelus*, Chriſtianis *anathema ſit*; Galat. I. 8. Denique, quid ſibi tot præcepta vellent, de *ſervando depoſito*, de *retinenda ſpei profeſſione*, de *explorandis ſpiritibus*, de *expendendis omnibus*, & *quod bonum eſt, retinendo*, de conſtantia in Perſecutionibus, ipſô

etiam vitæ dispendiô? quid sibi vellent tot Martyrum elogia, tótque ipsis factæ promissiones? quid sibi vellent é contrario tot pœnæ Apostatis denuntiatæ, Heb. X. atque alibi passim, si liberum sit ac solutum omnibus, quamcumque voluerint Religionem profiteri? Atque ita patet, quamcunque in partem oculos circumferamus, sive ad Lumen naturale, sive ad Revelationem, sive ad Vetus Testamentum, sive ad Novum, illam *Religionum indifferentiam*, quam vocant, tolli penitùs atque jugulari.

XXII. SUPEREST, ad plenam materiæ elucidationem, ut adversæ partis firmamenta, quæ quidem colore aliquo non destituuntur, sub incudem mittamus, & quàm vana ac futilia sint, breviter demonstremus. PRIMÒ igitur objiciunt, Deum excelsiorem esse, quàm ut ista curæ habeat; Id perinde esse, ac si Rex maximus de formicarum cursitatione, & foraminibus multùm curaret. R. Verùm pessimè Majestas Dei concipitur, dum eâ indignum putatur, rerum humanarum curam susci pere. Etenim, quòd Principes res minimas curare non debeant, neque semper verum est, neque aliunde procedit, nisi ex eo quòd, cùm eorum ingenium arctis limitibus circumscriptum sit, nequeant rebus minimis attendere, quin res magnas & longè magis necessarias negligant: At verò, cùm Deum dicimus, dicimus Ens infinitum, dicimus sapientiam limitibus omnibus carentem, quæ ad omnia, etiam minima, nullo labore sese extendat.

XXIII. Deinde, qui ita loquuntur, non satis attendunt ad dignitatem Hominis. Etenim, quæcumque tandem sit Cœli & Astrorum dignitas, sanè longè inferiora sunt Entibus intelligentibus, quæ Deum cognoscunt, quæ ipsum mirantur, quæ ipsum diligere & colere apta nata sunt. Itaque, ut hæc Entia Deo Creatore digniſsima sunt, imò & ejus referunt imaginem, ita dubitandum non est quin ad ipsius curam peculiari modo pertineant, & quin ad eorum facta & dicta, in iis præsertim quæ ad Divinum Cultum pertinent, salvâ Sapientiâ & Majestate possit attendere.

XXIV. Denique, ipsô factô constat, quantoperè homines Deo

Deo ſint curæ, & quantoperè ad eorum facta, circa Religionem & juſtitiam, attendat. Etenim, qui fit ut ſui notitiam adeò claram ipſis indiderit? Qui fit ut tot beneficia in ipſos contulerit? Qui fit ut Leges illas, juſti & iniqui indices, eorum animis impreſſerit? internóque dolore vel gaudio, prout benè vel malè egerint, eorum mentes afficiat? Qui fit denique, ut tam eximias Revelationes ipſis indulſerit, tot argumentis confirmatas, tantis Promiſſis, tantiſque Pœnis munitas? Unde hæc omnia, niſi ex eo quòd illos ſummoperè diligit, ipſíque admodum curæ eſt, quid circa ſe cogitent & agant?

XXV. SECUNDO objiciunt, delectari Deum Religionum varietate, quemadmodum Creaturarum varietate in Orbe condendo delectatus eſt; & quemadmodum Princeps, qui variis Populis imperat, variis eorum ritibus, variâ ſalutandi ratione delectatur: Et hoc erat argumentum *Themiſtii*, ut & *Regis Siamenſis*, quod ſanè primâ fronte nonnihil coloris habere videtur. R. Verùm ſi rem attentiùs ſpectemus, patebit, ideam illam falſiſſimam, & Dei virtutibus atque Majeſtate indigniſſimam eſſe. Etenim, ut jam diximus, an credibile eſt, Deum ſapientiſſimum & perfectiſſimum delectari, ſi alii eum confundant cum viliſſimis animantibus, alii cum hominibus ſceleſtiſimis, &c. ſi alii in crudeliſſimis cædibus, alii in obſcœnis dictis aut factis, alii in ſtultiſſimis vaniſſimiſque ritibus, pietatis ſummam collocent? Qui ejuſmodi conceptibus ac ritibus propitiari Deum exiſtimet, næ ille Dei ſapientiæ ac perfectioni nimium quantùm eſt injurius; cùm ne minimus quidem Princeps, imò ne viliſſimus quidem mortalium, hac ratione conſiderari atque haberi velit. Rursùs, quæ hic conferuntur, admodum ſunt diſſimilia. Nam, quod ad varias populorum conſuetudines attinet, v. g. varios ſalutandi, aut pugnandi, aut ludendi ritus, illa omnia nullâ certâ lege definita comperiuntur, adeóque variè pro variis ætatibus ac regionibus conſtitui poſſunt. At verò illa quæ ad juſtitiam & pietatem pertinent, (de ritualibus jam non agimus) ex ipſa rerum natura fluunt, ſunt eadem apud omnes, adeóque tolli atque immutari ſine piaculo non poſſunt. Denique,

ſi

ſi quid hac in parte dubii ipſa rerum natura relinqueret, quis dubitare ulterius valeat, poſtquam, diſertâ revelatione, quis ſit, & quânam ratione coli velit, Deus teſtatus eſt?

XXVI. TERTIO obiiciunt, quod, ſi Deus nollet illam Religionum varietatem in Orbe eſſe, rem ita eſſe non ſineret, ſed omnibus eadem placita, eaſdemque Leges indidiſſet. Ita arguebat *Rex Siamenſis*. Bz. Verùm, ut hæc objectio ſolvatur, id in mentem revocandum eſt, quod aliô locô ſæpe monuimus; Scilicèt, docere quidem Deum, ſive per lumen naturale, ſive per Revelationem, quônam modô judicare atque agere homines velit, at illos tamen non cogere, ſed liberam electionem hac in parte ipſis relinquere, eô fine nempe ut illos exploret, liberéque ac voluntariè ab ipſis colatur. Itaque, ex eo quòd varia ſcelera patrari ſinit Deus, non inde concludendum eſt, illum ſcelera illa approbare. Pariter ex eo quòd ſinit varias Religiones, & nonnullas quidem ſtultiſſimas ac turpiſſimas, in Orbe eſſe, non inde tamen ſequitur omnes æqualiter ipſi gratas eſſe: Hinc ſolùm colligere licet, Deum homines liberos feciſſe, & alios quidem libertate ſuâ benè uti, alios malè; quorum illi à Deo approbantur, iſti verò improbantur, & aliquando pœnas delictis ſuis debitas luent.

XXVII. QUARTO objiciunt, Religiones omnes multa vera comprehendere, putà Dei exiſtentiam, Leges juſti & injuſti, futuras pœnas atque præmia, aliáque idgenus, quæ abundè ſufficiunt. Sic arguunt *Deiſtæ*. Bz. Verùm etiamſi Religiones omnes veritates quaſdam conſervent, multæ tamen tot erroribus eas commiſcent, tantis tenebris eas involvunt, tantis ineptiis eas inquinant, ut nullum propemodùm, certè valdè exiguum, producere effectum poſſint; quemadmodum, tum in Ethniciſmo, tum in Secta non una Chriſtianorum, obſervare licet. Rurſus, præter principia illa, alia tradi in Revelatione, & quidem quammaximè momentoſa, nemo ignorat.

XXVIII. QUINTO objiciunt, ex adverſo, nullam eſſe Religionem, nullam Sectam, nullum ſodalitium, in quo non, quidam nævi, quidam errores, reperiantur. Itaque, ſi errorum cauſâ,

să, quædam Religiones deferendæ ſint, omnes deſeri oportere. R. At verò, licèt hoc daretur, non unum eſt Errorum genus. Alii ſunt exitiales, quales illi qui cum pietate & virtute ſtare nequeunt; alii verò tolerabiles atque innocui. Errores primi generis ſi in Religione aliqua occurrunt, utique deſerenda eſt. At, ſi Errores tolerabiles ſint, neque cogamur iis aſſentiri, tunc in illa Societate, ſalvâ conſcientiâ, manere licet.

XXIX. Objiciunt SEXTO, quòd ſufficiat Cultus internus. *Deus eſt Spiritus*; adeóque *in ſpiritu & veritate colendus eſt.* Joh. IV. 24. R. Verùm malè intelligunt locum illum, ſi credant Cultum externum in eo excludi, atque inter res adiaphoras rejici. Præcipitur Cultus internus, qui reverâ præcipuus eſt; Sed Cultus ille internus externos quoſdam actus neceſſariò ſecum trahit, tum quia ſunt ſigna naturalia cogitationum atque affectuum, tum quia non animo ſolùm, ſed & corpore colendus eſt Deus, ſiquidem utraque illa pars ipsius eſt. I. Cor. VI. 20.

XXX. Objiciunt SEPTIMO, pacem omnibus præferendam eſſe; Itaque, licèt quædam Religiones minùs puræ ſint, tamen in iis manendum eſſe, ne Societatis civilis vel Eccleſiæ pax turbetur. R. Fatemur nos, pacem ſectandam; verùm ſectanda etiam veritas, ſectanda Dei reverentia, ſectandus optimus & puriſſimus Dei Cultus. Itaque, quid efficere debet Pacis amor? Nimirùm ut errantes animô manſuetô atque pacificô ad veritatem adducamus, non verò ut errores exitiales foveamus; Tunc enim *bellum anteponendum eſt ei paci quæ à Deo ſejungit*, ſicut ait *Nazianzenus*. Et ita quidem Chriſtus egit, ejuſque Diſcipuli: Nam pacem quidem commendabant, &, quantùm fieri poterat, colebant: Verùm tamen ille Pacis amor eos à veritate aſſerenda ac prædicanda non avocabat, quæcumque exinde diſſidia atque bella ſecutura eſſent. Unde aſſerere non dubitat Chriſtus, ſe *non veniſſe ut pacem, ſed ut gladium in terram mitteret.* Matt. X. 34.

XXXI. Alia præterea quædam objiciunt iſti verè *inſanientis ſapientiæ conſulti*, perplexa quidem nonnihil, primôque ad-

ſpectu incommoda, ſed quæ, ad vias Dei attendendo, facillimè diluuntur. QUÆRUNT nimirùm, an credibile ſit, non alibi olim quàm in exiguo Palæſtinæ angulo, neque alibi jam quàm in paucis quibuſdam Chriſtianorum cœtibus, verum Dei Cultum reperiri? &c. Quaſi verò mirum ac inſolitum ſit, ſtultis ſapientes pauciores eſſe; neque ipſi obſervaverint Etrunici, *turbam peſſimi indicium* eſſe. Vel, ut ad primam ac præcipuam hujus diſcriminis cauſſam aſſurgamus, quaſi Deo liberum non fuerit, Ægyptô in tenebris relictâ, exiguam ſuam *Goſçen* illuſtrare, ſiccâ manente areâ, *Gedeonis vellus* irrigare, hoc eſt, ſuas quibus libuerit Revelationes concedere, aliis verò negare; uſquedùm venerit dies ille, quô ſinguli, pro ratione luminis ſibi conceſſi, judicabuntur.

XXXII. Sed inſtant illi, ac ulteriùs quærunt, cùm tanta ſit humanarum mentium caligo, tot præjudicia, tot affectus, tanta barbaries multarum Gentium, tot errores aliarum, tanta denique veri indagandi ac ſecernendi difficultas, cùm hæc, inquam, ita ſe habeant, an Dei æquitatem & clementiam decuerit, veram ſui notitiam, ſolúmque ſibi gratum Cultum, tam anguſtis limitibus circumſcripſiſſe? Utique, ſi ita ſit, inquiunt,

Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit;

Quæ quidem agendi ratio, ſummæ bonitati atque juſtitiæ repugnare non parùm videtur. &c. Verùm, ut alia jam omittamus, quæ in hanc materiam proferri poſſent, notâſſe ſufficiat, difficultates illas omnes, quibus Veri aditus præcluditur, duorum eſſe generum; Aliæ in ipſis vitiis, in ipſa corruptione hominum ſitæ ſunt; Sed iſtæ ſi quid mali pariunt, id homines ſibi imputent: Aliæ à nobis non pendent, adeóque culpæ ſunt expertes; Verùm iſtas, quantæ quantæ ſunt, tantâ ſapientiâ, tantâ æquitate, imò tantâ clementiâ, ſuo in judicio ponderabit Deus, nullus ut expoſtulandi vel quiritandi locus ſuperſit. Verbo dicam: *Habebunt* ſinguli, *qui ipſos judicet*. Lumen quod acceperint, ſi ſolo Naturæ lumine fuerint donati; *Verbum* quod audi-

ve-

verint, si ad eos pervenerit Revelatio; *illud, illud ipsum eos judicabit.* Joh. XII. 48.

XXXIII. Quòd si igitur Deus *Leges suas Jacobo notas fecerit, statuta sua Israëli, neque sic fecerit aliis gentibus*, Ps. CXLVII. 19. 20.; Quòd si etiamnum tot Gentes sinat *ambulare in viis suis*, Evangelii luce destitutas; Hic adoranda Dei judicia; Hìc agnoscenda libertas ejus, supremúmque dominium; Hic exclamare cum Paulo licet, Ω βάθος! Verùm & simul recordandum est, *Gentes quæ sunt sine Lege, sine Lege judicatum iri*, Rom. II. 12. & quò *quis plus acceperit, eò plura etiam ab ipso requirenda.* Luc XII. 48.

XXXIV. POSTREMO, argumentis illis, alia quædam ex Scripturis petita adjungunt; putà factum *Naamanis*, de quo 2. Reg. V. 18. 19. exemplum *Nicodemi*, qui noctu ad Christum adibat; exemplum *Christi* & *Apostolorum*, qui ritus Judaicos frequentabant; exemplum *Pauli*, qui se *Judæum Judæis, Græcum Græcis*, fecisse dicitur. Verùm ad illa ita facilis est, ita obvia apud Theologos responsio, ut iis multùm immorari necesse non sit, Enimverò, quid habet *Naaman*, cum iis quos refellimus, commune? siquidem profitetur, se non alii, quàm Israëlis Deo, Sacra deinceps facere velle, v. 17. Quod verò petit, ut sibi liceat, pro Aulici muneris ratione, in Rimmonis ædem ingredi, ibique se incurvare, dum sibi Rex inniteretur, primò id civile tantùm, non verò religiosum videtur fuisse; quia tamen mali quædam species in eo esse videbatur, pro eo veniam à Domino petit; Denique factum, neque improbat, neque adprobat Propheta, sed usitatâ duntaxat salutandi formulâ hominem dimittit. *Nicodemum* timidum, ac fide infirmum, laudant: Quidni illum potiùs fortem, causamque Christi apud Judæos agentem, imitantur? *Christus* & *Apostoli* non Sacris illicitis, sed à Deo institutis, neque statim, sed per varios gradus antiquandis, operabantur. Tandem, qui piam veréque Christianam *Pauli* Apostoli συγκατάβασιν cum promiscuis Sacris confundunt, næ illi ita splendidè ineptiunt, ut pigeat in iis refellendis tempus absumere.

XXXV. CÆTERUM ex dictis liquet, quàm iniquè, & præter rationem, *Indifferentiſmi* accuſentur, qui vim omnem à Religione abeſſe volunt; qui moderatè de controverſiis Theologicis judicant; qui ingemiſcunt quòd Chriſtiani, de rebus leviſſimis perſæpe, de meris vocibus aliquando, tanquam pro aris & focis dimicent, dum interim primaria illa capita, de pietate, caritate, manſuetudine, modeſtia, omittunt penitùs atque poſthabent; qui denique vellent, Proteſtantes, circa momentoſa omnia concordes, diſſidiis ſuis modum tandem ponere, atque in unum corpus coaleſcere, quod & Angelis gaudio, & Inferis terrori eſſet. Ita ſentire, ſi multis credatur, cauſſam Chriſtianam prodere eſt, & *Religionum indifferentiæ* patrocinari Verùm, obſecro, quid commune habet Chriſtiana illa moderatio, pium illud pacis ſtudium, cum impio iſto, quod confutavimus, dogmate? An quia nolo vim animis fieri, idcircò nolim rationum luminibus veritatem perſuaderi? An quia vellem, tot logomachias, tot argutias, tot vanas quæſtiones, quibus Religio obruitur, omitti, idcircò veram Chriſti doctrinam, ab his toto cœlo diverſam, rejicio atque contemno? An quia levibus quibuſdam diſſidiis Eccleſias disjungi doleo, eíſque componendis pro mea virili parte incumbo, idcircò fœdum *Samaritaniſmum*, impiam *lucis cum tenebris*, *Chriſti cum Belial* conjunctionem, urgere exiſtimandus ſum? Quænam hæ illationes eſſent? Quis, aliqua cum æquitate, aliquo cum pudore, ita arguat?

XXXVI. Contrà, ut quod res eſt dicamus, ſanè nihil magis Religioni nocet, nihil plures Atheos parit, nihil *Religionum indifferentiam* fortiùs promovet atque commendat, quàm acerbus ille atque præpoſterus, quô non pauci ducuntur, zelus. Enimverò, quid faciunt illi, qui vim conſcientiis inferunt? quid, niſi Atheos atque hypocritas? quid, niſi veritatis, adeóque Dei contemptores, qui, excuſſô ſemel conſcientiæ jugô, nihil habent quô retineantur, atque in omne nefas tandem ruunt? quemadmodum Theſi IX. jam obſervavimus. Pariter, quid efficit malè ſana illa quæſtionum Scholaſticarum cum Chriſtiana Fide copulatio, niſi ut, contemptis illis quæſtionibus, (quas

(quas profectò nemo vir prudens magni æstimare potest) contemptus ille tandem ad Religionem ipsam extendatur? Denique infausta illa dissidia, quibus Protestantium Ecclesiæ scinduntur, quantum piis scandalum, quantam impiis atque profanis cavillandi materiam præbent? Verùm de his satis hôc locô, imò fortè plùs satis diximus. FAXIT DEUS ut oculos tandem Christianus Orbis aperiat; positísque odiis ac discordiis, omnes, unô animô atque unô ore, ei doctrinæ quæ *secundùm pietatem* est, ei *sapientiæ* quæ *desuper venit*, quæ *pura* est, *mitis*, *pacifica*, *moderata*, *tractabilis*, *misericordiæ & bonorum operum ferax*, inanium *distinctionum nescia*, denique *expers simulationis*, amplectendæ, illustrandæ, promovendæ, operam demus! AMEN! AMEN!

FINIS.

DISSERTATIO II.

DE

REVELATIONIS NECESSITATE.

Habita est disputatio, respondente JOHANNE SARACENO *Genevensi.*

THESIS PRIMA.

MULTA, de Deo & rebus divinis, Naturæ lumine innotescere constat. Certè, dari Ens supremum, à quo cætera omnia pendeant; Ens illud æternum esse, sapientissimum, potentissimum, optimum, æquissimum, &c. unô verbô perfectissimum; ab Ente illo condita omnia, condita administrari, résque hominum speciatim curari; dari Leges naturales, æqui & iniqui indices; denique animos esse immortales, pœnásque & præmia post hanc vitam fore; Illa omnia, Naturâ duce, non obscurè deprehenduntur; neque ab Ethnicis, qui quidem Ratione uti voluerint, ignorata sunt.

II. Scilicet, cùm Deus sit optimus, idémque sanctissimus, non

non potuit non, Hominibus à se conditis, eximiáque præditis intelligentiâ, se cognoscendum præbere; iis officia mandare; si delinquerent, se justum Vindicem; si bene agerent, se munificum Remuneratorem exhibere; seque ipsis, ad perfectionem & felicitatem, si modò sibi ipsis non deessent, viam munire.

III. Quòd autem illa omnia Naturæ lumine Deus nota fecerit, non Ratio modò, & Experientia, sed & Sacræ Literæ passim testantur; dum docent, *Cœlum enarrare gloriam Dei, & Expansum opus manuum ejus annuntiare*, Ps. XIX. 1.; *Invisibilia Dei, æternam ejus potentiam & divinitatem, inde à Mundi creatione, ex operibus ejus conspici*, Rom. I. 20. *Deum se testimonii expertem erga Gentes non reliquisse, bona tribuentem, concedentem pluvias & tempora frugibus proferendis præstituta, cordáque cibo ac lætitia implentem*, Act. XIV. 17. velle Deum *quæri* ab Hominibus, *si vel palpando eum inveniant, quanquam non longè abest ab unoquoque nostrûm, siquidem in ipso vivimus, & movemur, & sumus*, Act. XVII. 27. 28. *Gentes, quæ non habent Legem, sibi ipsis Legem esse, opúsque Legis suis in cordibus scriptum ostendere*, Rom. II. 14. 15. denique *agnovisse illos Jus Dei, eos* nempe *qui malè agunt, morte dignos esse*, Rom. I. 32.

IV. Unde mirari subit, eum hominem, qui in cæteris nihil non Rationi dabat (*Faustum Socinum* intelligo) hac una in re, in qua Rationis vis maximè valet, Deo nempe noto faciendo, Rationi nihil tribuisse; futilissimísque argumentis ductum, naturalem omnem Dei cognitionem negâsse: Quo quidem in capite, à discipulis, *Volkelio, Crellio*, alliísque, non immeritò desertus est.

V. Verùm, præter illud Naturæ lumen, ad quod non satis adtendebat humanum genus, quódque etiam peccati labe non parùm obscuratum fuerat, Deo Optimo Maximo visum est, aliam quandam facem accendere, seu alio modo se patefacere; per quasdam nempe Revelationes, variis temporibus, variisque hominibus concessas; quibus, tum ea quæ Naturæ lumen

lumen docebat, confirmarentur ac illuſtrarentur, tum alia etiam, quæ ad degenerem hunc Hominum ſtatum & remedia malorum ſpectarent, inſuper adjungerentur. Cujus quidem beneficii utilitatem ac neceſſitatem (hoc eſt, quantoperè divinis illis Revelationibus indiguerint Mortales, & quantùm, illas impertiri, Dei virtutibus dignum fuerit) ſequentibus obſervationibus, cum bono Deo, demonſtrabimus; & adversùs DEISTARUM, aliorumque Revelationis hoſtium, cavillationes defendemus.

VI. PRIMO igitur, ſi, ſolo Rationis & Philoſophiæ lumine, res divinæ cognoſcerentur, pauci oppidò, imò pauciſſimi, ad claram atque accuratam rerum illarum cognitionem adſurgere poſſent. Ac ſanè, ut in Dei naturam, Officiorúmque noſtrorum rationem, & ſi qua ſint iſtis adnexa, ratiocinando inquiratur, utique non levis requiritur meditatio; multa adtendenda, multa ponderanda; longa nectenda eſt principiorum & conſectariorum ſeries; quæ nonniſi à perpaucis poteſt inſtitui. Pars hominum maxima, ſive ob ingenii ruditatem, ſive quòd careat otio, negotiisque ad vitæ neceſſaria pertinentibus obruatur, ſive ob negligentiam & defectum adtentionis, ſive ob alia vitia non pauca, excelſæ illi atque operoſæ rerum divinarum inveſtigationi, quæ ſola Ratione peragitur, haudquaquam idonea eſt. Et profectò, ſi, nunc dierum, accedente Revelatione, quâ res omnes divinæ ita clarè propoſitæ ſunt, tamen adeò pauci ſunt, qui eas ritè percipiant, quantò pauciores fore cenſendum eſt, ſi, per operoſas diſquiſitiones, & Philoſophica ratiocinia, notitiam illam quæri oporteret? Attamen Religio ad omnes pertinet; ad omnium bonum dirigitur; adeóque non minus Plebi, quàm Doctis & Sapientibus, debet eſſe adtemperata.

VII. SECUNDO, demus, nihil hic eſſe, quod non ab omnibus diſquiri poſſit: At, quantùm id temporis requireret, quantùm laboris, quantùm induſtriæ? Certè, ne promptiſſimis quidem ingeniis, vitæ tempus, etiam longiſſimæ, ad id ſufficiat. Atqui Religio moras illas non patitur: Cum enim ſit regula

totius

totius vitæ, neque tam ad discendum quàm ad agendum nos vocet, utique facilè debet cognosci, & ab ipso quidem vitæ primordio, ut facilè etiam ac citò ad praxim revocetur. Eximiè hanc in rem *Lactantius*, ut humanæ Philosophiæ infirmitatem, divinæ verò Revelationis necessitatem ostendat: *Abjicienda est igitur*, inquit, *omnis Philosophia; quia non studendum est sapientiæ, quod sine ac modo careat, sed sapiendum est, & quidem maturè. Non enim nobis altera vita conceditur, ut, cùm in hac sapientiam quæramus, in illa sapere possimus: In hac utrumque fieri necesse est; Citò inveniri debet, ut citò suscipi possit, ne quid pereat ex vita, cujus finis incertus est.* Lactant. De falf. sapient. Lib. III. cap. 16.

VIII. Tertio, si omnis Dei notitia, non alio quàm Naturæ lumine, & ratiociniis, comparanda esset, certè non paucis involveretur dubiis, quæ incertum animum & fluctuantem huc illuc impellerent. Cùm enim Hominum ingenia admodum diversa sint; réspue fere omnes vario modo spectari queant; speciatim verò res divinæ, utpote à sensibus remotæ, & supra hominem longè positæ, magnas involvant difficultates; sanè in his difficultatibus dubii penderent animi, nisi clara quadam ac facili Revelatione dirigerentur. Quod quidem in Philosophis Ethnicis experimento plus satis patuit; Etenim nulla planè est Religionis Naturalis pars, cui, suis dubiis ac ratiociniis, tenebras non offuderint, miseréque hæsitantes conspecti fuerint. Igitur, ut dubiis illis mederetur Deus, opus fuit ut Naturæ Lumini Revelationes quasdam clariores adjungeret, quibus, in his rationum mæandris, labyrinthusque inextricabilibus, Ariadnéo veluti filo deduceremur.

IX. Quarto, non tantum plurimis dubiis, sed & innumeris erroribus, Homines sibi relicti, & solo Rationis lumine collustrati, inficerentur; ob ignorantiam nempe, ob præceps judicium, ob præconceptas infantiæ opiniones, speciatimque ob pravos adfectus, quibus à veri tramite perpetuò abripiuntur. Quæ quidem errorum causæ, cum ad omnia rerum genera sese extendant, tum præsertim ad res divinas obscurandas

non parùm faciunt; ſive ob illarum ſublimitatem; ſive quòd ſint ſpirituales, & ultra ſenſuum aciem poſitæ, Homines verò ſenſibus addicti, nihil ferè niſi corporeum ac ſenſibile cogitent; ſive denique quòd Hominum vitiis adfectibúſque adverſentur, Homines verò ad jugum illud excutiendum nihil non agant. Hinc tot ortæ Religiones falſæ; neque unquam vera, inter tot errores, potuiſſet emergere, niſi Deus per Revelationem opem tuliſſet.

X. QUINTO, utut clarè, utut ſincerè nos doceret Naturæ lumen, de Officiis præſertim, & moderandis adfectibus, credi par eſt, ea omnia, Hominibus ut ſunt corruptis, non ſatis ponderis, non ſatis virium, ad obſequium producendum, habitura. Spectarentur tanquam pulchrè dicta, tanquam conſilia Sapientum, quibus, qui vult, obſequitur; ſed non tanquam Divinæ Leges, quas violari nefas ſit. Itaque, in hoc corruptionis ſtatu, in tanta adfectuum vi, inter tot vitiorum illecebras, virtutúmque difficultates, aliquid fortius, aliquid efficacius, quàm Ratio, requirebatur. Deo ipſo per Legatos loquente, impellente, inſtigante, trahente, tonante, opus erat.

XI. SEXTO, ſi Naturæ lumen multa de rebus divinis doceat, non omnia tamen docet: Quædam ejus ſphæram ſuperant; v. g. *Salutis via*, ejúſque circumſtantiæ; quæ cùm à ſola Dei miſericordia & beneplacito penderent, ab Hominibus vix ac ne vix quidem divinari potuiſſent. Scilicet, evidens eſt, Homines peccatis inquinatos eſſe. Evidens eſt etiam, peccatis illis Numen offendi, Hominéſque propterea ejus iræ obnoxios eſſe. At quæ medela malis illis adferri poſſet, quo piaculo Deus placari, quibus funibus Homines trahi, quibus promiſſis excitari, quam ad gloriam transferri, hæc verò ſunt Amoris myſteria, *quæ intellectum omnem ſuperant*, Epheſ. III. 19. Hæc ſunt, *quæ oculus non viderat, quæ auris non audiverat, quæ in cor hominis non adſcenderant*, quæque proinde à *Dei Spiritu revelari* oportuit. 1. Cor. II. 9. 10. *Quis enim hominum novit ea quæ ſunt hominis*, hoc eſt, interna ejus conſilia, nondum ab ipſo patefacta, *niſi ſpiritus hominis qui eſt in*

eo

eo? Ita etiam ea quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei. v. 11.

XII. Denique, si Homines soli Lumini naturali relicti essent, utique magnum fuisset periculum, ne omnis Dei notitia, omnis virtus, omnis pietas, paulatim extinguerentur. Ac sanè dubiis, erroribus, vitiis, nec finis ullus, nec modus, fuisset; Latius illa indies, gangrænæ in morem, serpsissent. Vulgus, pro innata sibi ruditate, in omne genus superstitionum; Viri acutiùs cernentes ac ineptiarum vulgi pertæsi, in alterum extremum, Atheïsmum nempe, lapsi essent; sicque omnes veri & æqui reliquiæ inter Homines exstinctæ ac sepultæ tandem mansissent.

XIII. Neque verò ista omnia, quæ hactenus disseruimus, vana esse pericula, inanes suspiciones, existimandum est; cùm apud Gentes omnes, & per longam Sæculorum seriem, ipso facto comprobata sint. Etenim, sive *Religionem Ethnicam* spectemus, sive *Philosophorum* ipsorum, qui supra vulgus sapere videbantur, placita, liquidò patebit, quantis in tenebris, quantis in dubiis, quantis in erroribus, Humanum genus sibi relictum versaretur, ac proinde quàm necessaria Revelationis accessio fuerit.

XIV. Nam, ut de Religione Ethnica (hoc est, eorum omnium qui Revelatione caruerunt) paucis dicamus, quis nescit quàm fœdè ac impiè totam *Dei notitiam* adulteraverit? Quis nescit, & miseros homines pridem defunctos, & multos quidem flagitiis ac sceleribus infames; & res ipsas inanimas, putà Solem, Astra, Terram, Maria, Fluvios, &c.; & vilissima animalia, boves, crocodilos, serpentes, &c.; & ipsas hortorum plantas; & idola hominum manibus fabricata; & mera accidentia, per se non subsistentia, ut Sanitatem, Fortunam, Honorem, Pacem, Concordiam, &c. imò &, quod stultissimum, planéque incredibile, nisi certissimis constaret monumentis, ipsam Febrim, ipsum Metum, ipsam Impudentiam, inter Numina collocata esse? Sic pro uno vero Deo, Deorum millia, imò & myriades, sibi fingebant;

Pro Deo æterno ac immutabili, Deos genitos, Deos mortuos, Deos innumeris casibus obnoxios, figmenta cerebri, opera manuum hominis; Pro Deo æquissimo atque sanctissimo, Deos fures, mendaces, adulteros, invidos, crudeles, perjuros, &c.; Pro Deo omniscio ac omnipotente, Deos, *quibus erant oculi, & non videbant; quibus erant aures, & non audiebant; quibus erat os, nec loqui poterant; quibus erant pedes, nec poterant incedere*; Ps. CXV. Hæc erant Numina excultissimarum illarum Gentium, *Ægyptiorum*, *Chaldæorum*, *Græcorum*, *Romanorum*, quorum sapientiâ tantoperè celebratur, & à quibus Disciplinæ omnes manârunt. Unus Populus, vix in Orbe notus, cæteris ingenio non parùm inferior, moribus rudis, Disciplinis minimè excultus, unius veri DEI notitiam retinuit: Unde, nisi quia illam Revelatione acceperat?

XV. Quemadmodum verò Dei notitia, ita & verus ejus *Cultus*, apud Ethnicos, miserum in modum depravatus fuerat. Quippe Homines vanissimi & corruptissimi, se abundè pios censebant, si inani quadam rituum pompa, ludicrisque gestibus, Deos suos venerarentur, omissâ interim veræ pietatis & sanctitatis curâ, quarum ne umbra quidem supererat. Sed hæc levia præ ipsis sceleribus, quibus Deos suos placari credebant; qualia fuêre, humanarum victimarum cædes, scortationes in Veneris Templis, Bacchantum furores, Bacchanalium aliorúmque Festorum flagitia, aliáque ejusmodi. Neque verò apud paucas Gentes illa Religionum portenta obtinebant, sed apud omnes propemodùm; Neque modò apud Gentes barbaras, & ab omni cultu alienas, sed apud eas etiam, quæ moribus excultissimæ, & in humanis Disciplinis versatissimæ fuêre; Neque solùm ab breve tempus, sed toto ferè durationis Mundi spatio; adeò ut Religio Ethnica, & antiquitate, & extensioque, totum ferè Orbem æquaverit. Solæ illæ Gentes, quibus illuxit Revelatio, sicut in Deo cognoscendo, ita & in eo colèndo, cæteris omnibus longè sapientiores fuêre.

XVI. Verum quidem est, PHILOSOPHOS Ethnicos, illas vulgi

vulgi superstitiones, & publicos ritus, irrisisse. At verò non multò sanius eorum plerique sentiebant; sed perpetuis in dubiis, vel gravissimis in erroribus, circa res divinas versabantur. Pyrrhonii, omnibus in dubium vocatis, nec virtuti, nec religioni, locum ullum relinquebant. Academici; non multùm diversi, reliquorum omnium errores notabant; Sed ipsi nihil audebant asserere; adeò ut ne ipsam quidem Numinis existentiam pro certa statuerent. Epicurei, Deos nomine ponebant, sed re tollebant, prout ipsis exprobratum est. Cùm enim Mundum ex fortuito Atomorum concursu ortum, Deos otiosos, res humanas neutiquam curantes, nullásque pœnas nec præmia post mortem statuerint, eô ipsô tota Religio funditùs evertebatur. Peripatetici, nec de Mundi ortu, nec de Dei Providentia, nec de Animorum immortalitate, quidquam certi habebant; ita ut Deo ac pietati, in eorum Systemate vix locus esset. Platonicorum rectiores quidem de Deo & divinis notiones erant; sed & multa dubia, multa inania, imò & quædam parùm honesta, iis admiscebantur. Stoici, eximia quidem de Deo, & de vitæ Officiis, tradebant, prout ex *Seneca*, *Epicteto*, *Marco Aurelio*, aliisque, videre est. Verùm, egregia ipsorum monita, ab eorum dogmatibus non parùm obscurabantur. 1. Plerique, non alios Deos, quàm ipsum Mundum, & Mundi partes, agnoscebant: Cæteris, Deus Supremus erat tantùm *Anima Mundi*, sive, ut ipsi exponebant, ignea quædam substantia, πῦρ τέχνικον, vel πνεῦμα πυρώδες καὶ τεχνῶδες. Diog. Laërt. in *Zenone*. 2. Fatalem necessitatem inducebant; quâ positâ, Libertas Hominis, quam illi etiam statuebant, non videtur stare potuisse. 3. Animorum resolutionem in sua principia, adeóque mortalitatem, admittebant; quâ positâ, nemo non videt, omnes ferè sapientiæ ac virtutis nervos succidi. 4. Ad hæc, adfectus omnes tollendo, hominem exuebant, ut sapientem formarent; naturam evertebant, ut inanem Philosophiæ ideam mentirentur. 5. Denique, superbiâ intolerabili, sapientem suum dicebant de vir-

tute & felicitate cum Diis contendere. † Sic in omnibus illis Philoſophis veriſſimum deprehenditur quod de iis aſſerit Paulus; *Cùm ſe dicerent ſapientes, ſtultos factos eſſe; vanos factos eſſe in ratiociniis ſuis, & cor eorum intelligentia deſtitutum obtenebratum eſſe.* Rom. I. 22. 23.

XVII. Jacebat ergo denſiſſima in caligine Hominum genus. Vulgus, nil niſi Fabulas atque ineptias; Philoſophi, nil niſi dubia & conjectutas, de rebus divinis, habebant. Ignorabantur, quæ maximè ſciri oportuit. Dubitabatur de iis, quæ plurimum intererat certò conſtare. Et quò plus philoſophabantur, eò magis perplexi erant. Audiatur vel unus CICERO, initio Lib. I. de Nat. Deor. *Cùm multæ res in Philoſophia nequaquam ſatis adhuc explicatæ ſunt, tum perdifficilis, Brute, quod tu minimè ignoras, & perobſcura quæſtio eſt de natura Deorum.* Quid verò obſcurum cenſet? Nimirùm, an Dii eſſent, necne? (etenim Deorum exiſtentiam nonniſi *veriſimilem* ſtatuit;) Tum ſi ſint, quænam ſit eorum natura, quænam ſedes, quænam vitæ ratio? An Mundus ab iis conditus, an verò æternus ſit, vel ex fortuito Atomorum colliſu natus? An Dii inertes atque otioſi in Cœlis degant, an verò Mundum adminiſtrent, & rerum humanarum curam ſuſcipiant? De his omnibus teſtatur Cicero, *ſumma Philoſophorum diſſenſione certatum eſſe.* Et tamen agnoſcit ſimul, quòd, niſi hæc dijudicentur, præſertim quæſtio de Providentia, *in ſummo errore neceſſe ſit homines, atque in maximarum rerum ignoratione verſari. Nam*, ut addit, *ſi vera ſit eorum ſententia, qui cenſent nullam habere rerum humanarum procurationem Deos, quæ poteſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? ..... quibus ſublatis, perturbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio. Atque haud ſcio, an pietate adversùs Deos ſublata, fides etiam, & ſocie-*

† De Ethnicæ Philoſophiæ, & omnium quidem Sectarum, erroribus atque vitiis, ad res Divinas & Morales quod adtinet, digniſſima eſt quæ legatur eruditiſſima & ſapientiſſima Præfatio, quam Vir Celeberrimus JOHANNES BARBEYRACUS, Publici Privatique Juris in Academia Groningana Profeſſor, præmiſit Verſioni ſuæ Gallicæ Operis Puffendorfiani de *Jure Naturæ & Gentium.*

ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollatur. Verùm, utut hæc momentoſa eſſent, tamen agnoſcit, *varias* admodum, *atque inter ſe diſſidentes*, de iis opiniones fuiſſe; imò verò *rem nullam eſſe, de qua tantoperè, non ſolùm indocti, ſed etiam docti diſſentiant.* Unde & laudat illud *Simonidis*, „de quo cùm quæſiviſſet tyrannus Hiero, quid, aut „qualis ſit Deus, deliberandi cauſsâ ſibi unum diem poſtulavit. „Cùm idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petivit. Cum „ſæpiùs duplicaret numerum dierum, admiránſque Hiero quæ„reret cur ita faceret; Quia quanto, inquit, diutiùs conſi„dero, tantò mihi res videtur obſcurior.„ Cicero, de Nat. Deor. Lib. I.

XVIII. Singula diducere non vacat. Sed unum omitti non debet, in quo Philoſophiæ Ethnicæ defectus, ac proinde Revelationis neceſſitas, clariſſimè patuêre; nempe momentoſum illud dogma *de Animorum Immortalitate*, & *Vita futura*: Sine quo dogmate, vix ulla ſuperſunt, idonea ſaltem ſatiſque valida, ad virtutem incitamenta. Jam verò, quanquam non deſint argumenta, ex Naturæ Lumine petita, quæ ad illam ſententiam ducant, tamen Philoſophi perſpicaciſſimi nonniſi ſumma cum hæſitatione hac de re locuti ſunt. Placet nonnullos, cum Græcos, tum Latinos, ſpecimnis locô, hic audire. Igitur Socrates, quô haud ſcio an ullus unquam ſapientior Ethnicus fuerit, quique de Animi immortalitate ſpem non levem habuiſſe videtur, his tamen verbis, dubii plenis, Apologiam ſuam concludit; *Tempus eſt jam hinc abire; me, ut moriar; vos, ut vitam agatis: Utrum autem ſit melius, Dii immortales ſciunt, hominum quidem ſcire arbitror neminem.* Apol. Socrat. ap. Plat. & Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. I. In eadem Apologia, hoc dilemmate animum non minùs incertum prodit; *Magna me ſpes tenet, bene mihi evenire, quòd mittar ad mortem: Neceſſe eſt enim duorum alterum eſſe, ut, aut ſenſum omnem mors auferat, aut in alium quendam locum morte migretur. Quamobrem, ſive ſenſus extinguitur, mórſque ei ſomno ſimilis eſt, qui etiam ſine viſis ſomniorum placatiſſimam quietem*

affert,

affert, dii boni, quantum lucrum eſt mors!..... ſin vera ſunt, quæ dicuntur, mortem eſſe migrationem in alias oras, id multò jam beatius eſt, &c. Porrò inter argumenta illa, quibus, ſeu *Socrates* ipſe, ſeu *Plato* qui eum loquentem inducit, ad probandam Animi immortalitatem utuntur, in *Phædone* aliiſque dialogis, pleraque ita debilia ſunt, ut vel hinc pateat, Revelatione, quæ fortiora argumenta proponeret, opus fuiſſe. ARISTOTELES dubium eſſe docet, *utrùm Mortui boni vel mali alicujus participes ſint, necne.* Eth. ad Nicom. Lib. I. cap. 11. Inter Latinos, nemo plura, nec ſublimiora, de Animi immortalitate, dixit, quàm CICERO; ſed ea tamen omnia plena erant dubitationis. Sic enim ille Tuſc. Quæſt. Lib. I. *Expone igitur mihi, niſi moleſtum eſt, primùm animos, ſi potes, remanere poſt mortem; tum, ſi id minùs obtinebis, (eſt enim arduum) docebis carere omni malo mortem.* Eodem loco, docet, ſe hac de Animorum immortalitate ſententia admodum delectari, licèt in dubio hac de re verſetur. *Me verò delectat*, inquit, *idque primùm ita eſſe, deinde etiamſi non ſit, mihi tamen perſuaderi velim.* Imò verò & hæc verba, ex opere quodam Ciceronis deperdito, laudat Lactantius; *harum ſententiarum quæ vera ſit, Deus aliquis viderit.* Denique SENECA, qui tot eximia, non uno loco, de Immortalitatis exſpectatione profert, tamen, aliis in locis, rem totam in medio relinquit. Sic Epiſt. 64. *Et fortaſſe (ſi modò ſapientum vera fama eſt, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periiſſe, præmiſſus eſt.* Et Epiſt. 102. *Juvabat*, inquit, *de æternitate animorum quærere, imò me hercule credere. Credebam enim facilè opinionibus magnorum virorum, rem gratiſſimam promittentium magis quàm probantium. Dabam me ſpei tantæ.* Atque hinc patet, quàm incerta fuerit, apud Philoſophos præſtantiſſimos, Vitæ futuræ exſpectatio; ac proinde, vel ob id unum, ut *Vita ac immortalitas in lucem mitterentur*, divinam Revelationem neceſſariam admodùm fuiſſe.

XIX. Sed neque hoc prætermittendum, quô Ethnicæ Philoſophiæ infirmitas demonſtretur; ſcilicèt, eos ipſos Philoſophos,

phos, qui ſupra vulgus ſapiebant, & receptarum Superſtitionum ſtultitiam optimè noverant, in ipſa tamen praxi, *Veritatem*, quod ait Apoſtolus, *in injuſtitia detinuiſſe*; ſiquidem & ipſi publicos ritus ſervabant, aliiſque, ut idem facerent, auctores erant, tantùm abeſt ut ſuorum temporum mala emendare niterentur. Certè Socrates, qui, ob rejectas de Diis Fabulas, & accuſatus apud Judices, & capite damnatus eſt, tamen, *Xenophonte* teſte, Diis patriis, cùm publicè, tum privatim, ſacra faciebat; Memorab. Lib. I. cap. 1. §. 2. ſuóque calculo adprobabat illud Oraculi Delphici reſponſum, Deos, νόμῳ πόλεως, *ex inſtituto Civitatis*, colendos eſſe. Memorab. Lib. IV. cap. 3. §. 16. ultimáque ejus vox fuit, *gallum Æſculapio mactandum eſſe*, Plat. in Phæd. Plato etiam, Socratis diſcipulus, in iis quæ de religione *conſtituta ſunt*, *ne minimam quidem mutationem inducendam*, *neminémque ſanæ mentis id unquam ſuſcepturum*, diſertis verbis ſtatuit, De Legib. Lib. V. Pariter Cicero, cùm multa dixiſſet, quæ ad everſionem Religionum valerent, ait tamen, *non eſſe illa vulgo diſputanda*, *ne ſuſceptas publicè religiones diſputatio talis exſtinguat*: Quam in rem ſcitè *Lactantius*, Divin. Inſt. Lib. II. cap. 3.; *Quid de eo facies*, inquit, *qui cùm errare ſe ſentiat*, *ultrò ſe ipſe in lapides impingat*, *ut populus omnis offendat? ipſe ſibi oculos eruat*, *ut omnes cæci ſint? qui nec de aliis bene mereatur*, *quos patitur errare*, *nec de ſeipſo*, *qui alienis accedit erroribus?* Denique Seneca, referente *Auguſtino*, de Civ. Dei Lib. VI. cap. 10. *Quæ omnia*, inquit, *ſapiens ſervabit*, *tanquam legibus juſſa*, *non tanquam diis grata*. Et paulò pòſt; *Omnem iſtam ignobilem Deorum turbam*, *quam longo ævo longa ſuperſtitio congeſſit*, *ſic adorabimus*, *ut meminerimus cultum ejus magis ad morem quàm ad rem pertinere*: Unde illum jure merito arguens Auguſtinus, *colebat*, inquit, *quod reprehendebat*; *agebat*, *quod arguebat*; *quod culpabat*, *adorabat*. Quæ cùm ita ſint, quid boni à Philoſophis exſpectari potuit? Et quis non videat, ad emendandas humani generis Superſtitiones, Deo ipſo adjutore ac doctore opus fuiſſe?

XX. Porrò & hoc dignum notatu eſt, atque ad confirmandam Revelationis neceſſitatem non parùm facit; nimirum, apud Gentes illas, quæ Revelatione caruerunt, fuiſſe Leges, conſuetudines, inſtituta non pauca, cum humanitate atque honeſtate manifeſtò pugnantia; quæ nonniſi accedente Chriſtianiſmo emendari potuêre. Multa hujus rei exempla profert *Euſebius*, Præpar. Evang. Lib. I. cap. 4. Sic *Maſſagetæ* ac *Derbices*, propinquos ſuos miſerrimos putabant, ſi naturali fato occumberent: quamobrem eos ætate jam effœtos mactabant, eorumque carnibus veſcebantur. *Tibareni*, ſenes maxima ſecum affinitate conjunctos, præcipites agebant; *Hyrcani*, vivos eoſdem atque ſpirantes, canibus avibúſque objiciebant. *Scythæ*, quos mortui ſummoperè adamâſſent, ad eorum rogos jugulabant, vel vivos unà defodiebant; & humana carne veſcebantur. *Perſæ* nuptias cum matribus ineant. Alii Populi, inceſto filiarum ac ſororum concubitu ſe polluebant; nec deerant, qui ad mares furioſo libidinis æſtu raperentur. Narrat etiam *Socrates*, Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap. 18. *Heliopolitanos* in Phœnicia, uxores communes habuiſſe; parentúmque ac liberorum diſtinctionem non agnoviſſe; imò & Virgines hoſpitibus, qui ad ipſos accedebant, conſtuprandas tradidiſſe: Quæ quidem leges, inde ab ultima vetuſtate inſtitutæ, nonniſi receptô Evangeliô, ab Imp. Conſtantino abrogatæ ſunt. Sed & quis neſcit, Gentibus excultiſſimis, velut *Græcis* & *Romanis*, ſuas etiam inhumanas atque indecoras conſuetudines non defuiſſe? Nam & infantium expoſitio publico more obtinebat; & Ludi gladiatorii crudeli ſpectaculo oculos paſcebant; & amores meretricii, vagæque libidines, pro nugis habebantur; neque ullum fuit Veneris genus, utut nefandum & naturæ contrarium, quod apud ipſos non vigeret; vel nullis, vel laxis nimiùm, quibus illa vetarentur, Legibus. Tales erant Gentium mores, ne iis quidem exceptis, quæ ſapientiſſimæ habebantur. Sola Revelatio, ſolum Evangelium, hiſce probris finem adtulit.

XXI. Quid, quod, apud Gentes omnes Revelatione deſtitutas,

tutas, publicæ nullæ Virtutis Scholæ exſtitiſſe deprehenduntur. Quam in rem, Socrates *mirum* eſſe aïebat, *quòd ſi quis ſutorem aliquem, vel fabrum, vel artificem ærarium, vel equitem, doceri velit, non deſint loca, ad quæ miſſô illô id fieri poſſit: At ſi quis, vel ipſe juſtitiam diſcere cupiat, vel filium domeſticúmque doceri, non eſſe quò accedere poſſit, ut hoc conſequatur.* Xenophon. Memorab. Lib. IV. cap. 4. §. 5. Ac ſanè, Sacerdotes nonniſi cerimonias curabant, de virtute neutiquam ſoliciti; Philoſophi verò, virtutis præcepta, nonnili paucis, quos nacti eſſent, diſcipulis impertiebantur. Unde *Lactantius* Religionem Ethnicam inde meritò arguit, „quòd ni„hil ibi diſſereretur, quod proficeret ad mores excolendos, vi„támque formandam, nulliſque juſtitiæ ac virtutis præceptis eru„diret effieerétque meliores; Cúmque *philoſophia* & *religio deo„rum* diſcreta eſſent, longéque disjuncta, (ſiquidem alii erant „*profeſſores ſapientiæ*, per quos ad Deos non adibant; alii *re„ligionis antiſtites*, per quos ſapere non diſcebatur) „hinc colligit, nec illam veram fuiſſe ſapientiam, nec hanc religionem.„ *De vera ſapient.* Lib. IV. cap. 3. Ut verò Magiſtris carebant Ethnici, ita & monitionibus, adhortationibus, incitamentis, exemplis, auxiliis, quammaximè indigebant; quibus virtutes excitarentur, & vitiorum impetus frangerentur: quæ quidem omnia, ampliſſimè & copioſiſſimè, Revelationis beneficio nobis contingunt.

XXII. Quid multis? ad hanc ſolvendam quæſtionem, de *neceſſitate Revelationis*, longis ambagibus opus non eſt; conſulatur modò eventus. Luſtrentur Gentes omnes Revelatione deſtitutæ; Inſpiciantur eorum Sacra; Adtendatur ad eorum mores. Videatur, quid de Deo ſenſerint, quem cultum Deo exhibuerint, quas modeſtiæ, quas temperantiæ, quas juſtitiæ leges ſtatuerint, ipſôque factô ſervaverint; quid timuerint, quid ſperaverint; de felicitate quid opinati ſint; ad illam quâ viâ tetenderint, &c. Tum, ſi in his errâſſe omnes ac deliràſſe comperiantur, dum interim ſoli illi Populi, quibus illuxit Revelatio, quanquam rudiores in cæteris, ad Religionem

quod attinet, longè ſapientiores fuêre; ſi res, inquam, ita ſe habeant, ut ſe habere indubium eſt; haud ſcio equidem, quis Revelationis neceſſitatem ac ſapientiam in dubium vocare poſſit. Fuerunt, fateor, Viri ſapientes, fuerunt Philoſophi præſtantiſſimi, fuerunt Principes ac Legumlatores ſummi ingenii & ſummæ famæ inter Ethnicos. Sed, præterquàm quòd in eorum ſapientia non pauca deſiderabantur, quid fecerunt illi? quid obtinuerunt? Quam regionem, quam urbem, quem vicum, imò plus dicam, quem unum hominem, ad veram Dei notitiam, & purum ejus cultum, adduxerunt? Et quomodo id perfeciſſent, cùm ne id tentarent quidem; receptæque Idololatriæ, non modò bellum non indicerent, ſed contrà, tum conſiliis, tum exemplis, vires adderent? Quid, quòd, ne paucos quidem illos, quos nacti erant, diſcipulos, ad modicum quendam virtutis ac ſapientiæ gradum perduxiſſe deprehenduntur; quemadmodum in *Alcibiade*, aliiſque *Socratis* diſcipulis, abundè patuit. Itaque liceat hic, cum Paulo, Sapientes illos omnes provocare: *Ubi eſt Sapiens? ubi Scriba? ubi diſquiſitor hujus Sæculi? Nonne Deus fatuam demonſtravit ſapientiam mundi hujus? Cùm enim in ſapientia Dei*, hoc eſt, in operibus Naturæ & Providentiæ, *mundus non cognoviſſet Deum per ſapientiam*, hoc eſt, ope Philoſophiæ, *Deo viſum eſt*, per eam *Doctrinam*, quæ ab externa ſpecie nil niſi *ſtultum* habet, quamquam per ſe ſit ſapientiſſima, Homines ad bonam frugem & *ſalutem* adducere. 1. Corint. I. 20. 21.

XXIII. Ex DICTIS liquet, quàm neceſſaria fuerit Revelatio, ut Homines ab idolis ad verum Deum, ab erroribus ad veritatem, à vitiis ad virtutem, denique, à miſero ac deſperato ſtatu, ad viam felicitatis reducerentur. Illa igitur Revelatio, ſequentia potiſſimùm docere debuit. 1. *Dei naturam & perfectiones*; Etenim hæc eſt Religionis pars primaria, imò & totius Religionis atque vitæ fundamentum: Cùm hæc igitur, Hominum cæcitate atque ſocordiâ, propemodùm ignota eſſent, ea clariùs atque apertiùs revelari oportuit. 2. legitimum *Dei Cultum*; Deus quippe, modis ineptiſſimis, & ſua Ma-

Majeſtate indigniſſimis, colebatur; neque rectiùs unquam cultus eſſet, niſi ipſe modum docuiſſet. 3. omnia *Vitæ officia*; in quibus etiam Homines miſerè cæcutiebant, & graviſſimos errores fovebant. 4. *modum placandi Dei*, & conſcientiæ tranquillandæ: nam Homines quidem ſentiebant, ſe peccatores eſſe, adeóque iræ divinæ obnoxios; quamobrem, ut ſe ipſos purgarent, & iram Dei à ſe averterent, ſacrificia atque ablutiones paſſim adhibebant: Verùm ſatis patebat, neque ſanguinem pecudum, neque aquam luſtralem, ad ſcelera expianda quidquam valere; Itaque aptior quidam modus placandi Numinis revelandus fuit. 5. docendi fuerunt Homines, in quo ſita ſit vera *Felicitas*, & quænam via ad eam ducat. Etenim variæ admodum erant, de momentoſo hoc argumento, Philoſophorum ſententiæ; ſed nemo ſcopum adtigerat, in primis quòd Vita futura non ſatis cognoſceretur: quamombrem, ad hoc potiſſimùm, Deo duce ac præceptore opus fuit. 6. denique neceſſe erat, ut hæc omnia, quanta quanta ſunt, potentiſſimis *argumentis*, *incitamentis*, atque *auxiliis* confirmarentur, ne ullum ſupereſſet dubium, Hominéſque ad officia efficaciſſimè impellerentur. Ad hæc igitur omnia, Revelatione opus erat; ſed quanam Revelatione? clara nempe, populari, ad omnium captum adcommodata: qualem eſſe Revelationem, in Sacris Literis contentam, quicunque adtenderit facilè perſpiciet.

XXIV. Ut vero Deus, aliquando ſaltem, Revelationem ejuſmodi, Hominibus concederet, ſuadebant utique ipſius Virtutes; ejus *Bonitas* ac *miſericordia*; ejus *Sapientia*; ejus *Sanctitas*; imò & ejus *Majeſtas* & *Gloria*; ſalvâ interim ejus libertate, circa tempora & modos Revelationis illius, de quibus ſtatuere pro arbitrio potuit.

XXV. Primò quidem, id *Dei Bonitate* ac *Miſericordia* digniſſimum erat. Cùm enim Dei Bonitas ad Cœlos uſque pertingat, & ad omnia ejus opera ſe extendat, tum in primis Hominum genus ſingulari quadam ratione complectitur. Itaque fieri non potuit, quin eorum errores corrigere, eorum malis mederi, eorum ignorantiæ ac dubiis ſuccurrere, in animum in-

duceret. *An mulier oblivisci potest fœtûs sui, ut non misereatur filii ventris sui?* Esai. XLIX. 15. Pariter, an Deus poterat Hominum à se conditorum oblivisci, eorúmque miseriis medicam manum non admovere? Inter humanitatis officia, apud omnes numeratur, errantibus viam monstrare, in foveam lapsos inde educere, doloribus pressos sublevare: An igitur concipi potest, Deum Entium longè optimum ac beneficentissimum, nos errantes in viam reducere, nos in barathrum lapsos inde extrahere, denique animorum nostrorum morbis succurrere non voluisse? Et qui, tantâ munificentiâ, corporis nostri necessitatibus, imò & voluptatibus, providit, an credibile est, eum animi nostri malis ac necessitatibus nunquam prospecturum?

XXVI. Secundò *Dei Sapientia*, idem etiam, suo quodam jure, postulabat. Ac sanè, quem in finem Mundum condiderat Deus, nisi ut ab Entibus intelligentibus cognosceretur, suæ virtutes celebrarentur, debitúsque sibi honos cultúsque tribueretur? Quòd si igitur Homines, tum ignorantiâ, tum pravis adfectibus, ab hoc fine recessissent, an patiebatur Dei sapientia, ut res eo in statu relinquerentur? Nonne suadebat, ut *novos Cœlos ac novam Terram crearet*, prout loquuntur Prophetæ; hoc est, ut Homines, ad veram sui notitiam, & rectam vivendi rationem, potentiori quodam modo adduceret? Sanè universum hoc Orbis theatrum inutile evaderet, imò & Conditoris scopo & gloriæ adversaretur, si Homines ad Deum noscendum, atque ut par est glorificandum, animum non adpellerent: Cùm igitur ab his officiis, intolerandâ quâdam socordiâ, ac scelere, se avertissent, utique Dei sapientiam decuit, res ad legitimum statum reducere, &, novâ quadam Revelatione, verum sui cultum instaurare: quo fine, de nativo Mundi decore nimium quantum detractum esset. Potuit quidem divina Sapientia, quodam temporis intervallo, Gentes non paucas sibi permittere, eásque pati in viis suis incedere, tum ut veritatis contemptum in iis ulcisceretur, tum ut de propria imbecillitate atque corruptione experimentò eas doceret, tum ob alias, sibi perspectas, sed nobis ignotas, rationes. Verùm & postea

poſtea eadem Sapientia non minùs dignum fuit, caliginem illam diſpellere, chaos illud in ordinem cogere, quódque Homines propriis ratiociniis incaſsùm quæliverant, cœlitùs eis monſtrare. Sic Deus ſtultam declaravit ſapientiam humanam, verúmque ſe Hominum doctorem ac viæ ducem oſtendit. *Cùm homini per ſe ipſum*, verba ſunt *Lactantii*, Inſt. divin. Lib. I. cap. 1., *ratio divina non innoteſceret, non eſt paſſus hominem Deus, lumen ſapientiæ requirentem, diutiùs errare, ac ſine ullo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos ejus aliquando, & notionem veritatis munus ſuum fecit; ut & humanam ſapientiam nullam eſſe monſtraret, & erranti ac vago viam conſequendæ immortalitatis oſtenderet.*

XXVII. Tertiò idem quoque Dei *Sanctitas Æquitáſque* ſuadebant. Cùm enim Principes æquiſſimi, & ordinis amantiſſimi, Leges ſuas clarè & diſtinctè promulgari velint; ſi verò obliteratæ ſint, eas denuò, publicari curent; ut à ſubditis faciliùs cognoſcantur, atque ad praxim revocentur, quis miretur, Deum ſanctiſſimum & æquiſſimum idem feciſſe? Inter ſæva & iniqua *Caligulæ* facta, hoc numeratur ab Hiſtoricis, quòd Legem aliquam *minutiſſimis literis, & anguſtiſſimo loco, ſcribi* curâſſet, ut nempe, ignoratâ illâ, multi in pœnam incurrerent. *Suetonius* in *Cœo*, cap. 41. Aſt alia longè omnia à Deo exſpectare licuit; utpote qui, non hominum peccatis & morte, ſed ſanctitate potiùs & ſalute delectatur. Ezech. XVIII. 23.

XXVIII. Denique, nec ipſa Dei *Majeſtas* & *Gloria* patiebantur, ut ſe ab Hominibus ignorari, & loco ſuo viles Creaturas in perpetuum coli ſineret. Enimverò, apud Gentes omnes Revelatione deſtitutas, regnare Deus vix dici poterat. Erat *regnum tenebrarum*, quemadmodum loquitur Scriptura; Erat regnum ignorantiæ, regnum erroris, regnum vitiorum, regnum Satanæ, regnum Mortis. Et illud quidem aliquandiu; ob Sapientiæ ſuæ rationes, toleraverat Deus. Sed tandem ipſum decuit, ablatum ſibi Regnum reſumere; Hominéſque, quà patet Orbis, ad Dominum ſuum agnoſcendum, ejúſque jugum ſubeundum, revocare. Unde Pſalmus, *Jehova regnat, Exultet ter-*

Digitized by Google

terra. Pſ. XCVII. Et *regnum Dei*, aut *Regnum Cœlorum*, Chriſti præconio inſtitutum cernitur.

XXIX. CÆTERUM, de hac Revelationis neceſſitate, Ethnicis ipſis nonnihil ſuboluit. Certè PLATO in *Epinomide*, poſtquam docuit, *Pietate nihil majus inter homines eſſe, eámque, ſi quis docuerit, feliciſſimè addiſci poſſe*, ſtatim adjungit, *docere eam neminem poſſe, ἀ μὴ θεὸν ἡγεμόνα, niſi Deus quaſi dux vel magiſter præiverit.* Pariter, in ejuſdem Platonis *Alcibiade ſecundo*, Poſtquam docuit Socrates, *Juſtitiam ac Sapientiam, apud homines ſana mente præditos, ſummo in pretio eſſe; Sapientes verò ac Juſtos, illos eſſe, qui intelligunt quid faciendum dicendúmque ſit, & apud Deos, & apud homines*, fatetur poſtea, Ignoraſſe Homines, quid Diis gratum eſſet; ideóque monet, nihil tutius nec conſultius eſſe, quàm *quieſcere*, atque *exſpectare, donec aliquis didicerit, quo animo, & erga Deos, & erga homines, eſſe oporteat.* Sic etiam in *Phædone*, qui dialogus eſt de *Animi immortalitate*, poſtquam dixit *Simmias*, „idem ſibi videri „quod Socrati, nempe de hujuſmodi rebus certam ratámque co„gnitionem habere, aut planè impoſſibile, aut ſupra modum „difficile eſſe, „monet, humanarum rationum eam quæ me„lior ſit, id eſt, quæ minùs refutari poſſit, eligendam atque „tenendam;„ *niſi quis*, addit, *firmiore quodam vehiculo, aut* VERBO QUODAM DIVINO, *tranſvehi poſſit.* Neque verò aliam ob cauſſam, veteres illi Legumlatores, ac Religionum artifices, Deorum colloquia adflatúſque ſimulabant, ut *Minos* Jovis, *Lycurgus* Apollinis, *Zaleucus* Minervæ, *Numa* Nymphæ Egeriæ, niſi quòd certum apud ipſos eſſet, ſine Dei luce, vera vel ficta, informari Homines, flectique ad obſequium commodè non poſſe.

XXX. ET HIS QUIDEM (quibus alia benè multa adjungi poſſent) Revelationis neceſſitatem ac ſapientiam abundè adſtruximus. Nunc ſupereſt, ut quæ opponi in contrarium poſſunt, breviter diluamus. Antequàm verò id agamus, aliquid præmonere non abs re fuerit; ſcilicèt, cùm Revelationis neceſſitatem aſſerimus, eam *neceſſitatem* intelligendam non eſſe, quæ,

quæ, vel naturalem Dei cognitionem tollat, vel Deo legem ullam ponat, quasi ad concedendam omnibus, omníque tempore, Revelationem, stricto jure obligatus fuerit: quod quidem, ut experientiæ, ita & Dei Libertati adversaretur. Hoc unum igitur nobis volumus, Homines sola Ratione præditos, ejúsque lumine abusos, in statu miserrimo ac desperatissimo versatos esse; adeóque Dei virtutibus consentaneum fuisse, aliâ quâdam viâ, Revelatione nimirùm, eorum imbecillitati ac miseriæ succurrere: sed tamen (ut jam monuimus Thesi XXIV.) salvâ Dei Libertate, tum circa tempora, tum circa personas, tum circa modos & gradus Revelationis illius; quæ omnia pro lubitu dispensare potuit, nullâ cuiquam factâ injuriâ. Etenim Deus donorum suorum dominus est; de suo potest, quod vult, facere; cúmque vel minima ejus beneficia debito majora sint, nemo est qui conqueri possit, dum plura his quàm illis largitur. Cur ita faciat, rationes nobis incognitas habere potest: Neque quidquam ab ullo, nisi prout quisque acceperit, requiret. Hâc præmissâ cautione, quæ maximi est in hac materia momenti, ad Objectiones diluendas jam accedimus.

XXXI. Primo igitur objiciunt Deistæ, eximium illud Rationis lumen, quod à Deo procedit, quódque omnibus hominibus commune est atque innatum, ad nos instituendos ac regendos abundè sufficere; adeóque novo quodam lumine, nova Revelatione, opus non esse. R. Fatemur nos, Dei donum esse, & donum quidem eximium, *Rationem*; neque ii sumus, qui ejus pretio & laudibus quidquam detrahamus. Sed hoc dicimus, ad Lumen illud Homines non adtendisse, eoque miserè abusos esse; quemadmodum Ethnicorum omnium, cùm veterum, tum recentiorum, experimento plus satis patuit. Quòd autem Naturæ lumen, hominum erroribus atque vitiis, quammaximè obscuratum, tantúmque non exstinctum fuerit, ne ipsi quidem ignorârunt Ethnici; idque eximiè describit Cicero, Tusc. Quæst. Lib. III. *Nunc*, inquit, *parvulos igniculos, quos nobis dedit* (natura) *celeriter malis moribus, opinionibúsque*

que depravatis ſic reſtinguimus, ut NUSQUM NATURÆ LUMEN APPAREAT. *Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pænè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cùm verò parentibus redditi, demùm magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt etiam Poëtæ, qui, cùm magnam ſpeciem doctrinæ, ſapientiæque præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitùs in mentibus. Cùm verò accedit eodem, quaſi maximus quidam magiſter, populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum pravitate, à naturâque deflectimus.* Hæc *Cicero*, cujus verba exſcribere libuit, quoniam ad evincendam Luminis Naturalis obſcurationem, &, quæ inde ſequitur, Revelationis neceſſitatem, haud ſcio an quidquam clarius fortiúſve dici potuerit.

XXXII. Verùm, inquiunt, nonne quidquid maximum, quidquid momentoſiſſimum habet Religio, ut *Dei exiſtentiam, ejuſdem perfectiones, Leges juſtitiæ, Leges temperantiæ*, &c. *denique Vitæ futuræ pœnas & præmia*, ex Ratione colligere licet? R. Primùm, etſi hæc docet Ratio, non omnia tamen docet; Alia addit non exigui momenti Revelatio; quemadmodum Theſi XI. aliiſque oſtendimus. Deinde, non hic agitur de Ratione in ſe ſpectata; agitur de Ratione, qualis fuit in Hominibus, qui Revelationis auxilio caruerunt. Quæritur, non, quid cognoſcere potuerint, ſi Ratione rectè uti eſſent; ſed utrùm res divinas ritè cognoverint, utrùm certò, utrùm facilè, utrùm abſque errorum miſtura? quorum contrarium longâ experientiâ plus ſatis comprobatum eſt. Nos quidem, qui, Dei beneficio, Revelatione illuſtrati ſumus, Nos, quibus Evangelium oculos aperuit, res divinas facili negotio ex Rationis fonte deducimus. At, ſi in mediis Ethnicismi tenebris etiamnum verſaremur, bone Deus, quantò imperfectiùs, quantò

tò confusiùs, quantò incertiùs, quantis cum erroribus atque ineptiis, de his omnibus philosopharemur? Itaque, vel hic ipse Rationis usus, Revelationi acceptus ferendus est. Dicat id Theologus præstantissimus, nobisque amicissimus, Sam. Werenfelsius. *Videant*, inquit, *ne nimium Rationi suæ tribuant* Rationales *nostri. Dicunt, solo Rationis ductu inveniri posse totam illam Religionem, quæ in S. Literis traditur, aut saltem quod in ea præcipuum est. Nihil dictu facilius est, illis qui jam cognoscunt religionem istam. Tunc illud dicendum fuisset, si per totam vitam de religione hac nihil audivissent. Nunc verò similes mihi videntur iis, qui, postquam à præceptoribus, quicquid sciunt, didicerunt, videri tamen volunt* ἀυτοδίδακτοι: *aut, cùm de præclaris inventis audiunt, putant, se hæc omnia, nisi jam inventa essent, ipsos fuisse inventuros. Quod si cognoscere velimus, quid possit Ratio hominis in invenienda Religione, non nostram Rationem consulere debemus, quos verbum Dei in viam deduxit, quos in eadem dirigit; sed rationem illorum, quibus hoc verbum est ignotum. Hic verò quæ monstra pariat sibi relicta Ratio, testantur omnium Gentilium exempla, inter quos fuêre plurimi, qui non minùs ratione valuerunt, ac* Rationales *nostri. Dicam verbo*: Religio merè rationalis, *qualis in Mundo reperitur, est* Religio Gentilium: Religio Deïstarum *est religio eorum, qui, postquam ex S. Literis omnia deprompserunt quæ placent, dicunt se ea ratiocinando inveniisse.* Dissert. Theolog. III. de Præstant. Relig. Revel. p. 131. 132.

XXXIII. Sed instant iterùm Deïstæ, & dicunt, quidquid optimum, quidquid pulcherrimum continet Revelatio, apud Philosophos Ethnicos reperiri. R. Verùm, utut hoc daretur, quod tamen non concedimus, non id tamen Revelationis necessitatem tolleret. Etenim 1. eximia illa quæ Philosophi Ethnici dixêre, apud ipsos dispersa exstant; unus hoc, alter illud, dixit; sed, qui omnia collegerit & tradiderit, neminem reperias. Eximiè hanc in rem Lactantius; Div. Inst. Lib. VII. cap. 7. *Summam*, inquit, *Philosophi non comprehenderunt, quamvis ea ferè, quibus summa ipsa constat, & viderint & ex-*

plicaverint: Sed diversi ac diversè illa omnia protulerunt, non adnectentes, nec causſas rerum, nec consoquentias, nec rationes, ut summam illam, quæ continet universa, & compingerent & implerent. Facile est autem docere, penè universam veritatem per Philosophos & Sectas esse divisam;.... nullamque Sectam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantùm elapsa illis veritas est, quam se quærere simulabant, sed ipsi eam potissimùm suo vitio perdiderunt. QUOD SI EXSTITISSET ALIQUIS, *qui veritatem sparsam per singulos, per sectásque diffusam, colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profectò non dissentiret à nobis. Sed hoc nemo facere, nisi veri peritus ac sciens, potest: verum autem nonnisi ejus scire est, qui sit* DOCTUS A DEO. 2. bona illa, ut sparsa inter Philosophos, ita & pravis, falsis, dubiis, inanibus, erant permista. 3. quàm pauci fuêre, qui illis colluſtrati sint? 4. nec caret probabilitate, veteres illos Philosophos, qui in Orientem peregrinati sunt, v. g. *Pythagoram*, *Platonem*, aliósque, à Judæis multa hausisse; recentiores verò, cùm Platonicos, tum Peripateticos, ut *Plotinum*, *Porphyrium*, *Jamblychum*, &c. ex Christianorum disciplina non pauca desumpsisse. Denique Philosophorum illorum præcepta, satis auctoritatis, satis virium non habebant, ut ad obsequium impellerent; quemadmodum suprà jam vidimus. At verò Revelatio ea omnia abundè præstat, quæ priùs desiderabantur: *Non tanquam ex Philosophorum concertationibus strepit, sed tanquam ex Dei Oraculis & nubibus intonat*, ut loquitur *Augustinus*.

XXXIV. SECUNDO objiciunt, quòd, si necessaria fuerit Revelatio, inde excusentur Ethnici. R. Verùm id ex eo colligi negamus. Etenim, si Ethnici Deum ignorârunt, séque in vitia præcipites dederunt, id non ullo certè factum est Naturalis Luminis defectu, sed solô ipsorum vitiô, qui ad Lumen illud non adtendebant, cóque miserè abutebantur: Unde illos ἀναπολογήτους *excusatione indignos* pronuntiat Paulus, Rom. I. 20.

Hoc

Hoc interim non diffitemur, Ethnicos, pro ratione minoris luminis, mitiùs habitum iri; pauciorâque ab ipsis, quàm à Christianis, requirenda; juxta illa Christi, *Tyri & Sidonis tolerabiliorem, in die judicii, conditionem fore*, Matt. XI. 22. *Servum, qui non novit voluntatem domini, paucioribus plagis cædendum; & avò quis plura acceperit, eò plura etiam ab illo requisitum iri*; Luc. XII. 48.

XXXV. Tertio obiciunt, quòd, si Revelatio necessaria esset, deberet Gentibus omnibus, omnibúsque ætatibus, communis esse. R. Verùm 1. difficultatem hanc Thesi XXX. jam occupavimus; ostendimúsque, Deo quidem dignum fuisse, Ente optimo & sapientissimo, homines devios atque errantes Revelatione illustrare; sed quo tempore, quo loco, quo gradu, quibus modis ac circumstantiis, ipsi videretur; quæ omnia ab ejus arbitrio perfectissimè pendebant. Igitur, quemadmodum varia Entium genera atque ordines produxit Deus, alia animata, alia inanima; alia ratione prædita, alia rationis expertia; alia exquisitæ intelligentiæ, alia debilissimi & angustissimi intellectûs; pari modo, non mirum est, si alios populos Revelatione donaverit, alios solo lumine naturali instruxerit; si aliis Revelationem pleniorem, aliis imperfectiorem, concesserit. Et quemadmodum diei lumen paulatim augescere cernitur, usquedum Sol ad meridiem adscenderit quemadmodum etiam Homines per varias ætates crescere ac adolescere conspiciuntur, eadem ratione haudquaquam mirum est, quòd Revelatio per varios gradus & varia incrementa distributa sit, donec ad meridiem suum, Evangelii tempore, pervenerit; ulteriùs iterùm post hanc vitam perducenda.

XXXVI. 2. Etsi rationes diversitatis illius utplurimùm nos fugiunt, unde Paulus, Ω βάθος, exclamat, *o profunditatem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia, & viæ ejus imperveſtigabiles!* Rom. XI. 33.; dubium tamen non est, quin hæc omnia æquissimè ac sapientissimè à Deo distributa sint, hodiéque distribuantur. Sic v. g. qui insigni quodam veritatis & pietatis contemptu laboraverant, eos

passus est Deus in viis suis errare, sivit eorum *mentes tenebris obnubilari*, imò & iis *dedit efficaciam erroris, ut crederent mendacio*, eos *tradidit cupiditatibus suis*, atque *in mentem reprobam*; quemadmodum Rom. I. & 2. Thess. II. testatur Apostolus. Sic etiam dubitari nequit, quin, dilatâ Revelatione, Deus voluerit homines propriæ imbecillitatis convincere, eósque ad cœlestis lucis desiderium excitare; sicque efficere, ut *vilesceret sapientia humana*, & *nulla caro coram eo gloriari posset*. 1. Cor. I. Sed & hoc quoque indubium est, ex comparatione turpissimi ac desperatissimi Ethnicorum statûs, voluisse Deum *gloriam misericordiæ suæ* illustrare, prout Apostolus Ephes. II. Tit. III. & alibi passim ostendit.

XXXVII. 3. Et hoc quoque observandum, ad plures se extendisse Revelationum divinarum beneficium, quam vulgò existimatur. Ac sanè, antiquissimæ Revelationes, primævis hominibus concessæ, ad universum genus humanum, traditionis ope, dimanârunt: Illæ quidem, progressu temporis, non parùm corruptæ sunt; sed earum tamen manserunt reliquiæ; unde, & Creationis Mundi, & Hominis ad imaginem Dei conditi, & pristinæ innocentiæ, & subsecuti lapsûs, & Diluvii Noachici, & aliorum benè multorum, apud Gentes penè universas, memoria conservata est. Rursùs, ipsa Lex Mosaïca, quæ ad solos Israëlitas primariò directa est, dici non potest quanti usûs, etiam reliquis Gentibus, fuerit; Etenim quamplurimæ Leges, cùm Græcæ, tum Romanæ, ex Legibus Mosaïcis desumptæ videntur: Et Philosophos Ethnicos non paucos, in primis *Pythagoram* atque *Platonem*, ex sacris Judæorum Libris multa didicisse, tum *Aristobulus* & *Josephus* Judæi, tum *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Ambrosius*, *Augustinus*, aliique ex veteribus Christianis, auctores sunt: Unde & Philosophos omnes ac Poëtas, *de Prophetarum fonte potâsse*, *atque ingenii sitim rigâsse*, asserit *Tertullianus*, Apolog. cap. 47. Tandem & ipsa Christiana Religio, non apud eos tantùm Populos, qui eam amplexi sunt, sed & apud alios non paucos, quadantenùs saltem, vim suam exseruit; rectioribus de Deo notionibus,

bus, & benè vivendi præceptis, longè latéque diſſeminatis: ita ut multi etiam ex illis, qui Evangelium reſpuebant, ejus tamen lumine quodammodo illuſtrarentur.

XXXVIII. Denique, quod omnem eximit ſcrupulum, circa inæqualem iſtam Revelationis diſtributionem, illud eſt quod Theſi XXXIV. jam obſervavimus; Nempe unumquemque, pro ratione luminis ſibi conceſſi, à Deo judicatum iri. Certè Paulus diſertè aſſerit, Rom. II. 12. *eos qui ſine Lege peccaverint, ſine Lege peritu o; eos verò qui ſub Lege peccaverint, ex Lege judicandos:* Et Chriſtum audivimus dicentem, *ab iis qui plura acceperint, plura quoque re ui enda eſſe.* Luc. XII. 48. Quæ quidem dicta, Dei Æquitatem ita aſſerunt atque vindicant, ut ne minimus quidem quiritandi Mortalium ulli locus ſuperſit.

XXXIX. Quarto objiciunt, quòd, ſi opus fuiſſet Revelationem dari, talis eſſe deberet, ut de ea dubitari nullo modo poſſet, ſed per ſe evidens eſſet, atque ad aſſenſum Homines cogeret: Cùm igitur nulla ejuſmodi Revelatio habeatur, hinc colligunt Increduli, Revelationem neceſſariam non eſſe. Verum negamus talem Revelationem, qualem ipſi imaginantur, Religionis indoli ac ſcopo, adeóque Dei Sapientiæ, conſentaneam fore. Sanè requiritur Revelatio certa, atque idoneis fundamentis nixa; ita ut vir ſapiens, & veri ſtudioſus, qui ad eam ut par eſt adtenderit, non poſſit non de illius veritate perſuaderi. At verò, ut talia ſint argumenta illa, quæ ab invitis etiam ac reluctantibus aſſenſum extorqueant, id non modò non requiritur, ſed & contrarium requiri adparet. Ac ſanè, ut fideles ab infidelibus, dociles à pertinacibus, probi ab improbis, dignoſcantur, (qui eſt ſcopus Religionis) omninò neceſſe eſt, ut argumenta Revelationem demonſtrantia, certa quidem ſint, & indubitatæ apud viros adtentos ac dociles veritatis, ſed non talis tamen evidentiæ, quæ ad aſſenſum cogat, qualis eſt evidentia principiorum Mathematicorum: Etenim, ſi talis eſſet Religionis evidentia, tunc impoſſibile eſſet non credere, adeóque in credendo nulla virtus eſſet. At verò rebus

bus ita temperatis, ut in divina Revelatione cernuntur, satis quidem lucis est, ut viri probi & adtenti illustrentur; juxta illud Christi, *Si quis voluerit ejus qui me misit voluntatem exsequi, cognoscet de doctrina, utrùm ex Deo sit, an ex me ipso loquar.* Joh. VII. 17. Sed & simul satis est caliginis, ut improbi adfectatæ suæ ignorantiæ & incredulitatis prætextum habeant; unde Paulus 2. Cor. IV. 3. 4. *Si Evangelium nostrum tectum est, tectum est iis qui pereunt, quorum Deus hujus sæculi excæcavit mentes, infidelibus nempe, ne lumen Evangelii gloriæ Christi ipsos irradiet.* Unde & habuit Christus, cur diceret; *Quia me vidisti, Thoma, credidisti: Beati, qui non viderunt; & crediderunt*, Joh. XX. 29. Itaque, non sine gravissimis caussis, Revelationis lux quibusdam est umbris intermixta; ut *per Fidem, non per adspectum, ambulantes*, explorare-mur; útque *Fidei, res speratas exstare facientis, réspque non visas demonstrantis*, tantò major præstantia esset. 2. Cor. V. 7. Hebr. XI. 1.

XL. POSTREMO objiciunt, quòd, si necessaria fuerit Revelatio, propter neglectum atque abusum Luminis Naturalis; nunc etiam nova Revelatio necessaria esset, ob ignorantiam, errores, & vitia Christianorum, quibus Evangelii lumen inutile ferè redditum est. 82. Hæc Objectio sanè non levis est, & eò quidem magis deflenda, quòd malum illud vix negari possit, fiátque Christianorum culpâ, ut Evangelium malè audiat. Verùmtamen, ad vindicandam hac in parte Revelationem, non unum est quod reponatur. Ac sanè 1. post concessam nobis Evangelii Revelationem, nihil ampliùs deest, quô ad divinarum rerum notitiam, officiíque praxim, adducamur. Fecit Deus, eo respectu, quîdquid maximum fieri poterat; neque quidquam est, quod desiderari vel exspectari ampliùs possit. Enimverò, quid sapientius, quid perfectius Doctrina illa, quæ in Sacris Literis habetur? Quænam rectiores Dei ideæ? Quinam præstantior cultus? Quænam præcepta sanctiora, & naturæ nostræ aptiora? Quænam incentiva, exempla, auxilia, ad nos movendos magis idonea? Quid grandius Salute illa, quam

quam Chriſtus nobis peperit? Quid efficacius iis quæ docuit, quæ præſtitit, quæ paſſus eſt, ut ad eam nos adduceret? Quid fortius *terrore* illo *Domini*, quô nos Apoſtoli ad fidem impellunt? Quid ſuavius *viſceribus* illis *divinarum miſerationum*, quibus cordium noſtrorum duritiem emollire nituntur? Igitur, jure Deus poteſt ſic nobiſcum expoſtulare, *Quid erat faciendum vineæ meæ, quod ei non fecerim?* Eſ. V. 4. Si verò quis novam etiamnum Revelationem requireret, ei regeri cum ratione poſſet, non modò, *Habent Moſem & Prophetas*, ſed inprimis, *habent Chriſtum, habent Apoſtolos; Ipſos audiant.*

XLI. 2. Licèt illa Revelatio, quam Chriſto & Apoſtolis debemus, tantos fructus non pepererit, quantos parere apta nata eſt, tamen certum eſt, inde ab ipſo Chriſtianiſmi primordio, utiliſſimam fuiſſe. Ac ſanè, Gentes non paucas, ab idolis mortuis, ad veri Dei notitiam adduxit; non paucas, à ferinis moribus, ad cultiorem vitam revocavit; non paucas, quibus erant conſuetudines crudeles, vel turpia inſtituta, humanitati atque honeſtati, hoc eſt, ſibi ipſis reſtituit: cujus rei notabilia quædam exempla, Theſi XX. à nobis prolata ſunt. Et quis neſcit, quot viri pii in Schola Chriſti inſtituti ſint, præſertim ævô Apoſtolicô, primiſque Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus? Unde inter argumenta illa, quibus veteres Apologiſtæ Religionem Chriſtianam commendabant, unum ex præcipuis erat, exemplaris Chriſtianorum virtus, miráque Chriſtianiſmi hanc in rem efficacia. Hinc *Origenes*, Eccleſias Dei, cum vulgaribus Cœtibus collatas, *tanquam lumina in Mundo*, eſſe aſſerit: *Quis enim non fateatur*, addit ille, *deteriorem Eccleſiæ noſtræ partem, collatam cum vulgaribus concionibus, longè præſtantiorem eſſe? nam Eccleſia Dei, quæ Athenis eſt, verbi gratiâ, manſueta eſt & quieta, quippe quæ Deo, qui ſupra omnes eſt, ſe approbare cupiat; Athenienſis verò populi concio ſeditioſa; Atque idem dicendum de Eccleſia Dei quæ eſt Corinthi, & de Eccleſia quæ eſt Alexandriæ*, &c. Orig. cont. Celſ. Lib. 3. Pariter *Euſebius*, locô jam laudatô, Chriſti doctrinam exinde commendat, non modò quòd *ferini priùs ac bar-*

barbari nationum mores ad leniora ac humaniora inſtituta revocati ſint, ſed & quòd *infinita virorum, mulierum, ac puerorum, ſervorum pariter atque liberorum, ignobilium, & nobilium, Barbarorum pariter atque Græcorum multitudo, omnibus in locis, oppidis, regionibus, ad ſubeundam præceptorum Chriſti diſciplinam denſo agmine confluat, ejusmodique ſermonibus aures præbeat, quibus ad coërcendam, non actionum modò petulantiam, ſed & cogitationum turpitudinem excitetur; quódque nullum non hominum genus divinæ doctrinæ præceptionibus imbuatur; &c.* EUSEB. Præpar. Evang. Lib. I. cap. 4. Unde & *Lactantius*, eximiè, ut ſolet: *Dei præcepta*, inquit, *quantùm valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrenatus: pauciſſimis Dei verbis, tam placidum, quàm ovem, reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis; jam cruces, & ignes, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem: jam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem & ſanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem: continuò & æquus, & innocens erit. Tanta divinæ ſapientiæ vis eſt, ut, in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat..... Num quis hæc philoſophorum, aut unquam præſtitit, aut præſtare, ſi velit, poteſt?* &c. LACT. de falſ. ſapient. Lib. III. cap. 26.

XLII. 3. Ne perditiſſimis quidem temporibus, & pietate maximè vacuis, ſanctiſſima Chriſti diſciplina inutilis exiſtimanda eſt. Præterquàm enim quòd nonnullos ſemper ſinceros Chriſto diſcipulos generat, neque unquam *inanis* planè, ac ſine fructu, *ad Deum redit*, Eſ. LV. 11. certè, vel ſi nihil aliud ageret, eſſet veluti publica quædam graſſantium errorum ac vitiorum cenſura; eſſet divinæ ſapientiæ & ſanctitatis defenſio; eſſet denique velut ſemen quoddam, in terra abſconditum, quod, ſi non hoc vel illo tempore, aſt alio fructum proferet, rémque Chriſtianam inſtaurabit. XLIII.

Digitized by Google

XLIII. 4. Verùm ad prædictam difficultatem, quæ ab exiguis Revelatæ Doctrinæ effectis desumitur, hæc optima ac saluberrima, nobis judicibus, responsio fuerit; si nos ipsos nempe emendemus, divinámque Revelationem, cùm in nobis ipsis, tum in aliis, efficaciorem reddamus. Etenim, hôc factò, plus quàm dictis omnibus, cœlestis Doctrinæ præstantiam invictè demonstrabimus, omnémque cavillandi ansam Incredulis eripiemus. Fiat! fiat!

FINIS.

DISSERTATIO III.

DE

REVELATIONIS EXAMINE ET CHARACTERIBUS.

Habita eſt diſputatio, reſpondente JACOBO THEODORO LE CLERC *Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

POST aſſertam, Theſibus ſuperioribus, *Revelationis neceſſitatem*, ſequitur, ut ad ejus Revelationis, quæ Cœli munere ad nos delata eſt, *veritatem* ac *divinitatem* demonſtrandam jam accedamus. Quod ut feliciùs exequamur, quædam hic in limine præmittenda exiſtimamus; 1. de hujus diſquiſitionis neceſſitate; 2. de Notis, ſeu Characteribus, quibus veræ Revelatio-

lationes à falſis dignoſci poſſunt; 3. de Argumentorum delectu; 4. de Difficultatum ſolutione; 5. de Animi diſpoſitionibus, ad Revelationem, ut par eſt, expendendam requiſitis; denique, de ordine atque methodo, quam hic ſequi inſtituimus.

II. Quanti momenti ſit, in Revelationis veritatem inquirere, neque illam ante admittere, quàm idoneis argumentis confirmata ſit, res per ſe ita clara eſt, ſaltem apud æquos ac prudentes rerum arbitros, ut probari vix indigeat. Cùm enim Religionem Chriſtianam profiteamur, ejuſque divinam originem prædicemus, utique ſapientia poſtulat, ut ſciamus an talis re verâ ſit, & fidei noſtræ fundamenta intelligamus. Etenim credere, & neſcire cur credas, ineptum eſt, & viro ſapiente indignum: Quantò magis eo, qui ſe divinæ ſapientiæ alumnum & candidatum profitetur?

III. Quòd ſi ageretur de re quadam levi, de re quæ, vel nullatenus, vel minimùm ad nos ſpectaret, fortè liceret alienis oculis uti, alieno judicio nos permittere. Sed, cùm agatur de re graviſſima, de re in qua felicitatis atque exitii ratio verſatur, certè neceſſe eſt, unumquemque, quantùm poteſt, ſibi conſulere, ſuæque fidei atque ſalutis fundamenta inveſtigare; In quibus ſi decipiatur, quis ipſi de damno cavere poterit? *Oportet*, ait Lactantius, *in ea re maximè, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuóque judicio ac propriis ſenſibus niti, ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſent, & audita perpendere.* Lactant. Divin. Inſtit. Lib. II. cap. 7.

IV. His accedit, quòd multa ardua, multa carni dura præcipit Religio, qualia hæc ſunt, carnem ſubigere, adfectus frænare, voluptatibus modum ponere; imò &, ſi neceſſe ſit, idque Evangelii cauſa poſtulet, opes, honores, patriam, parentes, fortunas omnes abjicere, quin & vitam ipſam profundere: Quæ omnia, quô animô, quâ ſapientiâ adgrediemur, & ad finem uſque tolerabimus, niſi ſciamus qua de cauſſa jugum

illud ſubeundum ſit, ejuſque rei rationes claras, atque omni exceptione majores, in animo habeamus?

V. Enimverò, inter varias cauſſas illius morum depravationis, quæ obſervatur inter Chriſtianos, hæc una eſt procul dubio ex præcipuis, quòd plerique de veritate Religionis non ſatis perſuaſi ſint; vel ſaltem, cur ei credant, non ſatis perſpectum habeant. Etenim, quî fit ut Mercator, exempli cauſſâ, in rebus ad commercia ſua pertinentibus, adeò ſedulus ſit atque impiger; in rebus verò quæ ad pietatem ſpectant, adeò ſegnis atque incurius? niſi quia perſpicuè videt, ac firmiſſimè perſuaſus eſt, illa ad commodum ſuum pertinere; de Religione verò, vel nullam prorsùs, vel debiliſſimam tantùm, perſuaſionem animo fovet. Si certior eſſet fides, ſi rationes credendi clariùs perſpectæ, utique animum vividiùs adficerent, ipſámque vitam atque mores poſt ſe traherent.

VI. Confirmatur diſquiſitionis hujus neceſſitas, ſi adtendamus, quot ficta Oracula, quot falſæ vel dubiæ Revelationes, ab omni retrò ævo, & apud Gentes univerſas, pro veris Dei Revelationibus venditatæ ſint, hodiéque venditentur. Quo fit ut magna adhibenda ſit cautio, tum ne à falſis decipiamur, tum ne veram repudiemus: Quæ duo extrema æquè periculoſa ſunt: Etenim, falſis admiſſis, ad nullos non errores, ſuperſtitiones, ineptias, imò & flagitia, via panditur; verâ autem repudiatâ, primùm quidem Deo ejus auctori injuria fit, deinde tutiſſima ad ſapientiam & felicitatem via poſthabetur.

VII. Neque verò id à nobis exigunt Viri divinitùs inſpirati, ut ſibi modô cæcô ac ſine examine fidem habeamus. Contrà, ſemper argumenta proferunt, ſemper argumentis pugnant, ut à nobis fidem impetrent. Ita Moſes; ita Prophetæ; ita Chriſtus & Apoſtoli. Laudantur *Beræenſes*, quòd ſine prævia diſquiſitione Apoſtolis non crediderint, Act. XVII. 11. Jubet Paulus *explorare omnia, & quod bonum eſt retinere*, 1. Theſſ. V. 21. Monet Johannes, *ne credatur omni ſpiritui, ſed exploerentur ſpiritus, an ex Deo ſint*, 1. Joh. IV. 1. Denique vult Petrus, ut *ſimus ſemper parati ad rationem ſpei noſtræ unicuique peten-*

petenti reddendam, 1. Petr. III. 15.; Quod ut fiat, ejus fundamenta noſci, adeóque explorari primùm neceſſe eſt.

VIII. Itaque, cùm dicebant Ethnici, *Celſus*, *Porphyrius*, *Julianus*, Chriſtianam Religionem *τυφὸν καὶ ἄλογον πίστιν* præcipere, & Chriſtianos dicere ſolitos, *μὴ ἐξετάζε, ἀλλὰ πίστευσον*, meræ hæ calumniæ erant, quibus Chriſtiana credendi præcepta in alienum planè ſenſum detorquebantur. Nam credere quidem jubemur, ſed non credere ſine cauſſa: Contrà non aliam doctrinam pro divina tenemur admittere, niſi quam à Deo procedere idoneis argumentis demonſtratum ſit; quemadmodum vel ex illis locis, quæ Theſi ſuperiori prolata ſunt, abundè liquet.

IX. Scilicèt, Error quidem latebras quærit. Hinc *ἀπόῤῥητα* illa, nec ſine piaculo unquam vulganda, Ethnicorum myſteria. Hinc & Muhammedicæ legis interdictum, ne de ſacris diſputare liceat. Quinimò datur Secta inter Chriſtianos, quæ, cauſſæ ſuæ meritò diffiſa, *viam examinis* abhorret, ſuáque placita expendi non patitur. At *Veritas nihil erubeſcit, niſi ſolummodò abſcondi*, ut ait Tertullianus. Quam quidem in rem eximia habet Scriptor Pontificius Ludovicus Vives, ſed qui in hoc, ut in multis aliis, parùm eſt Pontificius. *Quòd ſi nihil eſt*, ait ille, *fide noſtra verius, quid rationes reformidamus? quarum nulla eſt contra nos, omnes ſtant à nobis. Rationis quidem umbra & imago pugnare quandoque in nos poteſt, ratio ipſa non poteſt, & illas umbras levi momento lux noſtra diſpellet. Aurea eſt*, addit, *pietas noſtra; aurea, non deaurata. Quò magis ſcarificatur & retegitur, hoc pulchrior & præſtantior exiſtit.* Et mox. *Non eſt ergo nobis metuendum, ne pietas noſtra detractis velamentis fœditatem ullam oculis contuentium oſtendat. Metuant hoc aliæ religiones, falſæ atque umbratiles, in quibus nihil eſt ſolidi, ideóque attingi ſeſe non ſinunt. Judæus gravatur cum Chriſtiano de lege ſua conferre. Mahumetes de ſecta ſua diſputari omninò vetuit. Ne attingatis vitrum tenuiſſimum, falſum, inane, leviſſimo contactu ſtatim friatur. Noſtra religio intùs etiam eſt quàm exteriùs formoſior, ſolidior, firmior. Accedat quivis, tractet, agitet, ſcalpat, modò cum ingenio & judi-*

judicio: *thesauros inveniet latentes* &c. Ludov. Vives, de Verit. Fidei Lib. I.

X. Licet ergo, nec modò licet, sed etiam necesse est, unumquemque, pro captu suo, in Revelationis veritatem inquirere; quò sapientior sit, simúlque firmior & efficacior, nostra persuasio. Nec dicendum, *Nos veritatem habere, adeóque, ut in eam inquiramus, opus non esse.* Quis enim non videat, meram hanc esse *petitionem principii*? Habes Veritatem: Sed quomodo scis, si eam non expenderis? Habes Veritatem: Sed, quicumque errant, nonne idem sibi tribuunt? Enimverò, quî non alia de caussa Christianus est, quàm quia sub cœlo Christiano natus, & à parentibus Christianis institutus, non est cur sibi de Veritatis professione multum gratuletur: Nulla, propriè loquendo, Veritatis reverentia ducitur; Casu tantùm, ac veluti tempestate quadam, ad eam delatus est: futurus pari modo Ethnicus, Judæus, aut Muhammedanus, si à parentibus Turcis, Judæis, vel Ethnicis, genus duxisset.

XI. Frustrà etiam quis objiceret, *Revelationem Fide amplectendam, non verò Rationis examini subjiciendam esse.* Etenim, ut jam diximus, Fides quidem requiritur, sed non fides cæca, & rationibus destituta. Credendum; sed sciendum, cui credatur, & cur credatur. Alioqui, Fides Christiana esset inanis credulitas, ac mera pertinacia: Cùm contrà, tanquam assensus sapientissimus, tanquam *Sapientia inter perfectos*, in Scriptura describatur.

XII. Quod enim aiunt, *Revelationem ad Rationis normam exigendam non esse*, id distinctione opus habet. Nam verum quidem est, quæ Deus revelat, non ideò rejicienda, quòd solo Lumine Naturali non innotescant. Certum est etiam, in rebus divinis, imò & in omni rerum genere, multa esse quæ à Ratione perfectè non comprehendantur. At verò Rationis usum, seu ratiocinandi facultatem, qua à Deo donati sumus, in Revelatione audienda, expendenda, atque exponenda, adhibendam non esse, id non modò per se absurdum est, sed & ipsa Religionis fundamenta prorsùs evertit. Etenim, hôc positô, nec

nec de veritate Revelationis conſtare unquam poterit, nec ejus ſenſus intelligi, neque ulla de rebus ſacris ratiocinia fieri, adeóque nos ſemper hærere, ac Pyrrhonios eſſe oportebit.

XIII. Nil juvaret etiam objicere, *Fidem eſſe donum Spiritûs Sancti, adeóque humanis ratiociniis comparari ac firmari non poſſe.* Etenim Spiritus S. non agit in nobis modò exclò, ſed per rationes menti propoſitas; Quæ, quò meliùs diſcutiuntur atque expenduntur, eò fortiores adparent, & validiorem adſenſum ingenerant. Abſque hoc foret, Fides noſtra merus eſſet Enthuſiaſmus; neſciremus cur credamus; nulláque non ſtulta ac abſurda hoc obtentu admitti poſſent.

XIV. Plus coloris eſt in eo quod objiciunt, *Examen illud, quod requiritur ad Revelationis veritatem dignoſcendam, plerumque inter Chriſtianos captum ſuperare.* Verùm illam difficultatem ſuprà jam occupavimus, dum diximus Th. X., debere unumquemque, *pro captu ſuo*, huic ſtudio incumbere. Nec enim exiſtimandum eſt, Deum quidquam ab ullo requirere, quod ejus captum excedat. Itaque, dum nos jubet *explorare omnia*, & *probare Spiritus an ex Deo ſint*, & alia ejuſcemodi, vult ſolummodò, ut, quantùm poſſumus, & quantùm ferunt circumſtantiæ in quibus verſamur, Veritati exquirendæ ac inveſtigandæ operam demus: Eodem modo, quô, dum jubemur eleemoſynâ pauperes juvare, id pro cujuſque facultatibus intelligendum eſt; ſiquidem *quiſque acceptus eſt pro eo quod habet, non pro eo quod non habet*, ut ait Apoſtolus, 2. Cor. VIII. 12.

XV. Neque profectò ita arduum eſt, & ſupra vulgus poſitum, ſtudium illud Religionis, ſi modò rectè inſtitutum, ut prima fronte videtur. Etenim non unum eſt rationum genus, quibus veritas Revelationis dignoſcatur. Si quædam ſint altioris indaginis, & quas vulgus facilè non capiat, aliæ dantur planiores ac faciliores, adeóque ad captum vulgi magis adcommodatæ. Rursùs, poteſt quidem plebeius Veritatis luce adfici, etiamſi ad animi ſenſa explicanda non ſit idoneus. Poteſt argumentis pro Veritate militantibus perſuaderi, licèt fortè difficultates enodare non valeat. Denique & hoc quoque adjun-

gendum, multa quidem plebeium per ſe retegere non poſſe, ſed quæ, alio docente atque exponente, ab eo percipientur. Verùm de hac materia ſatis. Ad ſequentia pergimus.

XVI. NOTÆ, ſeu CHARACTERES, quibus veræ Revelationes à falſis dignoſcantur, hæ præ cæteris ſtatui poſſunt. PRIMA NOTA. *Nihil, quod Lumini Naturali adverſetur, poteſt à Deo revelatum eſſe.* Poteſt quidem Deus ea revelare, quæ ſolo Lumine Naturali non innotuiſſent. Poteſt etiam ea revelare, quæ à Lumine Naturali perfectè comprehendi non poſſunt. At verò, ut aliquid revelet, quod Lumine Naturali contrarium ſit, fieri neutiquam poteſt.

XVII. Rationes hujus rei evidentes ſunt. Cùm enim Deus, qui Revelationis auctor eſt, ſit etiam auctor Rationis, ſibique ipſi contradicere non poſſit, fieri omninò nequit, ut aliquid per Rationem, contrarium verò per Revelationem, nos doceat. Præterea, ſi aliquid Rationi contrarium à Deo revelaretur, ac proinde verum eſſet, certè veritas Revelationis nullo argumento probari poſſet; ſiquidem argumenta omnia Rationis principia ſupponunt, eiſque innituntur. Denique, ſi aliquid Rationi contrarium poſſet verum eſſe, nos Pyrrhonios eſſe oporteret, omniſque non Ratio modò, ſed & Religio peſſumdaretur.

XVIII. Quòd ſi verò nihil abſurdum, & Rationi contrarium, multò minùs *res contradictoriæ*, ac ſibi ipſis repugnantes, pro divinitus inſpiratis haberi poſſunt. Etenim res contradictoriæ ſunt eæ quæ ſimul ſtare nequeunt, eæ quarum una alteram tollit; ut ſi dicas, *circulum quadratum, montem ſine valle, baculum ſine duobus extremis; Corpus humanum, & non Corpus humanum; Corpus unum, & corpus non unum; Corpus quod à ſeipſo diſtet, & quod plus à ſeipſo diſtet, quàm à ſeipſo diſtat*, &c. Quæ omnia talia ſunt, ut non modò credi non debeant, ſed ne credi quidem poſſint, quantàcunque auctoritate veſtita proponantur. Etenim, qui dicit *circulum*, eò ipsò negat *quadratum*; & qui dicit *quadratum*, eò ipsò negat *circulum*: ac proinde, ne mens quidem Angelica, intellectis terminis, *Datur*

tur circulus quadratus, iis adſenſum præbere poteſt; tantùm abeſt ut ea pro certiſſimis, ac divinitùs revelatis, haberi queant.

XIX. Igitur, cùm aliquid ejuſmodi tanquam divinitùs revelatum proponitur, unum ex tribus dici neceſſe eſt; vel verba, unde id colligitur, alio modo eſſe exponenda; vel loca illa eſſe ſpuria; vel denique libros ipſos, unde hæc deſumpta ſunt, divinam Revelationem non continere. Etenim, ut dicatur Deus, voces ſenſu vacuas, propoſitiones ſeipſas evertentes, vel alia abſurda, docere, id verò eſt quod cum ejus ſapientia ac veracitate conſiſtere nequit.

XX. Verumtamen hîc cavendum eſt, ne tanquam indubitata Rationis principia ſupponantur, quæ talia re verâ non ſunt; item, ne ἐναντιοφανῆ, ſeu contradictiones adparentes, cum veris contradictionibus confundantur; eôque obtentu, Doctrinæ quædam à Deo revelatæ repudientur, vel ipſa etiam Revelatio rejiciatur: Quam quidem Incredulorum, aliorúmque nimio plus ſapientium, culpam eſſe quotidie cernimus. Sic, quot fuerunt, ſuntque etiamnum, qui, vel *Creationem ex nihilo*, vel *mortuorum Reſurrectionem*, vel *Dei Providentiam in peccato permittendo*, aliáque ejuſmodi dogmata, cum Ratione pugnare contendant, eáque de cauſſa Revelationi dicam ſcribant? cùm tamen hæc omnia, ritè penſitata, cum Ratione optimè conſentire deprehendantur.

XXI. Secunda Nota hæc eſt. *Nihil quod cum anteriori Revelatione pugnet, poteſt à Deo revelari.* Ratio hujus notæ eadem eſt quæ ſuperioris. Cùm enim verum vero contrarium eſſe non poſſit, Deúſque ſibi ipſi contradicere nequeat, fieri non poteſt, ut certo tempore iſtud, alio verò contrarium doceat. Poteſt quidem imperfectior Revelatio à perfectiori ſuppleri; ut in Novo Teſtamento, reſpectu Veteris, factum eſt. Poſſunt, mutatis temporibus, imperfectiores leges antiquari, & perfectiores ſuccedere. Verùm ut idem, modò pro vero, modò pro falſo ſtatuatur, illud eſt quod Dei ſapientia ac veritate planè indignum eſt.

XXII. Tertia Nota hæc eſto. *Ut Doctrina quædam à*

Deo revelata existimetur, necesse est ut insigni quadam præstantia sese commendet, quâ ad Gloriam Dei, Hominum Sanctitatem, eorúmque Felicitatem, tendat. Si hæc desint, Doctrina aliqua Deo digna judicari nequit. Sed si adsint, magnum illud est divinitatis indicium: Præsertim si Doctrina illa non modò his se dotibus commendet, sed & cæteras omnes Doctrinas, etiam Virorum præstantissimorum & exceltissimorum, longo intervallo post se relinquat; sique illi qui eam primi docuêre, per se rudes fuerint, & ad talia excogitanda prorsùs inepti.

XXIII. QUARTA NOTA. *Ut Doctrina quædam Deo auctori inscribatur, dari necesse est conspicua quædam ac irrefragabilia divinæ originis indicia; qualia sunt, præ cæteris, Miracula, & Prophetiæ.* Absque hac nota, illud tantùm probari potest, Doctrinam aliquam Deo indignam non esse: Itaque ultima hæc nota necessaria est, ut constet eam re verâ à Deo prodiisse. Fateor equidem, quicquid verum est, quicquid Lumini Naturali consentaneum, vel hoc ipso *Divinum* esse: Quis enim neget, Rationis lumen, *quod omnem hominem illuminet*, à Patre luminum procedere? Verùm, ut aliquid extra ordinem Revelatum existimetur, extraordinaria quædam divinatis indicia dari necesse est. Id persuasum Gentibus omnibus, atque omni ævo, fuit: Neque mirum, si Moses & Prophetæ, Christus & Apostoli, talibus sigillis muniti prodierint.

XXIV. Ad ARGUMENTA quod adtinet, quæ in hac materia usurpantur, quædam etiam præmonenda sunt. Igitur observamus, pro vario rerum genere, varia etiam Argumentorum genera adhiberi; in rebus physicis, argumenta physica; in rebus Mathematicis, argumenta mathematica; in rebus Historicis atque Moralibus, argumenta moralia. Qui verò in rebus Historicis aut Moralibus, argumenta Mathematica requireret, is profectò non modò iniquus, sed etiam ineptus esset.

XXV. Quamvis verò Argumenta Moralia atque Historica, non eandem evidentiam pariant cum argumentis mathematicis, tamen suo in genere non minùs solida sunt, modò accuratè instituan-

tituantur. Sic v. g. quòd grati animi ſenſus ſit aliquid laudandum, contrà ingratus animus ſit aliquid culpandum, id mathematicè quidem probari nequit, ſed tamen apud viros ſobrios & ſapientes indubitatum eſt. Sic etiam, quòd Urbs quædam exiſtat ad Boſphorum Thracicum, quæ dicitur Conſtantinopolis; quòd olim vixerint Alexander, Julius Cæſar, Auguſtus; quòd Alexander Darium vicerit, Julius Cæſar Pompeïum; quòd ver hyemem excipiat, æſtatem autumnus; Ea omnia, quamvis Mathematicis argumentis non demonſtrata, tamen ita firmè creduntur, ut ne minimus quidem dubio locus ſuperſit.

XXVI. Igitur, in expendenda Revelationis veritate, non alia Argumenta requirenda ſunt, niſi qualia fert natura rerum: ac proinde iniqui eſſent, qui evidentiam mathematicam aut metaphyſicam hic poſtularent. Sufficit, ſi Facta Evangelica, v. g. eodem genere argumentorum probentur, quibus probantur Facta omnia vetera; & ſi γνησιότης Librorum Sacrorum eodem genere argumentorum probetur, quibus probatur γνησιότης Librorum omnium; & ſi Præceptorum Evangelicorum ſanctitas eò modò adſtruatur, quò notiones omnes Morales adſtrui ſolent. Aliquid ultrà requirere, æquitati ac ſapientiæ adverſum eſſet.

XXVII. Hinc porrò ſequitur, Argumenta illa, quæ pro veritate Revelationis adducuntur, non ſeorſim ſpectanda eſſe, ſed omnia ſimul jungenda, ut eorum robur majus ſit, & vividiùs mentem adficiat. Ac ſanè, id in rebus Moralibus, ac Hiſtoricis, ſolemne eſt. Nam, v. g. ut probetur dari Urbem Romam, ſingulorum hominum qui id teſtantur, teſtimonium ac auctoritas ſeorſim non eſt ſpectanda; etenim ad ſingulos fortè nonnihil excipi poſſet: At verò, ratio poſtulat, & uſus etiam communis docet, illa omnia teſtimonia conjungenda eſſe, neque quiſquam eſt ſanæ mentis, qui omnibus illis teſtimoniis ſimul junctis fidem deneget. Pari modo, ſi argumenta, pro Revelationis veritate militantia, ſeparatim ſumerentur, aliquid fortè nonnunquam in contrarium excipi poſſet: At, ſi omnia ſimul jungantur, hinc potentiſſima apud viros ſobrios, & ratione rectè utentes, orietur demonſtratio.

XXVIII. Verumtamen, id ingenuè confitendum eſt, potuiſſe Deum, ſi voluiſſet, veritates Religionis majori evidentia donare. Poterat nimirùm res ita diſponere, nóſque ipſos tales efficere, ut de rebus ad Sacra ſpectantibus non magis dubitari poſſet, quàm de principiis mathematicis. Imò poterat (quis enim neget?) nos omnes *infallibiles* ac *impeccabiles* præſtare. At verò, ſi ſic egiſſet, nullus hominum explorationi, nullus pœnis atque præmiis, nullus proinde Religioni locus fuiſſet. Maluit ergo, pro ſua ſapientia, veritatum ſacrarum lucem umbris quibuſdam diſtinguere, ut Religio veluti Lapis lydius eſſet, quô ingenia explorarentur. Satis eſt lucis, ut, qui ſunt dociles, & veri ſtudioſi, ad veritatem adducantur; ſed & ſimul ſatis umbrarum, ut, qui quærunt tenebras, & tenebris delectantur, in iis maneant. Quæ quidem obſervatio, aliô jam locô à nobis propoſita, ſummi eſt in Theologia momenti; & ad Religionem, ut par eſt, intelligendam, ac defendendam, plurimùm facit.

XXIX. Cæterùm, ſingulari Dei bonitate & ſapientia factum eſt, ut pleraque Argumenta, & argumenta quidem potentiſſima, pro veritate Revelationis, plana eſſent, facilia, omnium captui adcommodata. Ac ſanè, quid planius inter homines, quid omnium captui adcommodatius, quàm Facta quædam conſpicua, in oculos incurrentia, qualia fuerunt Miracula Chriſti, ejus Reſurrectio, &c.? Non hæ ſunt ſpeculationes Philoſophicæ, non ratiocinia longè petita, non longa ſeries principiorum, & conſectariorum ex illis deductorum. Sunt Facta clara, quæ à teſtibus oculatis referuntur, & à talibus quidem teſtibus, ut eorum teſtimonium omni exceptione majus ſit. Pariter, quid clarius eſt, ſaltem apud viros adtentos, & veri ſtudioſos, quàm notiones Divinarum Perfectionum, ut & principia illa Moralia, quæ omnium *cordibus inſcripta eſſe* docet Apoſtolus? Quæ ſi adtentè conſiderentur, & cum Doctrina Revelata conferantur, hujus præſtantiam ac divinitatem in aperta luce collocant; quemadmodum ſequentibus Diſſertationibus, ſi Deus dederit, demonſtratum dabimus.

XXX.

XXX. Et hæc quidem de *Argumentis*. Sequitur, ut de Difficultatibus, quæ contra Revelationem moveri ſolent, generalia etiam nonnulla præmittamus. I. Primò igitur obſervandum eſt, Scientias omnes, variis difficultatibus, iiſque aliquando inſuperabilibus, obnoxias eſſe. Etenim hæc eſt mentis noſtræ imbecillitas, ut nullam ferè rem perfectè noſcamus, utque in rebus maximè obviis, ſi illas penitus ſcrutari velimus, maximas nonnunquam difficultates, & maxima dubia reperiamus. Sic, quid magis obvium videtur, quàm materia, motus, lumen, colores, &c.? Quid notius nobis eſſe debet, quàm ipſa Mens noſtra, ejuſque facultates, quàm ideæ noſtræ, libertas, memoria, facultas movendi corporis? Et tamen, in his omnibus, inſuperabiles occurrere difficultates, nemo eſt Philoſophus qui non fateatur. Itaque, ſi res omnes, etiam naturales, etiam maximè obviæ, plurimis difficultatibus laborent, nec tamen impediant difficultates illæ quominus eas credamus, non mirum eſt ſi Religio ſuis etiam difficultatibus obnoxia ſit; neque difficultates illæ fidem noſtram convellere debent, etiamſi eas perfectè enodare non valeamus.

XXXI. II. Id ulteriùs confirmatur, cùm adtendimus, qua de re agat Religio; nimirum de Infinito, de Dei natura, conſiliis, operibus, agendi ratione, aliiſque huc pertinentibus: quæ omnia nos ſuperare, mirum non eſt. Cùm enim ſimus finiti, certè Infiniti cogitatio nos veluti abſorbet, quamvis interim de rebus ipſis dubitare nequeamus. Sic, ut ſæpe monuimus, neceſſe omninò eſt, ut aliquid æternum fuerit; nam ſi nihil æternum fuiſſet, nihil hodie exiſteret: Attamen ipſa illa Æternitatis cogitatio (quodcunque tandem æternum ſtatuatur) quantis difficultatibus obnoxia adparet? Pariter, Materiam in infinitum divisibilem eſſe, non phyſicis modò, ſed & mathematicis argumentis demonſtratur: Et tamen, quis difficultates inde emergentes perfectè ſolvat? Quòd ſi igitur Infinitum omne, eo ipſo quod eſt infinitum, nos tantoperè ſuperet, quid mirum, ſi Dei natura, proprietates, conſilia, ingenii noſtri captum excedant, & quammaximis difficultatibus obnoxia cernantur?

XXXII. III. Verumtamen distinctio quædam hîc sedulò adhibenda est. Nam, si illæ Difficultates, quæ contra Religionem proponuntur, illius essent naturæ, ut lumen naturale evidenter destruerent, vel contradictiones claras & propriè dictas inducerent, tunc sanè difficultatibus illis cedendum esset. Etenim lumen lumini non est contrarium; Et Deus sibi ipsi contradicere non potest. Verùm, si illæ difficultates, quibus Religio obnoxia est, nos solummodò superent, sive ob limites mentis nostræ, sive quòd materia circa quam versantur nobis plenè comperta non sit, sive ob aliam eausſam ejusmodi, (quemadmodum difficultates quæ spectant ad naturam Æternitatis, vel ad divisionem Materiæ) tunc illæ obstare non debent, quominùs veritatem Revelationis firmissimè teneamus, postquam illa semel idoneis argumentis demonstrata est.

XXXIII. IV. In expendendis Difficultatibus, quæ contra Revelationem proponuntur, distinguenda est ipsa Religio, qualis à Deo tradita est, à variis subtilitatibus, variisque ineptiis, quibus eam Homines inerustârunt. Ac sanè, si adtentè ad rem advertimus, patebit multas difficultates, nonnisi ideas Scholasticas, ac humana commenta, impugnare, non verò ipsam Religionem, qualis in Sacris Literis habetur; si modò illa, ut par est, & missis præjudicatis opinionibus, intelligatur.

XXXIV. V. Rursùs, in examine Difficultatum, operæ pretium est, ipsam Religionis essentiam, ab iis quæ ad ejus essentiam non pertinent, distinguere. Nam, quæ ad ejus essentiam spectant, meritò proponuntur, & sedulò expendendæ sunt: At verò, quæ circa externa tantùm versantur, velut difficultates Chronologicæ, Geographicæ, Criticæ, vel aliæ ejusdem generis, illæ magni non sunt momenti; & quomodocunque de his judicetur, Religionis essentia immota manet. Et tamen hujus sunt generis pleræque omnes difficultates, quæ à *Spinosa*, aliisque Incredulis, contra Revelationis veritatem proferuntur.

XXXV. VI. Scilicèt observandum est, Religionem, cùm Judaïcam, tum Christianam, vetustis quibusdam Libris contineri,

neri; iis Linguis ſcriptis, quæ pridem exſtinctæ ſunt; & quibus frequenter adluditur ad mores, conſuetudines, inſtituta, à noſtris quammaximè diſcrepantia. Igitur, non mirum eſt, ſi ex ignorantia illarum Linguarum, & illarum conſuetudinum, innumeræ difficultates exſurgant, quæ, cognitis illis Linguis, illiſque moribus, ſtatim evaneſcerent. Quinimò plurima, illis temporibus, atque in illis regionibus, trita erant ac familiaria, quæ nobis ſtupenda, ac ridicula nonnunquam videntur. Si ad hæc adtenderimus, in legendis Libris Sacris, & expendenda Religione, Difficultates hujus generis non multùm negotii nobis faceſſent.

XXXVI. VII. Quid, quòd multæ Difficultates, quæ contra Revelationem proponi ſolent, ſi propiùs ad rem advertimus, debiliſſimis niti fundamentis deprehenduntur. Exempli cauſſà, multæ hoc unico principio nituntur, quòd *illa quæ hodie non fiunt, olim fieri non potuerint.* Quis autem non videat, quàm debile ſit, imò & quàm ineptum, principium illud? Etenim, quis neſcit, plurima hodie fieri, quæ olim ignota erant, & plurima quoque olim viſa, quæ non ampliùs conſpiciuntur? Sic v. g. cùm primùm in Americam navigatum eſt, cùm primùm reperta eſt pixis nautica, cùm primùm pulvis pyrius, vel tormenta bellica inventa ſunt, an hæc ideò neganda erant, quòd ſimilia priores ætates nondum vidiſſent? Viciſſim, dum legimus deſcriptiones Veteris Romæ, & pompam illius gentis, an illa neganda ſunt, contra fidem Hiſtoriæ omnis, eò quòd nihil ſimile diebus noſtris cernere liceat? Atqui non plus rationis eſt, in multis, tum adverſus Miracula, tum adverſus alias Hiſtorias ſacras, Incredulorum noſtrorum Objectionibus.

XXXVII. VIII. Denique obſervandum, quòd, quantæcunque contra Revelationem proponantur Difficultates, attamen credendi rationes longè potiores ſint, adeóque ipſimet Increduli longè majoribus, quàm nos, difficultatibus premantur. Verùm hæc omnia, in genere tantùm hic notata, ex ſingulorum examine, ſecuturis Theſibus inſtituendo, clariùs, Deo dante, eluceſcent.

XXXVIII. Verbum addendum de ANIMI DISPOSITIONIBUS, ad hæc ſtudia, ut par eſt, tractanda requiſitis. Hic ergo requiritur, 1. ſincerum *Veri ſtudium*; quô quicunque deſtituuntur, in tanti momenti negotio, ii profectò ſui ipſorum parùm amici exiſtimandi ſunt; 2. *diligentia* atque *adtentio*, in iis omnibus conquirendis atque expendendis, quæ lucem hic præbere poſſunt; 3. *modeſtus* ac *ſapiens* agendi modus, quô non nimium ſibi tribuatur, quô nihil temerè, nihil præcipitanter, in re tanta, pronuntietur, ſed omnia maturè conſiderentur atque ponderentur, prudenſque medium ſervetur inter duo extrema, nimiam credulitatem, & animum ad nihil credendum obfirmatum; 4. *Præjudicatarum opinionum depoſitio*, quibus profectò non paucis, neque levibus, laborant Increduli, quamvis ſe omnes exuiſſe perpetuò jactent. 5. *Adfectuum*, *præſertim vividiorum ac turbulentiorum*, *ſilentium*: Etenim dici non poteſt, quantùm ſuperbia, v. g., gloriæ ſtudium, voluptatum amor, aliáque omnis generis vitia, Religionis ſtudio noceant, & à veritatis cognitione animum avertant; Quæ cauſſa fuit, cur Chriſtus Judæis diceret, *Quomodo poteſtis credere, cùm gloriam hominum quæratis, non verò gloriam quæ à Deo eſt?* Joh. V. 44. 6. Denique, quod reliquorum omnium caput eſt, hic requiritur *Dei reverentia*, *ei placendi ſtudium*, *ejúſque auxilii imploratio*: Quæ ſi deſint, omnia deſunt; ſi adſint, nihil deficit, quô labor iſte, ut par eſt, & cum fructu, promoveatur; Unde Chriſtus, *Si quis velit ejus qui me miſit voluntatem exſequi, cognoſcet de Doctrina, utrùm ex Deo ſit, an ex me ipſo loquar.* Joh. VII. 17.

XXXIX. Si eô modô procedatur, equidem nulli dubitamus, quin Revelationis veritas facili negotio dignoſci poſſit; In eáque ſumus ſententia, honeſtum DEISTAM, ſi modò talis reperiatur, ſibíque ipſi conſtet, Doctrinam Chriſtianam, quâ nihil pulchrius ac utilius eſt, lubentiſſimè auditurum, ac de ejus divinitate facillimè perſuaſum iri. Etenim miram deprehendet, inter naturales Dei ideas, conſcientiæque ſuæ dictamina, & cœleſtem hanc Lucem, conſonantiam. Optabit ve-

ra

ra esse quæ Christus docuit, & optando persuadebitur. Neque dubium, quin ejus conatibus, si modò Verum sincerè quærat, Deóque placere studeat, Dei gratia adsutura sit, quemadmodum in *Cornelio*, Eunucho Candaces Reginæ, aliisque visum est. Unde *Pothinus*, Lugdunensis ante Irenæum Episcopus, martyrio proximus, interrogatus à Præside, *quisnam esset Deus Christianorum*, Ἐὰν ἦς ἄξιος, γνώσῃ, *Si dignus fueris, cognosces*, respondit. *Epist. Lugd. & Vienn.* ap. Euseb. H. E. Lib. V. cap. 1.

XL. Ordo tractandorum hic erit. Cùm duæ præcipuè Revelationes à Deo concessæ sint, *Judaïca*, & *Christiana*, prior per Mosem & Prophetas, posterior atque perfectior per Christum & Apostolos, de utriusque veritate distinctè agemus. Utramque autem demonstrabimus, primùm ex *Doctrinæ præstantia*, adnexisque circumstantiis; deinde ex *Factis* illustribus, nempe *Miraculis* & *Prophetiis*, quibus illæ confirmatæ sunt. Unà autem cum *Argumentis* pro veritate militantibus, præcipuarum *Difficultatum* solutionem adjungemus. Faveat Deus huic nostro cœpto, ad ejus gloriam unicè directo; Eique sit laus, honor, gloria, in perpetuum. Amen.

FINIS.

DISSERTATIO IV.

DE VERITATE RELIGIONIS JUDAICÆ.

Habita eſt diſputatio, reſpondente AMADEO LULLIN *Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

CUM conſtet ex ſuperioribus, quàm neceſſaria Humano Generi aliqua Dei Revelatio fuerit; eáque Principia à nobis poſita ſint, quibus veræ Revelationes à falſis dignoſcerentur; videndum jam, An alicubi terrarum exiſtat, &, ſi exiſtat, ubinam ſit, illa Dei Revelatio quam quærimus? Miſſis autem aliis Gentibus, quæ de divinis Revelationibus gloriaban-

tiabantur, ſed Revelationibus abſurdiſſimis, & nullo fundamento nixis, placet adire in præſentia ſolos Judæos atque Christianos, qui de Deo haud paullò ſaniùs quàm cæteri omnes ſentire videntur, & quorum ſi Religiones veræ eſſe deprehendantur, cæteras omnes mendaces eſſe neceſſe eſt.

II. Ergo ut à Judæis ordiamur, fuit ei Genti, inde ab antiquiſſimis temporibus, Religio, minimè quidem perfecta illa, præſertim ſi cum Doctrina Chriſtiana conferatur, ſed tamen eximia, ad ſummam quod attinet, & à cæterarum omnium Gentium inſtitutis diverſiſſima. Dicunt nimirùm, ut Humani Generis, ita & Gentis ſuæ capita, *Adamum*, *Noachum*, *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Jacobum*, aliósque, à Deo non ſemel adflatos eſſe; variáque, quæ, cùm ad Dei notitiam atque conſilia, tum ad vitæ inſtitutionem, pertinerent, à Deo accepiſſe. At integrum illud Doctrinæ Corpus, quod ſuæ Religionis ac Politiæ norma eſt, ſe *Moſi* debere adſerunt; qui illud, adſpirante Deo, Majoribus ſuis tradiderit, imò & literarum monumentis conſignaverit: Quod & poſtea ab aliis Vatibus, vario tempore exortis, confirmatum ac illuſtratum eſt. Et hæc quidem omnia Libris Moſaicis & Propheticis continentur; quos *Vetus Teſtamentum*, ſeu *Vetus Fœdus*, dicimus.

III. Veritas Religionis Judaïcæ, viâ facillimâ atque breviſſimâ, apud Chriſtianos demonſtrari poteſt; Chriſti nempe & Apoſtolorum auctoritate, qui eam ubique ſupponunt, & divinam eſſe confirmant. Sed cum ſua etiam non deſint Judaïcæ Religioni argumenta propria atque directa, ab his incipiendum ducimus: Quæ deinde, poſt demonſtratam Chriſtianiſmi veritatem, non parùm confirmabuntur.

IV. Duplici autem ratione Judaïcæ Religionis veritas directè demonſtratur: Primùm, ex ipſa *Doctrinæ* præſtantia, quæ re verâ ita ſapiens eſt, & ſupra cæterarum omnium Gentium opiniones atque inſtituta adeò excellit ac ſupereminet, ut vel hinc cœleſtis ejus origo non temerè colligi queat: Deinde ex *Factis* quibuſdam illuſtribus, *Miraculis* nempe atque *Prophetiis*, quæ divinam hujus Doctrinæ auctoritatem extra omnem du-

bitationis aleam collocant. De ſingulis hiſce, quàm breviter & quàm dilucidè fieri poterit, verba faciemus.

SECTIO PRIMA,

Quâ probatur JUDAICÆ RELIGIONIS *veritas, ex ipſa* DOCTRINÆ *præſtantia & circumſtantiis.*

V. In DOCTRINA JUDAÏCA, tria præ cæteris diſtingui poſſunt, DOGMATA, LEGES, HISTORIÆ; quibus & PROPHETIAS adjungeremus, niſi de iis peculiari capite dicendum eſſet. In his verò omnibus, tanta elucet vis, tanta majeſtas, tanta ſapientia, in primis ſi cæterarum Gentium monumentis opponantur, ut non obſcuri divinitatis caracteres inde emineant.

VI. Nam, ut dicamus primùm de DOGMATIBUS, & quidem de eo Dogmate, quod cæterorum omnium caput eſt, quænam unquam Gens, imò quænam Philoſophorum familia, de DEO ita præclarè ſenſit, atque ita dignè locuta eſt, ut Doctrina Judaïca? Cùm enim cæteræ omnes Gentes inſanam Deorum multitudinem admitterent, & viliſſimas Creaturas in Deorum cenſum referrent, iſta Judæorum Doctrina Deum unicum ſtatuit, Conditorem Cœli ac Terræ, qui ſemper fuit, ac ſemper erit; cujus vel ipſum nomen, quô ſeſe Moſi patefecit, ita eximium eſt, & ſupremo illo Ente dignum, ut nihil majus cogitari queat. *Ego ſum qui ſum*, dixit, ſeu, quod idem eſt, *Ego ſum Jehova*: quod neceſſariam Dei exiſtentiam, & durationem terminis carentem, optimè innuit. Et is quidem Deus, quæcunque exiſtunt, maxima, minima, cœleſtia, terreſtria, animata atque inanima, ſolo imperio, ſolo verbo, condidiſſe dicitur; *Fiat lux, dixit, & lux facta eſt*: Qui locus, vel ipſis Ethnicorum Rhetoribus, *Longino* nempe, harum rerum non inepto judici, quammaximè ſublimis

blimis & Deo dignus viſus eſt. Ut verò rerum omnium conditor, ita & omnium moderator atque dominus in Religione Moſaica exhibetur; Potentiſſimus, qui, quæcunque lubet, in Cœlis & Terra facit; Oculatiſſimus, qui corda & renes ſcrutatur, qui res futuras noſcit & prænuntiat, Sapientiſſimus, Juſtiſſimus, Sanctiſſimus, Veraciſſimus, ac ſpeciatim Optimus: Quæ omnia Dei adtributa, apud Ethnicos, etiam Sapientes, miſerè utplurimùm obſcurata fuerant; in Religione verò Judaïca mirum in modum illuſtrantur. Rursùs, Dei Magnitudo, in hac Judæorum doctrina, ὑπερτατότητι verbis depingitur; dum dicitur *Cœlum thronus ejus*, & *Terra ſcabellum pedum ejus*; dum dicitur *montes & colles ad bilancem appendere*; dum dicuntur Gentes omnes terræ, ſi cum eo conferantur, nihil aliud eſſe quàm velut *gutta quæ ex ſitula deſluit*, vel tanquam *puviſculus qui bilanci adhæret*: Quæ ideæ ſanè, infinitam Dei Majeſtatem, & nihilum Creaturarum, graphicè deſcribunt. Porrò Judæorum Deus res humanas adtentè obſervat, & ſanctiſſimè moderatur; eſt mali oſor acerrimus, contrà pietatem & ſanctitatem præcipit perpetuò atque commendat: Neque ſolùm ſanctitatem externam, ſed præcipuè internam, animi nempe atque adfectuum; Vel, ſi quem Cultum externum requirit (qua de re infrà dicetur) ſemper monet, Cultum illum externum ſine interno inutilem eſſe. Denique, ut terribilis adversùs impios, contrà benigniſſimus ac munificentiſſimus erga pios deſcribitur; dum pollicetur, ſe *ipſorum Deum* peculiari ratione futurum, ipſorum *ſortem ac hæreditatem*, ipſorum *clypeum & mercedem magnam*; ſe eos *cibaturum deliciis ſui*; ſe daturum iis *gratiam & gloriam*, neque *quidquam boni iis negaturum*, &c. Quæ quidem omnia ita ſunt magnifica, & cum naturalibus Dei notionibus ita aptè congruunt, ut, ſi Deus ſe ſe revelare Humano Generi unquam voluerit, non aliam potuerit ſui ideam tradere.

VII. Et hæc quidem Dei idea, quanquam ſapientiſſima per ſeſe, & Lumini naturali convenientiſſima, tamen, quod miréris, Judæorum propria fuit, & à cæterarum omnium Gentium,

tium, etiam excultiſſimarum, & doctrinæ laude præſtantiſſimarum, notionibus alieniſſima. Cùm enim, in aliis Religionibus, Dei majeſtas vileſceret, & modò cum Sole ac Stellis, modò cum Terra, Mari, Fluminibus, Montibus, Sylvis, modò cum Hominibus pridem defunctis, & nonnullis quidem turpiſſimis ac ſceleſtiſſimis, modò cum brutis animantibus, modò cum ipſis hortorum plantis, modò cum aliis neſcio quot humani cerebri figmentis confunderetur, contrà Religio Judaïca immenſum diſcrimen, inter Deum & hæc omnia, ſtatuit; Deos Gentilium falsè irridet; Vocat eos *Deos ſtercoreos*; Vocat eos *vanitates*, res nihili; Dicit, *os quidem iis eſſe, ſed non poſſe loqui; oculos, ſed non poſſe cernere; aures, ſed non poſſe audire; pedes, ſed non poſſe ambulare*; &c. Quærit, an Orbem condiderint; Quærit, an futura poſſint prædicere; *Indicate quæ eventura ſint in poſterum, ut cognoſcamus vos eſſe Deos: Etiam benefacite aut malefacite, ut videntes obſtupeſcamus. En vos minus quàm nihil eſtis; abominabilis, qui eligit vos*; Eſai. XLI. 23. 24. Sanè id notatu digniſſimum eſt, unicum hunc Populum, Populum exiguum, Populum rudem, reliquos omnes Populos damnare, eorum Deos irridere, eorum Sacra in ludibrium vertere, & quidem optimis argumentis, atque omni exceptione majoribus. Quis tantam ſapientiam Populo cæteroquin ignariſſimo indidit? Unde Moſes, inter Ægyptios, qui Bovem adorabant, educatus, tam ſublimes ideas hauſit, & Magiſtrorum ſuorum Numina tam ſapienter irridere atque abjicere didicit? Sanè hîc Dei digitum, hîc divinam Revelationem, cæcus ſit qui non videat.

VIII. Porrò, ut hæc Judæorum Doctrina cum puriſſimis Rationis principiis aptiſſimè congruit, ita & ſolvit Dubia momentoſiſſima, Quæſtiones inricatiſſimas, ex quibus Philoſophi perſpicaciſſimi, ſolius Rationis auxilio, ſeſe expedire nunquam valuerunt. Scilicèt, multæ apud Ethnicos erant, de Mundi origine, diſceptationes: Alii æternum docebant, alii ex atomis conflatum: Vulgus, Cœlum & Terram, non Dei opus, ſed antiquiſſimos Deorum, cenſebat; Et apud Philoſophos, quæſtio hæc, de

de Mundi ortu, incertiſſimi problematis loco habebatur: Hic Mundus à Deo conditus, quod rationi maximè conſentaneum eſt, narratur. An regeretur à Deo Orbis, an verò incerto caſu omnia fluerent, anxiè etiam diſquirebatur: Hic Dei Providentia apertiſſimè traditur, & ex ipſa Orbis hiſtoria ad oculum demonſtratur. Ignorabatur cauſſa Mali, & graviſſimæ hoc de negotio Philoſophorum lites erant: Hic hominis in peccatum lapſus, tanquam mali omnis fons & vera cauſſa exhibetur. Juſti etiam atque injuſti fines, ita confuſi, hominum vitio, atque obſcurati erant, ut vitia pro virtutibus, virtutes pro vitiis, ſæpiſſimè haberentur: At verò, in hac Revelatione, quid Deo, quid Proximo, quid nobis ipſis debeamus, ſapientiſſimè docetur; quantùm ſaltem, per indolem Populi Judaïci, & circumſtantias illorum temporum, licebat. Poſtremò, quis verus ſit Hominis finis, quodnam ſummum ejus Bonum, magna etiam quæſtio erat, & diverſiſſimæ hoc de argumento Philoſophorum ſententiæ: Hîc verus Hominis finis, & ſummum ejus Bonum, non alibi quàm in Supremi Numinis benevolentia & communione collocatur; quod etiam rectæ rationi planè conſentaneum eſt. Itaque, duo habet Doctrina iſta, cœleſti Revelatione digniſſima; Nam, & veritates Lumine naturali jam cognitas, ſed hominum vitio obſcuratas, clariùs proponit atque inculcat; ea verò quæ ignorabantur, & cognitu neceſſaria erant, in apertam lucem producit: Quæ duo, in tanta Hominum caligine, atque inter tot irritos Philoſophorum conatus, quis alius quàm Deus ipſe tam feliciter exſequi valuit?

IX. Confirmatur Revelationis hujus veritas, ex eorum charactere atque moribus, qui Doctrinam hanc tanquam à Deo traditam Iſraëlitis prodidêre; *Moſis* nempe & *Prophetarum*; qui, ex una parte, nihil habent, unde pateat eos humanis Diſciplinis admodum exultos fuiſſe, adeóque tantam Sapientiam, cæteris Gentibus ignotam, proprio ingenio ac ſagacitate excogitare valuiſſe; ex altera parte, ita evidentes virorum proborum & ſincerorum notas præ ſe ferunt, nulla ut fraus ab iis metui poſſit.

Ac ſanè, quicumque *Moſis* vitam adtentè conſiderabit, eximia probitatis ac ſinceritatis indicia in eo deprehendet. Etenim propria vitia ac defectus evulgat. Nihil in gratiam propriæ familiæ decernit, ſed eam in turba Levitarum miſceri patitur. Non adulatur Populo, prout ſolent qui ambitione & fraude Imperia uſurpant, ſed Populi vitia & culpas apertè retegit atque objurgat. Unô verbô, nullis ſtudiis, nullis commodis humanis, ad agendum impulſus videtur, ſed ubique Dei gloriam & Populi ſalutem quærit. Ita egit *Moſes*; atque ita etiam *Prophetæ* reliqui ſe geſſiſſe deprehenduntur; qui, nobili audaciâ, ac verè divinâ, Populum, Magnates, Reges, arguebant; neque aliud ab hominibus, niſi odia, perſecutiones, ac ſupplicia, lucrabantur. Itaque, ſi qui unquam Doctores ab Impoſtorum charactere alieni, & fide digniſſimi fuerint, id de Moſe & Prophetis peculiari ratione affirmare licet.

X. Si dicerent *Moſes* & *Prophetæ*, ſe ſublimes illas de Deo notiones, quæ in ipſorum Libris occurrunt, proprio marte, & abſque divino auxilio, inveniſſe, dum Philoſophos acutiſſimos fugerunt, id ſanè incredibile eſſet. Sed cùm dicunt, ſe à Deo ipſo, ſapientiæ omnis auctore ac fonte, ſapientiam illam accepiſſe, nihil in eo eſt niſi admodum credibile. Non mirum eſt, res tam præclaras Deum auctorem habere: Mirum eſſet, ſi ab alio quàm à Deo ortum ducerent.

XI. Adhæc, ſi in *Moſe* & *Prophetis* aliqua nequitiæ & calliditatis indicia apparerent, non immeritò ſuſpecta eſſet eorum Doctrina, ac de divinis adflatibus gloriatio: Sed, cùm contraria omnia occurrant, dictáque ipſorum & facta omnia nihil aliud quàm pietatem & juſtitiam ſpirent, cauſſa nulla eſt cur ſuſpecti habeantur. Etenim, viros bonos atque ſapientes, ad probitatis commendationem, impoſturam adhibere, incredibile planè eſt: Contrà, viros bonos à Deo adflari, & eximiam Doctrinam accipere, quam cum popularibus ſuis communicent, id non poſſibile tantùm, ſed & credibile admodùm videtur.

XII. Jam, ſi ad ejus etiam *Populi*, qui Doctrinam illam profeſſus eſt, ingenium atque indolem adtendatur, non exiguum antè

antè dictis robur accedet. Enimverò, quis est ille Populus, apud quem, imò apud quem solum, per plura annorum millia, tam eximia Doctrina viguit? An Populus aliquis nobilis, ingenio, moribus cultus, in Philosophia aliisque Disciplinis exercitatus? Minimè. Est exiguus Populus, in angulo terræ delitescens, cæteris ferè ignotus, vel, si notus, admodum contemptus, qui, neque ingenii laude, neque morum cultura, neque humanis Disciplinis unquam excelluit. Tamen iste Populus, imò iste Populus solus, de Deo præclarè sentit, & magnificè loquitur, dum cæteræ omnes Gentes, etiam doctissimæ ac politissimæ, circa Deum ac res Divinas miserè cæcutiunt, nec nisi ineptias narrant. Rem miram, ut jam innuimus, & quæ, plus quàm quidquam aliud, divinam Judaïcæ Religionis originem prodit! Etenim unde fit, ut, ex toto Orbe, unicus hic Populus, rudis, obscurus, contemptus, neque alia ulla re insignis, Numinis cognitione adeò excellat, dum cæteri omnes Populi, celeberrimi, eruditissimi, Disciplinis excultissimi, quales fuerunt *Chaldæi*, *Ægyptii*, *Græci*, *Romani*, tam ineptè ac absurdè de Deo sentiunt, ut delirare videantur? Unde fit, ut, dum *Ægyptii*, inter quos Israëlitæ plusquàm ducentis annis vixerant, alii quidem Bovem adorabant, alii Crocodilum, alii saturam serpentibus Ibim, alii ipsa hortorum suorum olera; dum *Græci*, gens excultissima, & doctrinæ laude florentissima, nihil ferè aliud de rebus divinis statuebant, nisi Deorum generationes, discordias, pugnas, scelera; dum *Romani*, rerum domini, & doctrinæ omnis principes, ipsam Febrim, ipsum Pavorem, ipsam Invidiam ac Impudentiam, inter Numina reponebant, iisque Templa erigebant; unicus hic Populus, moribus rudissimus, & apud cæteros contemptissimus, verum Deum Cœli ac Terræ conditorem revereatur, nec nisi sapientissimas de supremo illo Ente notiones habeat? Unde fit, ut, dum ipsi *Philosophi*, imò Philosophi acutissimi, doctissimi, celeberrimi, de Mundi origine, de Numinis Providentia, de virtutis ac vitii discrimine, de summo Hominis Bono, Andabatarum more

disputant, neque quidquam certi statuunt, exiguus hic Populus, nullis Studiis, nullis Disciplinis, nulla disquisitione adjutus, in rebus naturalibus ac politicis ferè hospes, de excelsis illis quæstionibus rectissimè sentiat, & solidissimè ratiocinetur? Dicant Increduli quidquid voluerint, sanè hic Dei digitus est. *Utique in te est Deus fortis, Deus qui se abscondit*, ac se revelat, quibuscunque vult. Esai. XLV. 14. 15.

XIII. Rursùs illud, pro Doctrina Judaïca, apud æquos Judices, non parùm facit, quòd illa cæcâ fide ac sine examine sibi credi nolit, sed rationes semper adferat, eásque expendi optet. Non hæc erat reliquarum Gentium, non Græcorum, non Romanorum, consuetudo; apud quos, patria Sacra sine examine suscipiebantur; imò apud quos, ipsi Philosophi, patriorum Sacrorum stultitiam agnoscentes, ea tamen servari volebant, *si non tanquam Diis grata*, certè *tanquam legibus jussa*, prout habet *Seneca* apud *Augustinum*. At longè alia est Judaïcæ Religionis indoles. Illa, propriæ veritatis fiduciâ, semper argumenta Judæis proponit, modò ipsam Orbis creationem, modò acta cum Patriarchis, & factas ipsis promissiones, modò liberationem ex Ægypto, modò promulgatæ Legis solemnia, &c.; quæ omnia, vel ipsi videre, vel à parentibus audire potuerant: Unde *Josua*, in eximio illo Sermone, quem morti proximus habuit, liberam Populo Religionis optionem facit; *Si vobis displiceat colere Jehovam, eligite vobis quem colatis*. Jos. XXIV. 15. Et hoc etiam Veritatis apud Judæos exstantis non leve argumentum est; Nam Veritas lucem non fugit, contrà errores ac figmenta tenebras quærunt.

XIV. Sed neque hoc omittendum est, quô sese iterùm commendat Doctrina Judaïca; Illam scilicet non mutatam pro variis ætatibus, sed unam eandémque, ad summam quod attinet, semper fuisse. Eadem Dei idea; eædem ejus Perfectiones; eadem rerum procuratio ac providentia; eadem Deo obsequendi atque adhærendi, ad felicitatem consequendam, necessitas. Hæc omnia semper sibi constant; Nulla hic mutatio, nulla varietas. Atqui non hæc est indoles Doctrinæ humanæ:

Ete-

Etenim, quæ finxerunt homines, variis mutationibus obnoxia ſunt, & progreſſu temporis cadunt, vitiantur, antiquantur; quemadmodum in cæteris omnibus, inde ab Orbe condito, Religionibus accidiſſe conſtat. Sic Romani, ut omnes nôrunt, devictarum Gentium Numina & cultus priſtinis Sacris adjungebant. Ex Græcia, Aſia, Ægypto, novos ſubinde aeeerſebant Deos, & magna prompa Romam advehebant: qui deinde, pro imperantium lubitu, aut Sacerdotum arbitrio, non rarò expellebantur. Itaque, quòd Doctrina Judaïca vices ejuſmodi experta non ſit, ſed ſemper ſibi conſtiterit, illuſtrata quidem & confirmata magis magiſque, ſed eadem ſemper, quod ad rerum ſummam, illud etiam ad ejus laudem & confirmationem non parùm facit.

XV. Denique hæc eſt ſingularis planè Judaïcæ Doctrinæ indoles, & character verè divinus, quòd tota ad Deum tendat, Deum ubique ſpiret, Deum ubique magnificiat, verbô, tota, quanta quanta eſt, ad Dei gloriam ſit comparata. Et hâc quoque notâ, Doctrina hæc à Doctrinis omnibus humanis evidenter diſtinguitur. Etenim in Doctrinis omnibus hominum, videas illos propriam gloriam quærere; videas illos, Potentium ingenio atque moribus ea quæ tradunt adeommodare. At hîc Deus unicè reſpicitur; Deus eſt omnium ſcopus ac finis; Deus omnibus intereſt, omnia videt, omnia dirigit, omnia operatur; & ad ejus unius gloriam omnia referuntur. Quod vel unum, ſi cætera deſint, divinam hujus Doctrinæ indolem, cœleſtémque originem, abundè prodit.

XVI. Inſurget hîc fortè nonnemo, & Doctrinæ Judaïcæ vitio dabit, quòd, cùm de cæteris Salutis myſteriis, tum in primis de Vitæ futuræ pœnis ac præmiis, non clariùs atque explicatiùs verba faciat. Verùm deſinent ea re offendi, qui meminerint id quod ab initio ſtatim monuimus; veram quidem atque eximiam, ſed non tamen perfectam, omnibúſque abſolutam numeris, Revelationem illam eſſe. Alia nimirùm tempora aliam lucem poſtulant. Lux diluculi minor eſt meridiana: Neque iiſdem documentis, iiſdemque incitamentis

ducitur infantia, quibus ætas adultior. Tangimur nos, neque immeritò, inviſibilium bonorum & malorum exſpectatione: Rudem illum Populum, ſenſibúſque immerſum, minæ ac promiſſa temporalia magis tangebant. Interim non deerant, in illa infantia, quæ robuſtiores animos ad majora adtollerent; velut eximia illa Perfectionum Divinarum revelatio; tot conſpicua Dei Judicia; Promiſſa adeò magnifica, ut intra perituræ hujus & caducæ vitæ terminos contineri non poſſent; *Abelis* indignus interitus; *Patriarcharum* Dei amicorum dies mali atque breves; *Enochi* in primis ac *Eliæ* fata, ſtatum alterum clarè innuentia; &c. Poſtremò, quæcunque tandem eſſet Fidelium hac de re notitia, hoc ſciebant, Deo adhærendum, Deo fidendum, Deo obſequendum, verámque Hominis felicitatem non alibi quàm in ipſa Dei communione quærendam eſſe. Id noverant, id ratum habebant, quocunque in ſtatu eſſent, in proſperis, in adverſis, in vita, in morte; adeò ut *ſpes Juſti*, ut ait Salomo, ne *in* ipſa quidem *morte* deficeret. Proverb. XIV. 32. Sic Promiſſa, ſi non cominùs, quod ingenuè confitendum eſt, at *eminùs* ſaltem *ſalutabant*. Hebr. XI. 13. Sic lucebat *in caliginoſo loco lucerna*. 2. Petr. I. 19. At plenior *Vitæ immortalis demonſtratio* Chriſti Domini noſtri præconio reſervabatur. 2. Tim. I. 10.

XVII. Hæc de Dogmatibus. Sequuntur LEGES, quæ, ſi adtentè expendantur, non pauca etiam, neque obſcura, Sapientiæ Divinæ indicia in iis deprehendentur. Earum tria erant genera, ut omnes nôrunt: Quædam ad mores inſtituendos, aliæ ad Rempublicam Iſraëliticam ordinandam, aliæ denique ad Sacrorum ritus & cerimonias pertinebant. Eas verò, ſaltem pro locorum & temporum circumſtantiis, ſapientiſſimas fuiſſe, & Deo auctore digniſſimas, ſequentes Obſervationes manifeſtum facient.

XVIII. Nam, ut de iis primùm dicamus, quæ omnium præcipuæ, imò & cæterarum fundamenta ſunt, quid ſanctius, quid divinius, illo Moſaïcæ Legis compendio, quô Legem & Prophetas contineri Chriſtus adſerit, Matt. XXII. 36. & ſeq. *Deum* nempe

totô

totô corde, totô animô, totâ cogitatione, hoc eſt, quantùm poſſumus, & ſupra omnia, *Proximum inſtar noſtrî ipſorum amandum eſſe?* Quæ duo ſi ſemel obtineant, & vitam regant, certè, ad pietatem abſolutiſſimam, & adcuratiſſimam juſtitiam, nihil ampliùs deerit. Ubi eſt Legiſlator, ubi Philoſophus, qui Compendio ita exquiſito, ſimúlque ita plano ac facili, Officiorum omnium rationem atque ſummam comprehenderit?

XIX. Quòd ſi ad ſingula jam deſcendamus, ſtatim occurrit Lex ſapientiſſima, eadémque momentoſiſſima, quæ Judaïcam Religionem à cæteris omnibus diſtinguit, & ſupra illas longè exrollit; Illa, nimirùm, quâ prohibetur *Idololatria*, unúſque verus Deus, abſque ſtatuis & ſimulachris, colendus præcipitur. Quàm ſapiens eſſet Lex illa, & Rationi conſentanea, hîc dicere nihil adtinet, ſiquidem res ipſa ſatis loquitur. Sed hoc notandum, Legem illam, utut ſapientem, utut Rationi conſonam, tamen à cæterarum omnium Gentium inſtitutis abhorruiſſe, Populóque Iſraëlitico peculiarem fuiſſe. Quî fit igitur, ut inſtituta adeò vetuſta, adeò generalia, adeò Populis accepta, Judæorum Legibus, & ſolis quidem Judæorum Legibus, damnentur? Quî fit ut Moſes, inter Idololatras educatus, ductor Populi Idololatriæ addictiſſimi, Gentibus Idololatricis ab omni parte circumdatus, omnem Idolorum cultum damnet, & ſeveriſſimis Legibus proſcribat? Quî fit, inquam, ut Moſes, & Moſes quidem ſolus, rem tantam ſuſcipiat, & feliciter exſequatur? Id ſine Deo, ſine Revelatione, factum eſſe, nemo ſanæ mentis dixerit.

XX. Enimverò, qui Imperia condunt, & Populis jura deſcribunt, ſolent Populorum propenſionibus favere; ſaltem propenſionibus validiſſimis, & longo uſu firmatis, adverſari non ſuſtinent. Qui fit igitur, ut unus iſte Hebræorum Legiſlator artem illam non adhibeat? Qui fit, ut, rem quam Populî omnes tanto ſtudio ſectabantur, non modò non adprobet, ſed & ſeverè prohibeat? Dices, Populum Iſraëliticum à cæteris diſcrepaſſe, & ad Idololatriam non admodum propenſum fuiſſe. Sed contrarium ex ipſo Moſe, ex ipſis Judæorum monumen-

mentis, liquet. Etenim, & Majores ipsorum in Chaldæa Idololatræ fuerant, unde Deus Abrahamum Ure Chaldæorum oppido educere necesse habuit; & ipsi in Ægypto *Deos stercoreos Ægyptiorum* coluerant, prout Deus ipsis exprobrat, Ezech. cap. xx. 7. 8., & in Deserto non semel in idolatriam prolapsi sunt, quemadmodum ex Vitulo aureo, & *tabernaculo* illo *Molochi*, cujus meminit Amos, cap. v. 26. abundè colligitur; & denique in terram Cananæam introducti, licèt innumeris Dei beneficiis, imò & plagis, emendari debuissent, tamen ejusdem semper indolis erant, & in Idololatriam perpetuò labebantur. Itaque, si quis unquam Populus vitio illi deditus fuit, tales procul dubio Israëlitæ fuêre. Qui fit igitur, ut tam validæ, tam constanti propensioni obsecundare nolit Moses, sed eam contrà tanto studio impugnet, & Legibus coërceat? Repones, voluisse Mosem, Populum Israëliticum à reliquis hôc pactô distinguere. Verùm alius erat modus, ipsi longè gratior futurus, nempe diversum Idololatriæ genus ipsis præcipiendo. Quam ob rem, agnoscèndum est, Mosem, si duntaxat ut humanus Legislator consideretur, imprudentissimè egisse, dum tam violentæ Populi illius propensioni adversatus est; contrà verò religiosissimè & sapientissimè sese gessisse, si Dei servus ac interpres fuerit; Proindéque summum hinc exsurgit, pro divina Legis Judaïcæ origine, argumentum.

XXI. Jam, quid dicemus de eximiis illis in Deum Officiis, quæ partem longè præcipuam Judaïci Cultûs constituunt? de illa Numinis reverentia, quæ *timoris* nomine venit; de illa Perfectionum divinarum admiratione ac celebratione; de illis delictorum confessionibus, ac pro eorum venia supplicationibus; de illis precibus, laudibus, gratiarum actionibus; de devoto illo in Deum adfectu, positáque in eo fiducia? Evoluantur Libti omnes cæterarum Gentium; interrogentur Philosophi; consulantur Sacerdotes: An aliquid par, vel secundum, de Pietatis Officiis tradent? Sanè hæc omnia, quæ summi momenti esse vel ipsa Ratio docere debuit, ferè ignota Ethnicis fuêre. Conferantur v. g. *Psalmi Davidici*, qui Pietatis Judaïcæ præ-

præſtantiſſimum exemplar præbent, cum *Callimachi*, vel alius cujuſcumque Ethnici, hymnis, quantum diſcrimen, bone Deus, inter illa deprehendetur! Quanta in illis rerum ſublimitas, quanta ſoliditas, quanta ſapientia! Quàm pii ac devoti in Deum adfectus! Quàm dignæ ſanctiſſima illa Mente laudes, deprecationes, gratiarum actiones! Quantæ contrà in his ineptiæ! quàm inſulſæ Fabulæ, imò quàm probroſæ! quæ quidem, licèt ſuaviſſimis & elegantiſſimis verſibus ornatæ, ramen non poſſunt quin ſobrios omnes ad indignationem moveant, iiſque nauſeam creent: Tantùm ſcilicèt cœleſtis Veritas, à Deo ipſo patefacta, ab humani cerebri figmentis ac deliriis diſtare convincitur.

XXII. Sed nec quidquam æquius, ſanctius, divinius concipi poteſt, iis Legibus atque inſtitutis, quibus mutua Hominum, cùm inter ſeſe, tum in ſeipſos, Officia continentur. Hìc quippe, & vitæ, & bonis, & famæ, & honori omnium cavetur; neque modò aliena rapere, ſed & concupiſcere, vitio datur. Hic Pauperum, Advenarum, Servorum, Viduarum, Pupillorum, omnium denique ſaluti proſpicitur, & ſingularis in eos omnes humanitas commendatur. Hic fornicatio, ars meretricia, & turpiora his ſcelera, quæ apud Ethnicos merus ludus erant, ſanctiſſimis præceptis damnantur. Hic non externa modò probitas, ſed præcipuè interna præſcribitur, *circumciſio cordis*, ut loquitur Moſes, animi rectitudo, adfectuum puritas; quæ ſi ſemel ſtatuantur, eò ipſò vitam omnem ſanctiſſimam eſſe neceſſe eſt. In quibus omnibus quantùm excellat Moſaïca Diſciplina, cæteráſque omnes Religiones atque Scholas poſt ſe relinquat, quicunque adtenderit facilè perſpiciet.

XXIII. Ut autem Leges Morales, ſic etiam *Politicæ*, Iſraëlitis à Moſe latæ, ita eorum ſtatui adtemperatæ erant, ita iis beandis idoneæ, ut nihil ſapientius, eo rerum ſtatu, fingî potuerit. Pauca tantùm de multis exempla. Sic prohibitio illa *Uſurarum*, quæ, ab Extraneis quidem, ſed non ab ipſis Iſraëlitis, exigi poterant, æquiſſima, & eorum ſtatui adcommodatiſſima erat. Cùm enim nullam ferè Mercaturam exercerent, nec

nisi ex terræ proventibus atque armentis sustentarentur, sanè ad inopiam facilè redacti essent, si, quod mutuò acceperant, cum fœnore reddere oportuisset. Et reverâ, quòd lucrum illud, quod ex aliena pecunia comparatur, ad eum cujus est pecunia, aliqua saltem ex parte, redeat, illud quidem æquissimum est, & citra ullum incommodum fieri potest: Sed quòd ii, qui nullum lucrum ex pecunia mutuò accepta comparant, quique eam non alium in finem quàm ad inopiam sublevandam mutuò accipiunt, quòd illi, inquam, ad fœnus aliquod pendendum obligentur, illud profectò durissimum, & humanitati penitùs adversum esset. Itaque in hoc sapientissimè Israëlitarum statui sese adtemperat Lex Mosaïca.

XXIV. Aliud exemplum ejusdem sapientiæ suppeditat Lex *Jubilæi*, quâ hæreditates ad pristinos dominos redibant, & servi manumittebantur: Quæ quidem Lex, ne Familiæ interirent, sitque laudabilis inter Judæos æqualitas servaretur, perquàm opportuna erat.

XXV. Aliud rusùs exemplum in *Asylis* observare licet. Cùm enim, apud omnes propemodùm Gentes, loca quædam sacra essent, ad quæ vel sceleratissimi mortalium confugiebant, & ex quibus extrahi non poterant, (quod quidem ad Societatis damnum, & criminum licentiam, multum faciebat) contrà Deus criminibus datâ operâ admissis nullum asylum esse voluit; *Etiam ab altari meo rapito eum ad mortem*, inquit Deus, de homicida voluntario, Exod. XXI. 14. At verò, si homicidium per errorem admissum esset, Urbes quasdam Asylum præbere voluit: Quod sanè humanissimum, & æquitati convenientissimum erat. Quibus exemplis (ne plura jam addamus) Legum Mosis Politicarum sapientia abundè liquet.

XXVI. Fateor, nonnulla minùs perfecta, dissimulata, priscis illis temporibus, ac tolerata fuisse, ut *Divortium*, *Polygamia*, & alia quædam hujusmodi. Verùm, præterquàm quòd ipsa Matrimonii institutio, à Mose narrata, perfectius quid suadebat, fuit hæc tantùm singularis Dei in Judæos indulgentia; Dabantur hæc *duritiei cordis ipsorum*, quemadmodum observat Christus Matt.

Matt. XIX. 8. Perfectior verò rerum ſtatus à Chriſto ipſo adductus eſt.

XXVII. Nec diffitendum, Iſraëlitas, quibus Deus, tanquam miniſtris, ad Cananæorum ſcelera plectenda utebatur, imò & quibus cæterarum omnium Gentium conſortio interdixerat, ne ab iis inficerentur, ea occaſione à Caritatis ſpiritu nimio plus receſſiſſe, &, quàm latè ſeſe extenderent humanitatis officia, non ſatis intellexiſſe. Unde illud *Taciti*, Hiſtor. Lib. V. *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu, ſed adverſus omnes alios hoſtile odium.* Item & hoc *Juvenalis*, Sat. XIV.

Non monſtrare vias eadem niſi Sacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Verùm, ut mittamus, in querelis illis, nonnihil hyperboles forſan fuiſſe, ſanè hæc fuêre Judæorum vitia, non verò ipſius Legis, quæ generalia benignitatis & miſericordiæ præcepta paſſim tradebat; ſed in qua iterùm ſi quid defuerit, ad Caritatem quod adtinet, illud à ſummo Caritatis Magiſtro abundè compenſatum eſt.

XXVIII. Superſunt Leges *Cæremoniales*, quæ per ſe quidem & naturâ ſuâ, nihil admodum eximii jubebant; unde *Statuta non bona* apud Ezechielem vocari creduntur; Ezech. XX. 25. Verumtamen, non ſine graviſſimis ſapientiſſimiſque rationibus, à Deo inſtitutæ ſunt; tum ut Iſraëlitas, modô ruditati ipſorum conſentaneô, in officio continerent, & ab Idolorum cultu abducerent; tum ut eos à cæteris Populis diſtinguerent ac ſepararent; tum denique ut res futuras rudi quodam penicillo deſignarent, uſquedùm ipſa veritas ab Evangelio adduceretur. Itaque hæc fuit *pædagogia*, Gal. III. 24. hæc fuerunt *infirma ac egena elementa*, Gal. IV. 9. qualia nempe illa ſunt, quibus pueri informantur; donec provecta ad adultam ætatem Eccleſia, tirocinium illud poneret, & ſolidioribus præceptis imbueretur.

XXIX. Interim, in ipſis illis Legibus, & modo quô proponebantur, non levia jam occurrebant divinæ Sapientiæ veſti-

gia, quibus à cæteris omnibus illorum temporum Religionibus distinguerentur. Primò enim, cùm, in Sacris Ethnicis, multa essent humanitati ac pudori contraria, hîc nihil simile occurrit, hîc nihil est quod vel tantillùm Dei sanctitati adversetur. Secundò creberrimè docent Veteris Testamenti Scriptores, inutiles esse ritus illos omnes, sine animi morúmque puritate, quæ sola apud Deum in pretio habetur. Tertiò, id ipsum ex historia Patriarcharum confirmatur, qui, ante ritus illos institutos, solâ pietate atque justitiâ, Deo accepti fuêre. Denique nec desunt, in sacris Judæorum Libris, Oracula, quibus rituum illorum finis, & perfectioris Cultûs institutio prænuntietur.

XXX Et his quidèm, quæ hactenus diximus, Judaïcarum Legum sapientia, & supra cæteras omnes dignitas, abundè demonstratur. Sunt tamen & alia quædam adjungenda, quibus cœlestis illarum origo ulteriùs confirmetur. PRIMO igitur notatu dignum est, Leges illas, utut eximias, cæterísque omnibus longè potiores, tamen temporibus antiquissimis, adeóque rudissimis, in mundum prolatas esse. Atqui nemo nescit, quidquid humanum est, in ipsis statim initiis imperfectum ac rude esse, nec nisi progressu temporis ad perfectionem accedere; quemadmodum in Artibus omnibus ac Scientiis observare licet. Cum igitur Lex Judaïca, potissimâ saltem sui parte, eâ nempe quæ ad mores spectat, tantam sapientiam prodat, cæterásque omnes tantoperè superet, id manifesto indicio est, eam Terris non deberi, quibus omnia tunc erant rudissima, sed ejus originem é Cœlo petendam esse.

XXXI. SECUNDO id etiam notabile est, Leges Judaïcas nunquam mutatas, sed ipsô statim initiô suam veluti perfectionem adeptas esse. Non sic factum est apud alios Populos, quorum Leges, pro variis Sæculis, variæ admodum fuêre; quemadmodum in Græcorum & Romanorum Legibus abundè cernere licet. Qui fit igitur ut Leges Judaïcæ commune hoc Legum omnium fatum minimè expertæ sint? Qui fit, ut, quales statim fuerant, tales semper perstiterint, neque quidquam iis addere vel detrahere unquam licuerit? Qui fit, ut, nec

Po-

Populi Ductores; nec Reges, nec Sacerdotes, neque quiſquam ex ipſo Populo, eas immutare unquam tentaverint, cùm & novarum rerum ſtudium hominibus ferè innatum ſit, & à Legum illarum praxi ſæpiſſimè recederent, adeóque optare deberent ut Leges ipſæ mutarentur? Sanè non alia hujus conſtantiæ proferri poteſt ratio, præter vivam de Legum illarum divinitate perſuationem; quæ quidem, per tot Sæcula, tot inter ſtudia atque mutationes, atque in Populo tam duræ cervicis, vana eſſe non potuit.

XXXII. Tertio id etiam Leges Judaïcas humanis majores demonſtrat, quòd, neque præjudicatis Populorum opinionibus, neque humanis adfectibus, gratificentur. Non favent præjudiciis; ſiquidem Deum inconſpicuum, & abſque imaginibus colendum præcipiunt. Non favent avaritiæ; ſiquidem, redeuntibus ad unamquamque familiam fundis, uſuràque prohibità, omnis ferè corradendarum divitiarum ratio tollebatur. Non favent libidini; cùm, & adulterium, & fornicatio, & proſtibula, & omnis generis pollutiones, ſeverè prohibeantur. Non favet etiam ſuperbiæ Moſes, dum in Legibus paſſim inculcat, non ipſorum virtuti, non ipſorum fortitudini, non ipſorum meritis adſcribendum eſſe, ſiquid boni haberent, ſed uni Deo eorum omnium laudem deberi. Unô verbô, hominem perpetuò deprimit Moſes, ut Deum ſolum extollat. Non ſic agunt Impoſtores, qui Leges ex proprio cerebro fingunt, ut eas Populorum humeris imponant. Solent illi Populorum adfectibus atque ſtudiis ſe adcommodare, prout in omnibus Religionum atque Legum fundatoribus, in *Muhammede* verbi gratiâ, videre licuit. Cùm igitur aliam planè viam ſuis in Legibus inſiſtat Moſes, neque ſuo tamen fine excidat, illud iterùm divinitatem Legum illarum abundè prodit.

XXXIII. Quarto, non modo non ſtudet Moſes Populi adfectibus gratificari, ſed & Leges quaſdam duriſſimas ac oneroſiſſimas ipſis imponit. Quid durius v. g. mandato Circumciſionis, quæ non ſine graviſſimis doloribus, imò aliquando vitæ diſcrimine, ſuſcipi poterat? Quid oneroſius tot ablutionibus,

nibus, tot ſacrificiis, tot feſtis, quibus abſque ulla intermiſſione vacandum erat, & in quibus ſi quid peccarent, piaculo ſtatim opus fuit? Neque modò oneroſæ, ſed & probroſæ Judæis, quædam ex Legibus illis fuêre, velut Circumciſio, quæ fuit πρόγμα γελώμενον παρὰ πᾶσιν, *Philone* teſte, & ob quam Judæi *curti*, *verpi*, *recutiti*, per deriſionem vocabantur. Quid, quòd erant multæ ex illis Legibus, quæ, ut Judæos à cæteris Populis, ita & cæteros omnes à Judæis abalienabant, efficiebántque ut omnium odio atque injuriis exponerentur. Quî fit igitur, ut tam dura Lex, & à Moſe præcipiatur, & à Populo admittatur, & quidem tanto ſtudio, tanta conſtantia, ut Judæorum pertinacia (ſic eorum conſtantiam vocabant) in proverbium abiverit? Sanè id rem verè ſingularem, & pluſquàm humanam prodit.

XXXIV. DENIQUE, hæc eſt eximia, ac verè divina, Judaïcæ Diſciplinæ prærogativa, quòd, juxta illam, non Religio à Republica, ſed Reſpublica à Religione pendeat; planè contra cæterarum Gentium morem, apud quas ritus omnes ſacri Principum commodis atque arbitrio ſubjiciebantur. At verò hîc Dei Cultus ante omnia procedit, omnibus potior habetur; reliqua verò, pro eo ac decet, ei ſubſerviunt. Sic eorum Regimen vera *Theocratia*, eorúmque Religio verè divina eſſe convincitur.

XXXV. Poſtquàm diximus de Dogmatibus & Legibus Judæorum, aliquid addendum de eorum HISTORIA; quæ, non modò ob Miracula, de quibus jamjam dicetur, ſed & ob alia non pauca, admodum conſpicua eſt, dignáque, præ cæteris omnibus, cui plena fides habeatur.

XXXVI. PRIMO igitur, venerabili admodum antiquitate inſignis eſt Judæorum Hiſtoria; neque ulla eſt Hiſtoria, imò nullus Liber, quem quidem noſcamus, qui cum ea, hoc reſpectu, conferri poſſit. Supponimus id quod conſtanti, non modò totîus Gentis Judaïcæ, ſed & omnium Gentium ac Sæculorum fama celebratur; nempe *Moſem* eorum Librorum, qui ejus nomen præferunt, verè auctorem eſſe: Quam famam ſi

ſol-

ſollicitare atque in dubium vocare liceat, jam de nullius vetuſti Libri ſcriptore, imò & de nullo vetuſto Facto, conſtare poterit. Hôc poſitô, quin ſit valdè antiqua, imò & omnium antiquiſſima, Moſaïca Hiſtoria, in dubium vocari nequit. Certè Ethnicorum *tempus Hiſtoricum*, hoc eſt, quidquid certi in Hiſtoria habebant, ſupra Olympiades non adſcendiſſe, Romanorum eruditiſſimus *Varro* teſtatur; quæ Epocha ſeptingentis annis Moſis ævo recentior eſt. Et, inter Scriptores omnes Ethnicos, qui duo vetuſtiſſimi omnium calculo habentur, *Homerus* & *Heſiodus*, à Chronologis adcuratiſſimis Salomonis ævo adſcribuntur, adeóque quingentis annis Moſe poſteriores ſunt. Et ſanè, vel ipſa lectio Hiſtoriæ Moſaïcæ, non obſcura antiquitatis indicia prodit: Nam, & modus narrandi ſimpliciſſimus, qualis antiquiſſimis illis temporibus eſſe debuit; & primi Homines agriculturæ ac rei pecuariæ addicti, quod plus quàm probabile eſt; & omnia in univerſum nativam quandam Antiquitatis faciem referentia. Eo igitur nomine non parùm jam ſe commendat Hiſtoria Moſaica; ſiquidem ad fontes propiùs accedit, adeóque certiorem poteſt rerum memoriam ad nos tranſmittere.

XXXVII. Enimverò, ſi falſa eſſent, quæ de primis rerum originibus ſcripto conſignavit Moſes, potuiſſet ille nullô negotiô falſi convinci; eáque figmenta, cùm ab ipſo Populo, ad eum carpendum eíque rebellandum plus ſatis prono, tum à cæteris Gentibus, hauddubiè revicta eſſent. Etenim Epochæ ab ipſo ſtatutæ, Diluvii v. g Diſperſionis Gentium, imò verò & Orbis Conditi, ſupra ejus ætatem non multùm adſurgebant: Illáque ſpatia, pro longævitate illorum temporum, à pauciſſimis hominibus, ſibi mutuò ſuccedentibus, impleri potuerant; Ac proinde memoria illorum Eventuum, ſi modò veri fuerint, non poterat non recentiſſima eſſe. Quamobrem, ſi falſa protuliſſet Moſes, altiores procul dubio Epochas ſtatuiſſet, atque in remotiorum temporum caligine ſeſe abdidiſſet, ne falſi convinceretur.

XXXVIII. Secundo, dignum notatu eſt, non hîc eſſe unicum Librum, non unicam quandam Hiſtoriam, quæ ex

cerebro fingi potuerit; ſed continuam ſeriem Judaïcorum Monumentorum, optimè inter ſe connexorum, quæque proinde mutuam ſibi lucem & confirmationem adferunt. Nam, ſi falſa ſit *Moſis* Hiſtoria, utique & Hiſtoria *Joſuæ*, quæ nonniſi ejus ſeriem continet; nec non & Libri *Judicum*, & *Samuelis*, & *Regum*; imò & ipſi *Davidis* Pſalmi, quibus ad Hiſtoriam Moſis, & ſequentium temporum, perpetuò adluditur. Jam verò, quis ſanæ mentis, libros illos omnes fictos exiſtimet? Quis, lectis illis, non videat, diverſiſſimis eos temporibus, ac diverſiſſimo ſtylo, compoſitos? Quis non videat, multa in iis paſſim notari, recenſeri, diduci, quæ in Impoſtoris mentem ne cadere quidem potuiſſent, ſiquidem ad fraudis texturam ac ſtabilimentum nihil faciebant? Imò verò quis non videat, ipſam illam perturbationem quarundam Hiſtoriarum, quæ Sacris Hiſtoricis vitio vertitur, ab Impoſtore ſedulò vitandam fuiſſe? Dices, id unum inde elucere, Libros illos ſpurios non eſſe: Verùm, quanti id ſit momenti, ad ipſam rerum veritatem adſtruendam, cùm ex dictis proximâ Theſi, tum præcipuè ex dicendis, liquidò patebit.

XXXIX. TERTIO, id etiam peculiari obſervatione dignum eſt, quàm multa contineat tota hæc Hiſtoria ipſi Hebræorum Genti, non modò non honorifica, ſed & valdè probroſa. Narrantur vitia Patriarcharum, quos tamen illi ut Gentis ſuæ Capita agnoſcebant, maximóque in pretio habebant. Narrantur ſcelera Populi, ipſius illius Populi, ad quem hæc ſcribebantur. Imò neque ipſius Moſis atque Aaronis lapſus ſilentio prætermittuntur. Quorsùm hæc omnia, ſi ficta eſſent? Quid habebat Moſes, vel quiſquis alius harum fabularum conſarcinator, cur ſibi ipſi ſuæque Genti infamiæ notam inureret, eáque ex cerebro fingeret, quæ non poterant non ipſi Populo ſtomachum movere, eúmque cæterarum omnium Gentium ludibrio exponere?

XL. QUARTO, connexa eſt tota hæc Hiſtoria cum Legibus Moſaïcis. Earum occaſiones notat; earum fundamenta ponit; Neque capi poteſt, quî duræ illæ Leges à Populo admiſſæ

missæ essent, nisi de veritate Factorum illorum apud ipsum constitisset. Id verbô tantùm hîc notamus; verùm illud pressiùs jamjam, ad Miracula confirmanda, urgebimus.

XLI. Sed & illud magni ponderis est, quod nos QUINTO observamus; ea nimirùm, quæ, de Rerum ortu, & Populorum primordiis, in literas retulit Moses, à plurimis Ethnicorum Historiis, traditionibus, monumentis, imò & ab ipsis eorum Fabulis, non parùm confirmari; siquidem, in iis omnibus, non obscura Veteris Historiæ, per manus traditæ, ac deptavatæ, vestigia deprehenduntur: quemadmodum à *Josepho*, *Eusebio*, aliisque veteribus, inter Recentiores verò à *Grotio*, *Vossio*, *Bochario*, *Huetio*, &c., si non semper pari successu, at optimè tamen atque certissimè, ad rei summam quod attinet, demonstratum est. Enimverò, ut pauca tantùm specimînis loco proferamus, quid caussæ est, cur vetustas omnis, omnia rerum monumenta, ab Oriente originem ducant? cur inde Coloniæ omnes, omnes Artes, omnes Literæ? cujus rei vel in ipso *Cadmi* nomine indicium est; *Cadmus* enim, à קדם *Oriens*, virum *Orientalem* sonat: Unde illud, inquam, nisi ex eo quòd, juxta Mosaïcam narrationem, Genus Humanum primas suas sedes in Oriente habuit, exinde verò per cæteras terras diffusum est? Sed & quis nescit, ea ferè omnia, quæ, de primis rerum originibus, à Mose referuntur, velut de Chao rerum principio, de tenebris luce prioribus, de Dei Spiritu Orbi incubante, molémque agitante, de Homine ex luto formato, *& ad effigiem moderantis cuncta* Numinis ficto, de concesso ipsi in cætera animantia dominio, de primæva Hominum innocentia morúmque simplicitate, de subsecuto in deterius lapsu, à quo tempore omne mali genus, ipsáque mors, terris incubuit; de Diluvii memoria, de Noacho, ejúsque liberis, de Babelis turri, & affectato in Cœlum itinere, denique de variarum Gentium fundatoribus atque primordiis; Quis nescit, inquam, illa omnia, aliáque non pauca idgenus, apud antiquissimos Ethnicorum, tum Poëtas, tum Philosophos, tum alios Scriptores occurrere; adulterata illa quidem, & fabulis permix-

ta, ſed non obſcuras tamen originis reliquias exhibentia? Itaque teſtimoniis illis omnibus, ipiſque adeò Fabularum nugis, Moſaïcæ narrationis veritas non parùm confirmatur.

XLII. POSTREMO ſingulari obſervatione digna eſt, mira, tum Populi Judaïci, tum Judaïcæ Religionis, ipſorúmque adeò Librorum Sacrorum, conſervatio atque duratio, inter tot hoſtes & perſecutiones, inter tot caſus & rerum diſcrimina, quibus alii Populi longè illuſtriores deleti, aliæque religiones, utut conſpicuæ, & latè diffuſæ, exſtinctæ ſuêre. Enimverò id planè mirum eſt, Populum adeò exiguum, qualis fuit Populus Judaïcus, à cæteris ſemper ſejunctum, moribúſque atque inſtitutis ſemper diſtinctum manſiſſe, quamvis cum cæteris ſæpe mixtus ſit, imò & extra patrios fines non ſemel deportatus. Id quoque mirum, Populum *duræ cervicis*, qualem illum fuiſſe conſtat, eandem Legem, eadem Sacra, gravia oppidò atque oneroſa, conſtanter retinuiſſe: Nam illi quidem Idolorum cultu non rarò ſe polluebant: Verùm, excitati à Prophetis, ad ſe non multò pòſt redibant; Tandémque ab omni Idololatria ita penitùs emendati ſunt, ut, hiſce jam bis mille trecentis annis, eam cane pejus & angue abominentur. Rurſùs, id mirum, poſtquàm ſciſſum eſt duas in partes Hebræorum Regnum, & poſtquam variæ Sectæ, ſibi invicem inimiciſſimæ, inter Judæos exſtitêre, tamen omnes in Legis Moſaïcæ reverentiam conſenſiſſe, nec niſi de illius ſenſu inter ſe diſcrepâſſe. Id mirum etiam, tum ſub Antiocho, tum aliis temporibus, tot Judæos, cujuſcunque ſexûs, ætatis, conditionis, pro Moſaïca Religione duriſſima quæque paſſos eſſe, mortémque ipſam fortiter tuliſſe. Denique id mirum, cùm Gens Judaïca, per annos plus quàm mille & quingentos, verum Deum ſola coluiſſet, novam progeniem, novum Populum, ab ejus quaſi ſinu prodiiſſe, à quo verus Deus agnitus, ſacri Judæorum Libri recepti, puriſſimúſque ac perfectiſſimus colendi Dei modus per totum Terrarum orbem feliciter diſſeminatus. Quam ſingularia illa omnia! Quàm grandia! Quàm Deo digna!

Cer-

Certè aliquid hîc plus quàm humanum, aliquid hîc divinum occurrere, quisquis animô piô & sincerô ad hæc adtenderit, fateri cogetur.

XLIII. Verùm majora adhuc supersunt, Miracula nempe & Prophetiæ, quibus Religionis Judaïcæ veritas ac divinitas ad oculum quasi demonstratur, & extra omnem dubitationis aleam ponitur. De his igitur breviter jam dicendum est.

SECTIO SECUNDA,

Quâ RELIGIONIS JUDAICÆ *veritas & divinitas ex* MIRACULIS *adstruitur.*

XLIV. Nemo nescit historiam Mosis, & Populi Israëlitici; qualis nempe in iis Libris, qui Mosis nomen præferunt, recitatur: Quomodo Moses Populum illum, dura servitute in Ægypto pressum, in libertatem adseruerit; Quot Prodigia coram Pharaone cum in finem ediderit; Quot plagis Ægyptios adfecerit, donec Israëlitis abeundi copia facta esset; modò omnibus Ægypti aquis in sanguinem conversis; modò totâ Ægypti tellure, ranis, locustis, aliisque insectis, opertâ; modò tenebris super totam illam regionem expansis, dum tractus ille, in quo degebant Israëlitæ, luce gauderet; modò denique omnibus Ægyptiorum primogenitis unâ nocte interemptis, dum interim primogenitis Israëlitarum parceretur: Quomodo postea, ductore Mose, per medias Maris Erythræi aquas Populus sicco pede transiverit, Ægyptii verò, eodem tentato itinere, Maris undis absorpti sint: Quomodo dehinc, mirâ pompâ, inter fulgura & tonitrua, Populóque audiente, Lex à Deo promulgata sit: Quomodo, in itinere quadraginta annorum, per vastas Arabiæ solitudines, de cibo ex Manna & coturnicibus, de potu verò ex rupe, Populo prospectum sit: Quomodo, adversus Mosem ac Dei Legem rebellantes, modò à terra absorpti, modò ultricibus flammis devoti, modò anguium morsibus absumpti, modò lepra adfecti fuerint. Et hæc quidem,

dum viveret Moſes, ejúſque operâ, geſta narrantur. Poſtmodùm etiam, duce Joſua, nova Prodigia edita ſunt, ut Populus in Terram Cananæam ſibi promiſſam introduceretur; ſciſſô Jordane, qui liberum Populo tranſitum præberet: Hierichuntinis muris ſolo tubarum clangore everſis; imò Sole ipſô, ſuo in curſu, retardatô, ut Joſuæ victoriis lucem præberet, &c. Iſta omnia fusè non diducimus, utpote quæ omnibus ſunt nota, & ex Librorum Sacrorum lectione abundè intelliguntur.

XLV. Jam autem, ſi hæc Hiſtoria vera ſit, ſi hæc Prodigia re verâ acciderint, non putamus quemquam de veritate ac divinitate Religionis Judaïcæ dubitare ampliùs poſſe. Ac ſanè, Facta illa vires humanas longè excedere, & à conſueto naturæ ordine planè abhorrere, ita clarum eſt, ut nihil clarius. Neque etiam pauca ſunt, ſed maximo numero. Neque clàm facta perhibentur, ſed coram innumeris teſtibus: Neque ullô pactô concipi poteſt, quomodo edita eſſent, niſi ipſe Naturæ Dominus Moſi ac Joſuæ opem tuliſſet. Itaque, ſi hæc verè contigerint, de veritate Doctrinæ Moſaïcæ nullum ampliùs dubium ſupereſſe exiſtimamus. Tota igitur quæſtio huc redit, An de veritate illius Hiſtoriæ, illorúmque Prodigiorum, apud nos conſtare queat? Illa autem certiſſima eſſe, hac ratione demonſtramus.

XLVI. Scilicèt, ut negaretur veritas hujus Hiſtoriæ, iſtorúmque Prodigiorum, unum ex his quatuor dicendum eſſet;

Vel *Moſem nunquam exſtitiſſe, ac proinde quæcunque de eo narrantur, meras fabulas eſſe*;

Vel, *exſtitiſſe quidem Moſem, ſed nihil aliud quàm impoſtorem fuiſſe, qui Populum fictis prodigiis fefellerit, atque illâ arte ſibi ſubjecerit*;

Vel *impoſturam illam omnem, Populô conſciô atque adjutore, fabricatam eſſe*;

Vel denique, *hanc omnem Hiſtoriam longè poſt Moſem conſcriptam eſſe, adeóque falſa innumera admiſceri potuiſſe; qualia ſunt v. g. quæ de hiſce Prodigiis narrantur.*

Et hæ quidem ſunt quatuor Hypotheſes, quæ, ad neganda Moſis

ſis Miracula, ab Incredulis proferri poſſunt. At verò nullam earum cum tantilla veri ſpecie defendi poſſe, evidenter demonſtratum imus.

XLVII. Nam, quod ad primam Hypotheſim, *quòd Moſes nunquam exſtiterit, proindéque meræ ſint fabulæ, quæcunque de eo narrantur*, illa ſanè admitti nequit, quin tota Hiſtoriæ fides funditùs evertatur, nihilque amplius certi in humanis rebus ſuperſit. Ac ſanè, ſi fama illa, de Moſe Hebræorum Duce & Legiſlatore, mendacii poſtuletur, nulla eſt pars, nullum Factum Veteris Hiſtoriæ, quod non pari jure convelli poſſit. Enimverò, quare credimus, vixiſſe Alexandrum Magnum, vixiſſe Julium Cæſarem, vixiſſe Auguſtum, niſi ob conſtantem famam, quæ magnorum illorum Virorum memoriam ad nos tranſmiſit? Pariter, quis ſanæ mentis, Moſis exiſtentiam negare queat, cùm Gens integra in id conſpiret, ut Moſem pro ſuo Legiſlatore ac fundatore agnoſcat, cùm Chriſtiani omnes eidem famæ adſtipulentur, cùm denique ad Ethnicos ipſos eadem fama pervaſerit, & à quamplurimis variarum Gentium Scriptoribus propagata ſit: Nam, & *Diodorus Siculus*, & *Strabo*, & *Trogus Pompeius*, ejúſque epitomator *Juſtinus*, & *Plinius*, & *Tacitus*, & *Juvenalis*, & *Galenus*, & *Longinus*, & alii benè multi, in Scriptis ſuis Moſis meminerunt, eúmque inter celeberrimos Legumlatores numerârunt. Quamobrem, ſi quid unquam famâ certiſſimâ atque exploratiſſimâ, inter homines innotuit, hoc ſuit ſine dubio, Moſem Reipublicæ Hebræorum fundatorem ac Legiſlatorem fuiſſe; Ac proinde, qui id negaverit, apud eum humanam omnem cognitionem vacillare, omnémque Hiſtoriam planè incertam, imò falſam eſſe, neceſſe eſt.

XLVIII. Sed neque probabilior eſt ea Hypotheſis, quam ſecundo loco poſuimus; ſcilicèt *exſtitiſſe quidem Moſem, ſed fuiſſe impoſtorem, qui Populum Iſraëliticum fictis Miraculis fefellerit, & ad obſequium ſuum hac fictione adduxerit*: Etenim, qui vel tantillùm ad hanc Hiſtoriam animum adverterit, videbit, impoſturam illam, quæ Moſi tribuitur, non modò ab omni veri ſpecie alienam, ſed & planè impoſſibilem eſſe. Primò quidem,

vel ſolus Moſaïcæ Doctrinæ conſpectus, ſuſpicioni illi amovendæ abundè ſufficeret. Quis enim concipiat, tam præclaras Dei ideas, tam exquiſitam Legem, tam eximias pietatis, virtutis, ſinceritatis, notiones, ab eo proferri atque inculcari, qui ipſe nequiſſimus Impoſtor eſſet? Imò quis concipiat, impudentiſſimam illam impoſturam non alio fine adhiberi, quàm ut Doctrina ſanctiſſima, puriſſima, fraudis omnis inimiciſſima, hominibus inſtilletur? Secundò, ei ſuſpicioni vita Moſis etiam repugnat; in qua tantus patet recti amor, tantus pro Dei gloria zelus, tantus propriorum commodorum & propriæ gloriæ neglectus, prout Th. IX. jam obſervavimus, ut Impoſtoris character in eum cadere neutiquam poſſit. Verùm tertiò, quod palmarium eſt, iſtámque Hypotheſim, de qua jam dicimus, planè evertit, certè talia ſunt ea Prodigia, quæ Moſi tribuuntur, ut, ſi falſa fuerint, ea Populo perſuaderi vix ac ne vix quidem potuerint. Ac ſanè, quomodo perſuaderi Populo potuiſſet, ſeipſum pede ſicco, per medias Maris Erythræi aquas, tranſiviſſe, Ægyptios verò ipſos perſequentes undis abſorptos fuiſſe? Quomodo Populo perſuaſum eſſet, primogenitos omnes Ægyptiorum occiſos, ſuos verò primogenitos, ope ſanguinis póſtibus illiti, ab eo periculo liberos fuiſſe? Quomodo Populo perſuaſum eſſet, miram illam columnam nubis, dum iter facerent, ipſos præceſſiſſe, quæ interdiu ab ardore Solis eos tegeret, noctu facis inſtar iis præluceret? Quomodo Populo perſuaſum eſſet, ſe, terrifico illo adparatu, inter fulgura & tonitrua, Legem à Deo accepiſſe? Quomodo Populo perſuaſum eſſet, ſe, per annos quadraginta, cibis é Cœlo miſſis, & aqua ex rupe educta, ſuſtentatos eſſe? Quomodo Populo perſuaſum eſſet, tot homines, tot familias, imò tot hominum myriades, ipſis præſentibus atque videntibus, vel à terra abſorptos, vel igne cælitùs miſſo conſumptos, vel aliis pœnis, ob rebellionem & murmura, adfectos fuiſſe? Sanè hæc omnia ejus ſunt naturæ, ut ei Populo, apud quem accidiſſe perhibentur, perſuaderi nunquam potuerint. Itaque inſanum fuiſſe Moſem oporteret, ſi vel illud tentaverit; Et, ſi tentâſſet, id perſuadere

dere impoſſibile prorsùs fuiſſet. Enimverò fingi quidem poſſunt Miracula quædam in abdito facta; ſed hæc omnia, publicè, ac teſte Populô, facta memorantur. Fingi etiam poſſunt res quædam miræ, ſed quæ humanis quibuſdam artibus, ac fallaciis perfici queunt, qualia ſunt quæ ab Agyrtis & Circulatoribus quotidie fiunt; quorum in numero dubium non eſt quin Magi Ægyptii reponendi fuerint: At verò hæc Moſis Miracula longè diverſi ordinis erant, & clarum eſt ea omnem artem, vim omnem humanam planè ſuperâſſe. Denique, unum fortè vel alterum Prodigium, quadam fraude mentiri licet: Sed hîc longa ſeries Prodigiorum occurrit, quæ per fraudem ſimulata eſſe, vix ac ne vix quidem concipi poteſt.

XLIX. Verùm dices, Viros Politicos, ac ſpeciatim Legumlatores, ejuſmodi fraudibus, ad Leges ſuas inſtituendas atque commendandas, ſæpiſſimè uſos eſſe; ſic *Numam* Deæ Egeriæ, *Minoa* Jovi, *Lycurgum* Apollini, *Muhammedem* Angelo Gabrieli, alios aliis, Leges ſuas ac Religiones acceptas retuliſſe. R. At verò ex dictis liquet, inter miracula Moſis, & Legiſlatorum illorum figmenta, infinitum diſcrimen eſſe. Nam, nonniſi occultam quandam cum Diis ſuis ſocietatem, & Numa, & Lycurgus, & alii, mentiebantur: Contrà verò omnia hîc publica, omnia inſpectante Populo peracta; imò & ipſe Populus harum rerum pars magna fuit. Quocirca nullus hîc fraudi, imò ne ſuſpicioni quidem, poteſt locus eſſe.

L. Objicies rursùs, quædam eſſe Moſis miracula, quæ arte humanâ præſtari potuerint; v. g. tranſitum per Mare Rubrum, obſervatô ventô ac æſtu, à Viro perito tentari potuiſſe: Quod quidem confertur cum tranſitu Alexandri Magni per Mare Pamphylium; neque dubitat *Joſephus* Hiſtoricus duo hæc Facta ſecum invicem conferre. R. Verùm 1. etiamſi quædam Moſis miracula humanis artibus tribui poſſent, certè parùm promoveretur Incredulorum cauſſa: Etenim non unum aut alterum, ſed inumera hîc occurrunt Prodigia; ac proinde, qui unum vel alterum per cauſſas naturales explicuerit, is parùm promovebit, ſiquidem alia longè plurima paris ſolutionis

nis expertia fuerunt. 2. Quod exemplum adducitur, nempe Erythræi Maris trajectio, tale profectò est, ut per cauſſas naturales explicari neutiquam poſſit: Etenim, ſi nihil hîc præter ſolitum contigerit, hoc eſt, ope æſtûs ac venti ordinarii, trajectio illa facta ſit, id, neque Iſraëlitis, neque Ægyptiis, ignotum eſſe potuit; Quamobrem, neque terreri Iſraëlitæ, neque gaudere Ægyptii debuiſſent: Neque credendum, Ægyptios tam imprudenter ſeſe mari commiſſuros, ſiquidem fluxûs ac refluxûs horæ ipſos latere non poterant. 3. Id immenſum diſcrimen, inter Alexandri Magni tranſitum, & Iſraëlitarum trajectionem, interponit, quòd Alexander Magnus opportunam quidem occaſionem nactus ſit, eâque prudenter ſit uſus, ſed nullum tamen prodigium hîc agnoverit, prout ex ejus epiſtolis oſtendit *Plutarchus*; contrà verò Moſes rem planè divinam innuat, imò &, ante eventum, prænuntiet Iſraëlitis, ſe quidem Dei auxilio ſalvos fore, Ægyptios verò funditùs deletum iri; *Ne timeatis*, inquit, *conſiſtite, & ſpectate ſalutem Jehovæ, quam hodie vobis adferet; nam quos hodie vidiſtis Ægyptios, eos nunquam amplius videbitis*; Exod. XIV. 13. Quæ quidem verba inepta prorsùs fuiſſent, ſi nonniſi æſtus maris, ac ventus ordinarius, expectati eſſent.

LI. Adhæc, ficta non fuiſſe Moſis miracula, ex modo quô cum Iſraëlitis egit, poſtquàm illa accidiſſent, non parùm confirmatur. Nam ſæpiſſimè Prodigia illa memorat; ſæpiſſimè Iſraëlitas teſtes advocat; ſæpiſſimè, ut eos ad obſequium flectat, prodigiis illis utitur: Imò ſæpiſſimè, eorum vitia objurgans, exprobrat, quòd, poſt tot beneficia, poſt tot prodigia pro ipſis patrata, ingratiſſimi mortalium eſſent. Profectò non ea ratione ſeſe gerunt Impoſtores; Ea quæ nolunt expendi, quàm rariſſimè poſſunt memorant; Neque illos quos decipiunt, probris ac cenſuris, ad fraudes ſuas explorandas & retegendas, excitant.

LI. Denique, ſi ficta eſſent, ea quæ Moſes venditabat, miracula, quî fit ût nemo Iſraëlitarum fraudem illam retexerit, cæteris aperuerit, effecerítque ut illa in publicam lucem mitteretur? Præſertim cùm ageretur de Lege duriſſima ipſis imponenda, quam

quam ipſi ægrè admodùm ferebant, lubentiſſiméque, ſi modò facultas adfuiſſet, excuſſiſſent. Sanè concipi nequit, quomodo tot hominum myriades, ita decipi à Moſe ac faſcinari potuiſſent, ut duriſſimis ejus imperiis ſe ſubmitterent; ut totis quadraginta annis, in horrenda ſolitudine, ipſo duce, errarent; ut ſummam ejus ſeveritatem, in rebelles exercitam, pati cogerentur; neque tamen ejus impoſtura, ſi modò impoſtor eſſet, unquam cognita ac retecta fuerit. Quæ quidem omnia, ſecundam hanc Hypotheſim, de Moſe impoſtore, & Populum Iſraëliticum fictis prodigiis fallente, ita conficiunt atque evertunt, ut nullus, apud æquos Judices, ei ſuſpicioni locus ſuperſit.

LIII. Tranſeundum ergo ad III. Hypotheſim, *quòd ſcilicèt Moſis fraudes, & ficta Miracula, Populo conſcio atque adjutore, peracta fuerint.* Verùm & hanc Hypotheſim ab omni veri ſpecie abhorrere, vel mediocriter adtendentibus conſtare poterit. Etenim primò, quis concipiat, concertationem ejuſmodi, inter tot hominum myriades, fieri potuiſſe? Sanè qui ejuſmodi fraudes moliuntur, non tot teſtes, non tot conſcios fraudum ſuarum eſſe volunt. Secundò, ſi ita imprudens hac in re fuiſſet Moſes, fieri non potuiſſet ut fraus illa diu tegeretur; Etenim, quæ arcana tot hominibus committuntur, quomodo diu celari poſſent? Tertiò, quis credat, Populum Iſraëliticum, tam duræ Legi, tam oneroſis præceptis, ſe ſubjecturum fuiſſe, ſi noverat Virum illum, qui eam Legem ſibi imponebat, nihil aliud quàm Planum fuiſſe? Imò quis credat, Populum illum, moroſum, immorigerum, jugi impatientem, ſi quis unquam fuit, ad propria vincula cudenda cum Moſe conſpirâſſe? Quartò, ne in illas fraudes conſpirarent Iſraëlitæ, ſi non innatus pudor, ſi non veri reverentia eos abducebat, certè vel ſolus metus, ne apud cæteros Populos infamarentur, eiſque ludibrio eſſent, eos deterrere debuit. Etenim, quibus non ſannis, quibus non probris excepti fuiſſent, cùm ab Ægyptiis, tum ab aliis vicinis Gentibus, ſi & plagas Ægyptias, & tranſitum per Mare Rubrum, & Ægyptiorum ſub-

merſionem, mera commenta eſſe patuiſſet? Nec enim id Gentes illas latere poterat; ac, pro ſuo in Judæos odio, ſummâ curâ id evulgaſſent. Denique, ſi Iſraëlitæ fraudis illius conſcii fuerant, quî fit ut illorum Poſteri tanta fide in Moſem, tanta Legis ejus reverentia, tanta conſtantia in ea tuenda, etiam inter graviſſima tormenta, etiam ſpretâ morte, præditi fuerint? Quomodo Majores, impoſturæ illius gnari, nullâque moti pietate, tantam fidem, tantum obſequium, ſuis liberis atque nepotibus, ad ſeram uſque poſteritatem, tranſmiſêre? Ex quibus omnibus abundè liquet, tertiam hanc Hypotheſim, de Populo Iſraëlitico Moſaïcarum fraudum conſcio, omninò abſurdam eſſe.

LIV. Sola ergo ſupereſt IV. Hypotheſis, quòd ſcilicèt *Hiſtoria hæc, ac ſpeciatim Prodigia in ea narrata, nonniſi ſerò ſcriptis mandata ſint, adeóque excogitari, & veræ Hiſtoriæ admiſceri potuerint.* At verò hæc Hypotheſis, quæ ultimum eſt Incredulorum effugium, non minoribus laborat incommodis, quàm illæ de quibus diximus. Ac ſanè, qui id proferunt, vel exiſtimant totam hanc Hiſtoriam, quæ Moſis eſſe dicitur, planè ſpuriam eſſe, vel putant quædam tantùm loca, ea v. g. quæ de Prodigiis agunt, ei adſuta fuiſſe. Atqui neutrum, cum ulla veri ſpecie, proferri poteſt. Quòd *totus Liber ſit ſpurius*, adeóque Lex ipſa ficta, id nullatenùs adfirmare licet. Etenim, ut jam diximus Th. XXXVI. fama publica, conſtans Sæculorum & Scriptorum omnium teſtimonium, reclamat: Præſertim cùm hîc agatur, non de Libro quodam vulgari, ſed de Libro maximi momenti, non de Libro quodam abdito, ſed de Libro admodùm noto, quem Gens integra, tanquam Religionis & Politiæ normam, Inde ab ultimis temporibus venerata eſt, hodiéque veneratur. Quamobrem, ſi abſurdum eſſet, *Ciceronis* Orationes, aut *Virgilii* Poëmata, auctoribus illis abjudicare, multò magis abſurdum fuerit, Libros qui Moſis nomen præferunt, Moſi ademptos velle. Neque obſtant nomina quædam propria, vel aliæ quædam voculæ, Moſis ævo recentiores; utpote quæ, facilioris intelligentiæ cauſſâ, adſcribi,

ab

ab Eſdra, vel aliis, ſalvô Librô, rectè potuêre. Quòd verò Liber quidem ipſe genuinus ſit, ſed *multa ei addita, ea imprimis quæ de Prodigiis dicuntur*, id verò eſt quod eædem rationes refellunt. Cùm enim Liber ille à Judæis maximi fieret, atque in omnium manibus eſſet, omniúmque Judiciorum, tam civilium, quàm ſacrorum, normam præberet, concipi neutiquam poteſt, quomodo tanta Hiſtoriæ pars, & quidem tam momentoſa, ei poſtmodùm adjuncta fuerit.

LV. Enimverò Miracula Moſis, cum reliqua ejus Hiſtoria ita arctè connectuntur, ut ab ea vix ac ne vix quidem divelli queant. Nam v. g. liberatio Iſraëlitarum ab Ægyptiaca ſervitute, Lex ipſis impoſita, eorum commoratio in Deſerto, atque in terram Cananæam introductio, Moſis reverentia, eique præſtitum obſequium, illa omnia vix concipi poterunt, ſi à Miraculis à Moſe patratis ſejungantur. Sed, quod palmarium, ipſa Lex Moſaïca, in multis ſaltem præceptis, ad Miracula illa adludit, imò &, eorum occaſione, inſtituta adparet. Sic ipſa Legis præfatio, liberationis ex Ægypto mentionem facit. Sic tria Judæorum Feſta, ſolemnéſque illorum ritus, tum ad mirum ex Ægypto egreſſum, tum ad Legis promulgationem, tum ad commorationem in Deſerto, adludebant; ac proinde, vel ſola illa Feſta, quæ Judaïcæ Religionis pars magna fuêre, Miraculorum illorum memoriam perpetuò revocabant. Sic redemptio primogenitorum, aliáque non pauca idgenus, ad primogenitos Iſraëlitarum ſervatos, aliáque Moſis Miracula, referebantur. Quinimò, tota Tabernaculi conſtructio, omnéſque quibus conſtabat partes, erant veluti Liber quidam vivus, qui Miraculorum illorum memoriam conſervabat: Nam, cur ibi erat Manna? Cur virga Aaronis? Cur Arca fœderis, & Legis tabulæ in ea incluſæ? niſi ad perpetuam illorum omnium eventuum recordationem. Quid, quòd erant inter Judæos, perpetua quædam Miracula; putà, Oraculum *Urim* & *Thummim*; triplex Telluris, ſextô quôque annô, proventus; Regionis incolis vacuæ, temporibus Feſtorum, ſecuritas; &c. Quæ omnia dum viderent ac ſentirent Iſraëlitæ, ipſorum Moſis Mira-

culorum memoria recurrebat, atque in eorum fide non parùm confirmabantur.

LVI. Præterea, ſi locum haberet ea Hypotheſis quam refellimus, Miracula nempe illa ſecutis temporibus excogitata atque adjuncta fuiſſe, vel id factum eſt ſtatim poſt Moſem, vel longo pòſt tempore. Non *ſtatim poſt Moſem*, ob rationes jam allatas; ſiquidem recens geſtorum memoria, & rei momentum, obſtitiſſent. Neque etiam *longo pòſt tempore*; Etenim quî fit ut ipſa Lex Moſis horum omnium veſtigia contineat? Quî fit etiam, ut paria Prodigia per totam Hiſtoriæ Judaïcæ ſeriem continuentur? Quî fit in primis, ut Liber ille, tam impudenter corruptus, & mendaciis refertus, tantam nihilominùs auctoritatem conſequatur, ut nulla unquam major cuiquam alii Libro contigerit? ſiquidem, & Religionis, & Politiæ, & Sacerdotum, & Regum, & Privatorum omnium norma, cùm in civilibus, tum in ſacris, unanimi conſenſu habitus eſt. Adhæc, corruptela illa, *poſt ſeceſſionem X. Tribuum*, induci non potuit, cùm Pentateuchus Samaritanus, hac in parte, à Judaïco non differat. Neque etiam facta eſt *poſt tempora Davidis*; ſiquidem David, ſuis in Canticis, Miraculorum illorum, tanquam notorum, paſſim meminit. Imò neque facta dici poteſt, poſt *Samuelem*, poſt *Judices*, poſt *Joſuam*, niſi Hiſtoriæ illorum temporum, vel omninò ſpuriæ, vel adulteratæ pariter dicantur; quod quidem eſſet, abſurda abſurdis ſuperaddere & cumulare. Iterùm, vel Miracula illa poſt Legem ſuſceptam inſerta ſunt, vel antequam ſuſciperetur. Si *poſt Legem ſuſceptam*, quid effecerat ut tam dura Lex ab Iſraëlitis admitteretur? Nam admiſſam eſſe, poſitis Miraculis, facilè concipitur: At, ſine Miraculis, ſine argumentis, admiſſam eſſe, vix ac ne vix quidem concipi poteſt. Si *ante Legem admiſſam*, quomodo Fabulæ illæ, Populo non omninò ſtulto, neque admodùm morigero, perſuaderi potuêre; & ita quidem perſuaderi, ut, eam ob cauſſam, Legi duriſſimæ ac oneroſiſſimæ ſeſe ſubjecerit? Ex quibus omnibus abundè liquet, quomodocunque Increduli ratiocinentur, & quamcunque in partem

partem ſe vertant, eos nullam Hypotheſim tantiſper ſanam, imò tantiſper veriſimilem, in medium proferre poſſe. Unde nos jure merito, & veritatem hujus Hiſtoriæ, iſtorúmque Prodigiorum, & Religionis Judaïcæ, iis innixæ atque confirmatæ, divinitatem colligimus.

SECTIO TERTIA,

Quâ Judaïcæ Religionis *veritas ac divinitas ex* Prophetiis *confirmatur.*

LVII. Inter omnia, quæ vim divinam innuunt, argumenta, haud ſcio an ullum luculentius ſit, & ad fidem faciendam aptius, quàm Prophetiæ, ſeu futurorum prædictiones. Etenim res futuræ, ſaltem certi cujuſdam generis, atque in certis circumſtantiis, nonniſi ab Ente omniſcio, & rerum omnium moderatore, prænoſci poſſunt. Propterea Deus, ut auctoritatem ſuam commendet, ſéque à falſis Diis diſtinguat, hâc notâ non ſemel utitur; ut Eſai. XLI. XLII. XLIV. XLV. aliiſque locis. Cùm igitur quamplurimæ exſtent in Veteri Teſtamento Prophetiæ, ab eventu luculentiſſimè impletæ, placet argumentum illud, ſi non pro rei dignitate tractare, quod longioris operæ eſſet, certè paucis hîc proponere, &, quanti ſit ponderis, quibuſdam prolatis exemplis, demonſtrare.

LVIII. Ut valeat argumentum illud, quod ex Prophetiis ducitur, tria conſtare neceſſe eſt: Primò, Prophetias illas ante eventum prolatas eſſe; Secundò, eventum cum iis rectè conſentire, eáſque adimplere; Tertiò, illas de iis rebus agere, quæ humanâ arte ac ſagacitate prænoſci non potuerint. Si aliquid ex hiſce deficiat, argumentum ex Prophetiis ductum non ſtringit; Si adſint, non poteſt non validiſſimum eſſe.

LIX. Cùm autem vel minima hujus generis Prædictio notatu digniſſima ſit, ſunt tamen quædam circumſtantiæ, quæ Prophetias illuſtriores ac validiores efficiunt. Scilicèt, quò Prophetiæ antiquiores ſunt eventu, quò plures res prædictæ ſunt,

quò pluribus cum circumſtantiis, quò res prædictæ magis ſunt ſingulares, magis raræ, minùs veriſimiles, in primis verò quò res prædictæ ab arbitrio humano magis pendent, eò etiam Prophetias illas præſtantiores eſſe, & Dei digitum clariùs monſtrare, nemo non videt.

LX. Exemplis res illuſtrabitur. Si aliquis, verbi gratiâ, ante ducentos vel trecentos annos, prædixiſſet fata omnia Familiæ *Valeſiæ*, & Familiæ *Borboniæ*, quinam præcipui ex utraque Familia Reges, quænam bella inter ipſos & Domum *Auſtriacam*, quis in bellis illis ſuperior, quænam pacis fœdera, quænam matrimonia ad fœdera illa firmanda, &c. Pariter, ſi aliquis iiſdem temporibus prædixiſſet fata Familiæ *Stuartiæ*, unum nempe ex illis Regibus Angliæ & Scotiæ Regna conjuncturum, alium à Subditis decollandum, alium ex Regno fugiturum, ejúſque loco Filiam ejus ac Generum regnaturos; mox, quôdam interjectô ſpatiô, Coronam ad eximium quendam Principem, ortu Germanum, tranſituram, &c. Adhæc, ſi aliquis, per eadem tempora, de Europæ fatis differens, Heroës quoſdam noſtræ vel noviſſimæ ætatis, velut GULIELMUM aut GEORGIUM, Britannicæ Libertatis ac Religionis Vindices, ipſo nomine adpellàſſet, &c. Poſtremò, ſi quis ante mille, imò ante mille ſexcentos annos, ea prædixiſſet, quæ *Vallium Pedemontanarum* incolis, poſt ea tempora, eventura eſſent, quomodo ab Eccleſia Romana ſeceſſuri, quot lanienas paſſuri, quoties ex patrio ſolo pellendi, quô pactô reſtituendi, &c. Quis non fateatur, ea omnia, aliáque ejuſdem generis, tam adcuratè deſignata, tot circumſtantiis veſtita, humanâ arte ac ſagacitate, tanto ante eventum tempore, prænoſci non potuiſſe; ac proinde, ſi prædicta ſint, nonniſi Deo adflante ac revelante, prædicta eſſe?

LXI. Atqui his omnibus planè ſimilia, à Judæorum Vatibus prædicta, ab eventu verò luculentiſſimè impleta, reperiuntur. Cùm verò plurimæ exſtent, in ſacris Judæorum Libris, Prophetiæ, aliæ quidem citiùs, aliæ ſeriùs impletæ; aliæ de privatis rebus, aliæ de tota Gente Judaïca, & aliæ etiam de cæteris

teris Gentibus; aliæ quæ in ipſis Judæorum rebus terminantur, aliæ verò quæ ad Chriſtum & Evangelii tempora pertinent; placet hôc locô nonniſi duas vel tres, noſtro judicio luculentiſſimas, ſpeciminis loco adducere, quæ vel ſolæ Theſim noſtram abundè firmabunt, & ex quibus de reliquis judicium fiet.

LXII. Primum exemplum nobis ſuppeditant ea *Moſis* loca, quibus Judaïcæ Gentis infortunia atque excidia comminando prænuntiat, in primis Levit. XXVI. & Deuteron. XXVIII. His in locis, variæ comminationes adcumulantur atque miſcentur, & hæ quidem præ ceteris. Dicitur 1. Iſraëlitas extra patriam deportatum iri; 2. Id factum iri à Gente quadam remota, cujus linguam non intelligent; 3. Habituros Regem, quo tempore ſic transferentur, Regémque unà cum ipſis tranſlatum iri; 4. Urbes ipſorum obſidione cingendas, muróſque cum fortalitiis omnibus evertendos; 5. Deſolatum iri Urbes & Sanctuaria; 6. Horrendam famen futuram, & quidem tempore obſidionis, eò uſque ut parentes ad liberorum carnem comedendam adigantur; 7. Tellurem incultam manſuram per Sabbatha ſua; 8. Judæos diſperſos fore per omnes Gentes; 9. Ludibrio habitum iri ab iis Gentibus, apud quas vivent; 10. Nullam quietem habituros; 11. Semper trepidaturos; vitam eorum ſemper quaſi ſuſpenſam fore; 12. Multos vendendos, atque in Ægyptum tranſmittendos; 13. Poſt ea omnia, multos ex ipſis pœnitentiam acturos, & peccata confeſſuros. 14. Deum Fœderis ſui recordaturum, iiſque opem laturum.

LXIII. Quàm apta & adcurata horum omnium impletio viſa ſit, tum in deportatione X. Tribuum in Aſſyriam, quæ accidit 800. poſt Moſem annis, tum in Captivitate Babylonica, quæ plus quàm 900. annis Moſe poſterior fuit, tum in ultimo Hieroſolymorum Excidio, quod nonniſi 1600. poſt Moſem annis contigit, vel ſola collatio Hiſtoriæ cum his Vaticiniis docere poteſt. Certè Hebræi, in cladibus illis omnibus, extra patrios fines ſunt deportati. Auctores illarum cladium, *Aſſyrii*, *Chaldæi*, *Romani*, fuêre Gentes remotæ, comparatè ſcilicèt

ſcilicèt ad alios Judæorum hoſtes, Palæſtinæ viciniores. Regimen Regium, temporibus illis, cùm inter Iſraëlitas, tum inter Judæos, vigebat. Obſeſſa, tum Samaria, tum Hieroſolyma, in utroque excidio; carúmque Urbium muri & Sanctuaria deſolata ſunt. Quódque adprimè notandum, horrenda illa fames, quæ parentes cò barbariei adactura erat, ut proprios liberos comederent, viſa eſt, tum in obſidione Samariæ, ut narratur 2. Reg. VI. tum in ultimo Hieroſolymorum excidio, teſte *Joſepho*, Lib. VII. de Bel. Jud. cap. 21. Tellus inculta per Sabbatha ſua manſit, prout notatur 2. Paral. XXXVI. 21. eleganti adluſione, tum ad Annos Sabbathicos, tum ad Captivitatem 70. annorum. Porrò diſperſi in varias oras Judæi fuêre, ludibrio habiti, ſine quiete, ſemper trepidantes, utpote qui non ampliùs Domini, ſed aliorum ſervi fuerunt; quod & ad hanc uſque diem cernitur. Multi venditi, atque in Ægyptum tranſmiſſi; unde plurimos à Ptolemæo Philadelpho libertate donatos eſſe, memoriæ proditum eſt. Poſtmodùm multi ex Judæis pœnitentiam egerunt, & peccata modô ſolemni confeſſi ſunt, ut *Daniel*, *Eſdras*, *Nehemias*, aliíque: Quibus motus Deus, fœderis ſui recordatus eſt, eóſque, ſaltem ex Captivitate Babylonica, reduxit: Imò & poſt ultimum Excidium, verè pii, Chriſtiani facti, Dei promiſſiones modô pleniſſimô & perfectiſſimô experti ſunt. Atque ſic ea omnia, quæ à Moſe prædicta fuerant, in memorandis illis cladibus luculenter impleta fuêre.

LXIV. Quid dicent Increduli, ut harum Prophetiarum, earúmque implementi, robur infringant? An dicent, *Libros Moſis ſpurios, & poſt clades illas conſcriptos?* 3ᵒ. Sed præter ea, quæ de Librorum illorum veritate jam diximus, certè gradatim demonſtrari poteſt, eos Factis iſtis antiquiores eſſe. Exſtabant tempore Chriſti; nemo id inficias iverit. Exſtabant ſub Ptolemæis, cùm in Græcam Linguam verſi ſunt. Imò exſtabant ante ſciſſum Hebræorum Regnum, cùm à Samaritis admittantur. Itaque exſtitiſſe ante clades memoratas indubium eſt. An dicent ſaltem *loca illa poſt eventum inſerta eſſe?* 3ᵒ. Verùm obſtat

obſtat reverentia, quâ Judæi Libros Moſis ſemper habuêre. Non erat Liber abſconditus; Erat in omnium oculis; Multa erant ejus exemplaria; Erat Sacrorum & Politiæ norma; Itaque adulterari vix ac ne vix quidem potuiſſet. Adhæc, minas illas Moſis, Prophetæ reliqui non ſemel laudant, vel ſaltem ad eas adludunt. Rursùs, probabile non eſt, ſeveras illas objurgationes, ſibi ipſis adeò probroſas, à Judæis confictas eſſe. Denique, hæc ipſa loca in Pentateucho Samaritico occurrunt, adeóque ante dictas clades certiſſimè exſtitêre.

LXV. Dicent fortè, ea omnia, *humanâ ſagacitate, vel caſu, aut conjecturis, prænoſci potuiſſe.* &c. Sed quomodo, tanto antè tempore, res adeò ſingulares, & cum tot circumſtantiis, in mentem venire poterant? Quomodo ſciebat Moſes, Iſraëlitas, eo tempore de quo loquebatur, Regem habituros? Quomodo ſciebat, Aſſyrios, Chaldæos, Romanos, é longinquo venturos, ut Judæos adgrederentur? Quomodo ſciebat, Urbes Judæorum obſidione cingendas? Quomodo ſciebat, Judæos extra patriam deportatum iri, non verò prorsùs perituros, aut in patria ſervituros? Speciatim verò quis concipiat, circumſtantiam ita raram, ita ſtupendam, ita horrendam, qualis erat fames illa, quâ parentes liberos comederent, ullâ conjecturâ, vel ſagacitate, animum ſubire poſſe?

LXVI. Unum ergo ſupereſt quod dicant; ſcilicèt *has tantùm comminationes, non verò Prophetias eſſe.* &c. Fatemur eſſe comminationes; ſed profectò ita ſunt notabiles, tot circuſtantias adjunctas habent, & circumſtantias quidem ita raras, ita ſtupendas, ita ſingulares, eáque omnia ab eventu, modô ita mirô, impleta ſunt, ut ſimul eſſe veras Prophetias, & quidem illuſtriſſimas, negari non poſſit.

LXVII. Alterum exemplum nobis præbet mirabilis illa *Eſaïæ* prædictio de Cyro, cap. xliv. & xlv., quem nomine ipſo adpellat, ejus victorias exponit, ab eóque Hieroſolymam, Gentémque Judaïcam, reſtitutum iri prænuntiat. *Ego ſum qui dico Hieroſolymæ, habitaberis; & civitatibus Judæ, ædificabimini; & loca ejus deſerta reſtituam: Qui dico* Cyro,

Paſtor meus es; & omne beneplacitum meum implebit: Qui dico Hieroſolymæ, ædificaberis; & Templo, fundaberis. Cap. XLIV. 26. 28. Et rursùs cap. XLV. 1. *Sic ait Jehova Uncto meo* CYRO, *cujus dextram apprehendam, ut ſternam coram eo Gentes, & lumbos Regum diſſolvam;* &c.

LXVIII. Et hæc quidem ab Eſaïa prænuntiabantur, ducentis annis, imò fortè ampliùs, antequàm Cyrus exiſteret; qui re verâ, poſt multas victorias, expugnatâ Babylone, Judæis exſulibus, in patriam redeundi, & Templum Hieroſolymitanum inſtaurandi, poteſtatem fecit. Egregium ſanè Oraculum, & quod, ſi aliud ullum, vim divinam manifeſtò prodit! Quis enim capiat, humanâ ullâ ſagacitate, ullô caſu, vel conjecturâ, ipſum Principis cujuſdam nomen, & potentiam, & res geſtas, & propenſum in Judæos animum, & promulgandum in eorum gratiam Edictum, ducentis ante eventum annis prædici? Unde obſervat *Joſephus*, Cyrum ipſum, lectis Eſaïæ Vaticiniis, viſôque hôc Oraculô, rei divinitatem miratum eſſe, & ad ea implenda, quæ de ſe prædicta fuerant, animum adjeciſſe; quod & in ipſo Edicti ſui proœmio teſtatum fecit. *Joſeph.* Antiq. Jud. Lib. XI. cap. 1.

LXIX. Quòd enim, *vel totus Eſaïæ Liber, vel ſaltem Oraculum hoc, Cyri temporibus fabricatum ſit, ut, eô viſô, Rex ille ad Judæos liberandos excitaretur*; hæ ſuſpiciones ſtatim quidem oriri poſſunt; At, preſſiùs examinatæ, ab omni veri ſpecie abhorrere deprehenduntur. Etenim notum eſt, Gentem Judaïcam ſingulari quâdam reverentiâ Libros ſuos ſacros habuiſſe, inprimis Prophetias, quas nonniſi poſt adcuratiſſimum examen admittebant, & à Scriptis omnibus humanis ſummo ſtudio ſecernebant. Ac ſanè, quî fit, ut, poſt Malachiam, nemo id munus ſibi adſumpſerit, nulláque ampliùs Vaticinia ſacro Codici adjuncta fuerint? Quî fit, ut Reges atque Principes, Sacerdotes, Levitæ, id ſibi munus vulgò non adſcriberent? ne iis quidem temporibus, quibus omnia mutata volebant; quæ fictio eorum conſilia non parùm promoviſſet: Imò quî fit, ut, in hodierna Judæorum diſperſione, acerbiſſima atque longiſſima, innu-

innumeri, ad Populares ſuos ſolandos, Prophetias non emiſerint, hodiéque emittant? Sanè id notat ſingulare ſtudium, fidémque intemeratam, quibus Judæi, in expendendis Prophetiis, utebantur; quo factum, ut eas fingere, augere, vitiare, impoſſibile prorsùs fuerit. Rursùs, Eſaïæ Prophetias longè ante Cyrum notas fuiſſe, ex eo liquet, quòd eas reliqui Prophetæ, v. g. *Micheas*, *Nahum*, *Jeremias*, non unô locô exſcribant, vel ſaltem imitentur. Denique Judæos exſules eò impudentiæ, imò & imprudentiæ, deveniſſe, ut fictas Prophetias Cyro offerrent, nullatenùs credibile eſt; ſiquidem eorum fraus, à Sacerdotibus Ethnicis, Chaldæis, Medis, Perſis, imò & à Samaritis, aliiſque ipſorum hoſtibus, hauddubiè retecta eſſet; unde ipſi Cyro exoſi, potiùs quàm accepti, facti eſſent.

LXX. Tertium exemplum nobis erunt præclaræ illæ *Danielis* Prophetiæ, de quatuor Monarchiis, ſpeciatimque de *Alexandro Magno*, & ſucceſſoribus, *Seleucidis* & *Lagidis*. De his multa jam habet Daniel, cap. II. in expoſitione Statuæ à Nebucadnetſare in ſomniis viſæ; nec non & cap. VII. ſub emblemate quatuor Beſtiarum, Leonis, Urſi, Pardi, & Beſtiæ decem cornibus inſtructæ; item cap. VIII. ſub emblemate Arietis & Hirci. Verùm plenior & adcuratior horum omnium deſcriptio legitur cap. XI., quô, poſt nonnulla de Perſarum Regibus poſt *Cyrum*, in primis verò de *Xerxe*, omnium potentiſſimo, & Græciæ moleſtiſſimo, imperium *Alexandri M.*, diviſio illius inter quatuor ejus Duces, res *Seleucidarum* Syriæ, & *Ptolemæorum* Ægypti Regum, eorum bella, fœdera, matrimonia, exitus, &c., uſque ad *Antiochum Epiphanem*, hoc eſt, per ſpatium quadringentorum circiter annorum, inde à tempore quô prophetabat Daniel, ita graphicè deſcribuntur, minimis etiam circumſtantiis notatis, ut, his lectis, non Prophetia, ſed Hiſtoria legi videatur.

LXXI. Iſta fusè recenſere, atque, adductis Hiſtoricorum teſtimoniis, explanare, hujus compendii ratio non ſinit. Sed neque neceſſe eſt; ſiquidem res ab omnibus agnoſcitur, ne ipſô quidem *Porphyriô* exceptô, Judæorum & Chriſtianorum hoſ-

te acerrimô; qui, cùm negare Vaticiniorum cum Hiſtoria conſenſionem non poſſet, eò recurrit, ut ipſum Danielis Librum poſt Antiochi Epiphanis tempora fictum eſſe contenderet. *Cujus impugnatio*, ait Hieronymus, *teſtimonium veritatis eſt. Tanta enim dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixiſſe, ſed narraſſe præterita.* HIERON. in *Proœmio Commentar. Daniel.* Et huic quidem accuſationi, tres ex Veteribus, *Methodius*, *Euſebius*, & *Apollinarius*, ſuis contra Porphyrium Libris, *ſolertiſſimè reſponderant*, ut teſtatur *Hieronymus*. Verùm, licèt, tum Porphyrii opus, tum illius confutationes, temporis injuriâ perierint, tamen ſatis rationis habemus, ut, nec de torius Danielis Libri, nec de iſtorum Oraculorum veritate & antiquitate, ullatenùs dubitemus.

LXXII. Enimverò Danielis Liber, ab univerſa Judæorum gente, pro genuino ſemper habitus eſt; Nullum hac de re diſſidium fuit; Sectæ omnes, quantùm quidem novimus, in hoc concordes fuêre, quamvis in hoc Libro ſit locus, qui Sadducæis negotium faceſſere debuit. Itaque, de hoc Libro, non ſecùs ac de cæteris, Genti ſacrorum Codicum ſtudioſiſſimæ, atque in expendendis Prophetiis diligentiſſimæ, fidem habere æquiſſimum eſt. Adhæc, ſi de Sæculo in Sæculum adſcendamus, patebit, quàm notus olim, & quanto in pretio habitus, iſte Danielis Liber fuerit. Exſtabat certè, & magni fiebat, tempore *Joſephi* Hiſtorici, qui Danielis honorificentiſſimam mentionem facit, eum inter *maximos Prophetas* numerat, iſtáque de Monarchiis Vaticinia non ſine ſummæ admirationis indiciis refert, Antiq. Jud. Lib. X. cap. 12. Exſtabat tempore *Chriſti* & *Apoſtolorum*, qui etiam Danielem, tanquam *Prophetam*, in teſtimonium adducunt, ex eóque loca proferunt. Exſtabat *Maccabæorum* ætate, qui Danielis, & ſociorum ejus, non ſine laude meminêre, I. Macab. II. 59. 60. Speciatim exſtabat Danielis Liber, tempore *Alexandri Magni*; ſiquidem ei Hieroſolymis verſanti oſtenſus eſt; cúmque ex eo comperiſſet, Perſarum imperium à Græco quodam ſubverſum iri, eum ſe

eſſe

eſſe intelligens, lætatus fertur, & quæcumque Judæi popoſcerunt, ipſis conceſſit, teſte *Joſepho*, Ant. Jud. Lib. XI. cap. 8. Denique, ut altiùs adhuc adſurgamus, Danielem, tanquam inſigni virum pietate & ſapientia, imò & Prophetica facultate ornatum, memorat non unô locô *Ezechiel*, eorundem temporum Propheta; putà cap. XIV. 14. & ſeq. & XXVIII. 3.

LXXIII. Neque verò huic Libro nocet, quòd, non in claſſe *Prophetarum*, ſed *Hagiographorum*, à Judæis collocetur. Ortum quippe id ex vitæ genere, quod egerat Daniel; non Prophetico, ſed Aulico, quale & fuerat Davidis. Cæterùm fatentur omnes, eum à Spiritu Sancto adflatum, eximia prænuntiâſſe. Sed neque obſtant hujuſce Libri antiquitati atque veritati, voces quædam Græcæ originis, ut כיתרס *κιθάρα*, פסנתרין *ψαλτήριον*, סומפוניה *συμφωνία*, Dan. III. 15. Potuerunt quippe, illis jam temporibus, Græcorum coloniæ in Aſiam duci, &, quemadmodum aliarum rerum, ſic & Muſicorum Inſtrumentorum nomina, ad Chaldæos tranſmittere.

LXXIV. Quòd ſi verò Danielis Liber generatim admittatur, cauſſa nulla eſt cur ea Vaticinia, de quibus jam agimus, poſteriori manu inſerta exiſtimentur: Huc quippe revocanda ſunt, quæ de Judæorum fide, & reverentia in Libros Sacros, non ſemel jam adtigimus. Præterea, Oracula iſta per totum ferè Librum ſparſa ſunt; Quamobrem, vel totum Librum rejici, vel iſta admitti oporret. Denique, quod ad rationem *Porphyrii*, ſummam nempe Vaticiniorum cum eventu convenientiam, poteſt quidem ratio hæc efficere, ut Oracula, de quibus ſermo eſt, ſedulò expendantur: verùm, ut ea reprobentur, abſque alia cauſſa, ſatis non valet. Etenim dicere, Oracula illa cum eventu perfectè quadrant, Ergo ſunt ſuppoſititia, id profectò temerarium eſt, & viro ſapiente indignum. Quantò rectiùs ſic colligetur; Oracula illa pro genuinis ſemper habita ſunt; rectè cohærent cum reliquo Libro; cauſſa nulla eſt, cur ſuſpecta habeantur: Cùm igitur mira intercedat, inter ea, & eventum, convenientia, hinc liquidò patet, ea non vana atque futilia, ſed verè divina eſſe.

LXXV. Igitur, ex his Prophetiis, aliisque ejusdem generis, quæ magno numero in Judæorum Libris occurrunt, luculentissimum rursùs exsurgit, atque omni exceptione majus, pro RELIGIONIS JUDAÏCÆ divinitate, argumentum. Etenim, tot tantásque res, tanto antequàm fierent tempore, sigillatim designare atque describere, is solus profectò potuit, cujus oculis nihil clausum est, & cui res omnes futuræ, non secùs ac si præsentes vel præteritæ essent, obversantur.

COROLLARIUM.

Ex dictis, in tota hac Dissertatione, colligere licet, Religionem & Gentem Judaïcam *mirum quoddam* Phænomenon *esse, cui explanando Increduli omninò impares sunt; sed quod, positâ* RELIGIONIS JUDAÏCÆ *veritate & divinitate, optimè resolvitur.*

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO V.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Quæ eſt

De PRÆSTANTIA DOCTRINÆ.

Habita eſt diſputatio, reſpondente JACOBO CLAPAREDE *Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

DEmonſtratâ, Theſibus antecedentibus, Revelationis veteris, ſcu, quod idem eſt, *Judaïcæ Religionis veritate*, ſequitur, ut ad demonſtrandam Revelationis noviſſimæ, hoc eſt, CHRISTIANÆ RELIGIONIS, veritatem jam accedamus. Cùm enim DEUS *olim, multis vicibus, multiſque modis, Patres per*

Pro-

Prophetas adlocutus esset, his ultimis diebus nos adlocutus est, modò pleniſſimò & perfectiſſimò, per FILIUM *ſuum*; Hebr. I. 1.

II. Et hæc quidem pars ſuſcepti Operis, ut potior citra controverſiam, maximéque momentoſa, ita & planior, ex antè dictis, faciliórque longè futura eſt. Nam & argumenta eadem ſunt, imò plura hîc atque fortiora; & difficultates pauciores, ſolutúque faciliores. Certè amplior atque apertior hîc occurrit Revelatio, & Cultus Deo dignior, & Promiſſa ſublimiora. His adde, brevius intervallum à rebus geſtis ad noſtra tempora, & plures Factorum reſtes, & Oraculorum ipſo eventu comprobatorum luculentiorem fidem, & ipſos denique ſaluberrimæ Doctrinæ fructus tantò uberiores magiſque diffuſos, quantò unam Gentem, eámque non magnam, univerſus quà patet Orbis excedit.

III. Quòd ſi igitur tanta jam lux Auroræ fuit, quantus meridiani Solis ſplendor futurus eſt? Si in puerilibus illis *elementis*, (ſic enim Legem Moſaïcam deſcribunt Apoſtoli) tanta jam ſe prodidit pulchritudo, tanta utilitas, tanta ſapientia, quantò major, cœleſtis Philoſophiæ, *Sapientiæ inter perfectos*, futura eſt excellentia? Si *miniſterio literæ*, *miniſterio mortis*, multùm jam *gloriæ* adhæſit, *quantò major*, *Miniſterii Spiritûs*, *Miniſterii Vitæ*, *futura eſt gloria?* 2. Cor. III. 7. 8. 9.

IV. Ne verò temerè, atque ex opinione anticipata, ſic dicere exiſtimemur, ad rem ipſam jam accedendum, & veritas atque divinitas Chriſtianæ Religionis claris indiciis demonſtranda eſt. Quod dum agimus, omnia congerere animus non eſt, quæ hanc in materiam adduci poſſent; ſed præcipua tantùm, quæque maximè ad rem facere videbuntur, proferemus. Ea autem, facilioris diſtinctionis ergò, in ſeptem vel octo diſtribuemus Sectiones. Prima erit, de præſtantia DOCTRINÆ, ad res credendas quod adtiner. Secunda, de pulchritudine PRÆCEPTORUM. Tertia, de magnitudine PRÆMIORUM. Quarta, de charactere MAGISTRI, & primorum Præconum. Quinta, de MIRACULIS. Sexta, de PROPHETIIS. Septima,

ma, de Evangelii per Orbem Propagatione. Octava, de ejusdem Efficacia atque fructibus. Hæc omnia, quisquis, non leviter & perfunctoriè, non animô improbô, & ad negandum obfirmatô, sed animô adtentô, piô, & veritatis studioso, expenderit, *ad faciendam Dei voluntatem*, sicubi illuxerit, sincerè *dispositus*, is profectò, Christi Doctrinam *à Deo prodiisse*, haud difficulter convincetur. Quod ut Lectoribus nostris contingat, à Deo Opt. Max., cujus causa hîc agitur, enixissimis votis contendimus.

SECTIO PRIMA,

Quâ Religionis Christianæ *veritas, ex ipsa* Doctrinæ, *seu credendorum, præstantia colligitur.*

V. Et primò quidem, si Doctrinam ipsam, quæ, tum in Christi Concionibus, tum in Scriptis Apostolicis continetur, adtentè inspiciamus, eámque cum cæteris Religionibus Disciplinisque comparemus, ejus præstantiam & divinitatem haud obscurè cernere licebit. Etenim, sive Placita, quæ credenda proponuntur, sive Præcepta, quæ exsequenda, sive Præmia, quæ exspectanda, consideres atque expendas, in omnibus luculentissima veritatis ac divinitatis indicia deprehendentur.

VI. Nam, ut de Placitis, seu Dogmatibus, primùm dicamus, hæc brevis est eorum summa: Dari unum, eundémque perfectissimum, rerum omnium Arbitrum, Deum: Mentem esse, adeóque purâ colendum mente: Esse illum potentissimum, sapientissimum, justissimum, sanctissimum, veracissimum, in primis verò optimum, adeò ut ipsamet *Caritas* dicatur: Ut Verbô suô omnia condidit, ita & res omnes, maximas, minimas, cœlestes, terrestres, subterraneas, Providentiâ suâ administrare, adeò ut *ne passer quidem, nisi eô volente, in*

terram decidat, ſingulique *capitum noſtrorum capilli numerati ſint*: Elegiſſe quidem, antè actis ætatibus, præ cæteris Populis, Gentem Judaïcam, eámque peculiaribus Revelationibus illuſtrâſſe; Nec tamen ſe, erga Gentes reliquas, *teſtimonii expertem reliquiſſe*, ſed *quod de ſe cognoſci poteſt*, per Naturæ & Providentiæ opera, *iis manifeſtum feciſſe*: At verò, cùm à Gentilibus naturales illæ notiones neglectæ, imò penè ſuffocatæ eſſent, horrendáque Idolatria & morum depravatio paſſim vigeret, ipſíque etiam Judæi, quanquam divinis Revelationibus colluſtrati, non paucis erroribus ac vitiis inquinarentur, tandem DEUM Optimum Maximum, humani Generis miſertum, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, Filium ſuum Unigenitum, Orbis Servatorem, promiſſum Meſſiam, ſtatutô tempore in terras miſiſſe; qui, tum documentis eximiis, tum ſanctiſſimæ vitæ exemplis, tum denique piaculari ſui ipſius ſacrificio, univerſos in ſe credentes, ac verè reſipiſcentes, ad Deum adduceret, æternæque Salutis auctor exiſteret: Cujus quidem in rei teſtimonium, & inſignibus Miraculis, tanquam divinis ſigillis, munitum eſſe; & tertiâ die, poſtquam ſupplicio adfectus eſſet, revixiſſe; & in Cœlos receptum, vicariam SPIRITUS SANCTI virtutem Diſcipulis ſuis indulſiſſe; cujus ope, ſtupendis editis prodigiis, Evangelii lumen per totum terrarum Orbem diffuſum fuerit: Cæterùm fore Judicium extremum, ab hoc ipſo Dei Filio, Orbis Soſpitatore, in fine Mundi exercendum, quô æterna Piis præmia, ſupplicia Improbis, adjudicabuntur.

VII. Talis eſt ſumma Doctrinæ Chriſtianæ, prout in Novi Teſtamenti Tabulis, ſpeciatim verò in eximiis illis Pauli Concionibus, Act. XIV. & XVII. exhibetur. In ea autem, quatuor præ cæteris notanda veniunt: *Primò*, quàm præſtantia ſint, quàm momentoſa illa Dogmata, quàm digna propterea quæ à Deo revelarentur: *Secundò*, quàm aptè conſentiant cum rectæ Rationis lumine, etiamſi omnia ſolô Rationis lumine inveſtigari non potuerint: *Tertiò*, quanto intervallo ſuperent, quidquid unquam ab Ethnicis, imò & ab Ethnicorum ſapientiſſimis,

tissimis, prolatum fuerat: *Quartò* denique, quantoperè hinc illustretur, & perfectior reddatur Religio Judaïca, quæ, ad summam quidem quod adtinet, eadem erat, sed ex Christiano hoc Systemate non parùm lucis atque ornatûs accepit.

VIII. Et ad primum quidem quod adtinet, quid *majus*, quid *momentosius*, quid revelatione Divinâ dignius, vel fingendo concipi possit? Hic discimus, quis sit Orbis conditor, quis ejusdem Moderator atque Dominus. Hic discimus, & unde Humanum Genus prodierit, & à quo acceperit quæcunque possidet, & cuinam factorum suorum rationem sit redditurum. Hic discimus, & quænam sint miseriarum nostrarum origines, & quænam sint earum remedia; & quodnam sit summum nostrum Bonum, & quænam vera adsequendi illius ratio. Quæ quidem omnia, ut quivis videt, & nostra quammaximè intererat nôsse; & Dei bonitate ac sapientia dignissimum erat, nobis revelare. Conferantur hic Disciplinæ omnes, omnia Sapientum dicta, Philosophorum documenta, Oracula omnia apud Gentes quasvis pro divinis venditata: Meræ nugæ procul dubio, meræ ineptiæ videbuntur, si cum præstantia atque momento Christianorum illorum Documentorum comparentur.

IX. Ut verò maxima & momentosissima, ita & rectæ *Rationi* apprimè *consentanea*, Documenta illa deprehendentur, si quis ea adtentis oculis & æquâ mente consideret. Cùm enim Religionis omnis fundamentum sit Dei notitia, utique ita rectas, ita sublimes, ita Rationi convenientes, de Dei natura & perfectionibus, notiones tradit Christi Disciplina, nihil ut rectius nec sapientius prolatum unquam hanc in rem fuerit. Se quidem Deus, in Mundi opificio, perspicuè satis depinxerat. *Invisibilia ejus, potentia æterna atque divinitas, in* mirandis illis *operibus, ad oculum quasi cernebantur.* Rom. I. 20. Verùm cæcutiebant ad tantam lucem Mortales plerique. Creatorem cum creaturis, imò & creaturarum vilissimis, confundebant: Deúmque, vel ignorabant penitùs, vel indignissimis tanta Majestate notionibus concipiebant. Fuit hæc virtus, fuit hæc gloria Christianæ Disciplinæ, quòd nebulas illas dispulerit;

quòd homines *ab Idolis mortuis ad unum verum vivúmque Deum* reduxerit; quòd docuerit, ſummam illam Naturam, à qua cuncta condita ſunt, non eſſe *ſimilem auri, aut argenti, aut ullius operis hominum manu facti*, imò rebus omnibus, cœleſtibus, terreſtibus, viſibilibus atque inviſibilibus, infinito intervallo ſupereminere. Notum id quidem, Deo revelante, Judaïcæ Genti fuerat, & paucis fortè quibuſdam inter Gentes Sapientibus: At quantula pars Humani Generis erat? Imò quàm craſſæ atque imperfectæ, de Dei natura & perfectionibus, Judæorum ipſorum notiones erant? Quæ omnia nos, *retectâ facie*, ac *velut in ſpeculo* limpidiſſimo, Evangelii ope intuemur.

X. Cùm autem Divinæ omnes Perfectiones in Religione Chriſtiana manifeſtentur, duæ tamen ſunt ſingulari ſtudio ab ea traditæ atque adſertæ, putà Dei *Spiritualitas*, ejuſdémque *Miſericordia*. Nam, ad primam quidem quod adtinet, quis neſcit quàm craſſas Dei ideas, & Gentiles, & Judæi ipſi habuerint? quibus ideis, ipſorum cultus ac cærimoniæ nimio plus conſentiebant. *Fac nobis Deos, qui nobis præeant*, inquiunt *Aaroni* Iſraëlitæ, Exod. XXXII. 1. Et notum eſt, Deum ipſum, ut à falſis Diis eos averteret, eorum ruditati in multis ſe adcommodâſſe. At verò craſſitiem omnem à Dei natura cultúque removet Chriſtus, dum docet *Deum eſſe Spiritum*, adeóque in *ſpiritu & veritate colendum eſſe*. Joh. IV. 23. 24. Bonitatem Dei omnia prædicant. Vetumtamen, cùm tot ſint mala, tot ærumnæ, quæ homines premunt, tantúſque in multis rigor, tot diræ, tot anathemata, in Veteri Lege cernerentur, utique Dei *Miſericordiam*, placatúmque in mortales animum, pleniùs revelari neceſſe fuit. Quid verò aliud agit Chriſtus, quid aliud prædicant Apoſtoli, niſi quòd Divinam Miſericordiam in aperta luce collocent; niſi quòd Divinæ in nos *Charitatis longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem*, claris indiciis nobis exhibeant, & tanto quidem in gradu, ut dicatur *cognitionem omnem ſuperare?* Eph. III. 18. 19. Quæ quidem Perfectio, ut Deo digniſſima, ita & Homini erigendo, & ad Religionem impellendo, aptiſſima eſt.

XI.

XI. Quemadmodum verò de Deo, ita & de *Hominis* natura, officiis, exſpectatione, ſapientiſſima oppidò, & Rationi convenientiſſima, in Chriſtiana Doctrina traduntur. Enimverò, quis, in ſeipſum deſcendens, non reperiat, in ſeipſo aliquid eſſe, quod intelligit, quod judicat, quod eligit, quod repudiat, &c., quodque proinde à Corporis partibus, ſive craſſioribus, ſine ſubtilioribus, toto cælo diſtinguitur? In hac verò nobiliori noſtri parte, quis non obſervet Principia quædam, tum *ſpeculativa*, de veritate & falſitate rerum, tum *practica*, de juſto & injuſto, de honeſto & turpi, &c.? Quæ Principia ſi violemus, vividum quendam valdéque incommodum conſcientiæ morſum experimur: At ſi ea ſequi laboremus, ſuaviſſimo quodam delectationis ſenſu perfundimur. Horum ſenſuum, neque nos ipſos, neque Mortales ullos, auctores eſſe, tam certum eſt quàm quod certiſſimum: Qui fit enim, ut ſint Mortalibus omnibus communes? Qui fit etiam, ut nobis invitis ac reluctantibus paſſim contingant? Sunt ergo dictamina Conditoris noſtri, qui, naturalibus illis indiciis, nos Officiorum admonitos vult. Atqui nugatoria forent hæc omnia, ſi Principiorum illorum neglectus Supremo Numini haud curæ eſſet: Contrà, ſeſe habent rectiſſimè, ſi ad reddendam omnium rationem præſtitutus dies fuerit, ejúſque rei à Supremo Numine admoneatur Humanum Genus. Quæ quidem eſt, teſtante *Paulô*, Evangelici Sermonis materia; Act. XVII. 30. 31.

XII. Quid, quòd aperit Doctrina Chriſtiana, res pugnare inter ſe viſas, ſed certiſſimas tamen, & proprio cujuſque ſenſu nimio plus confirmatas; putà, Hominis dignitatem & vilitatem, pulchritudinem & deformitatem, deſiderium felicitatis exſtingui neſcium, perennéſque, dum in terris vivimus, miſerias. Nam, ab una parte, quid pulchrius, quid nobilius Hominum mente, quæ tot rerum ideas complectitur, præterita revocat, futura anticipat, vera à falſis, æqua ab iniquis diſtinguit, immenſa Orbis ſpatia emetitur, ad Infinitum ipſum adſurgit, quinimò & Infinito ipſi, non deſideriis modò ac votis, ſed &. natura atque duratione, quodammodo commenſuratur?

Talis eſt dignitas Hominis. Sed ex altera parte, quid deformius, quid miſerius eſt Homine, ſi ignorantiam ejus reſpicias, ſi dubia, ſi errores, ſi præjudicatas opiniones, quibus mens ejus præpeditur ſæpiſſimè atque excæcatur, ſi in primis turbidos illos pudendóſque adfectus, quibus ad omne nefas abripitur, ſi morbos, ſi anxietates, ſi ærumnas omnis generis, ſi denique triſtiſſimam illam, nullóque pharmaco ſanandam, moriendi neceſſitatem? Talis eſt Hominis deformitas, talis vilitas, talis miſeria. Quid verò ad hæc Chriſtiana Doctrina? Utraque illa mirè pugnantia, & quandam veluti, in animis noſtris, ænigmatis ſpeciem præbentia, tantâ ſagacitate aperit, tantâ ſapientiâ inter ſe conciliat, ſimúlque ita certam atque expeditam recuperandæ dignitatis ac felicitatis viam nobis parat, ut pateat neminem hominem ſibi ipſi ita notum eſſe, ut Doctrinæ hujus Auctori notus Homo eſt; neminémque proinde alium, ut ad cognoſcenda noſtra mala, ſic etiam ad eis ſuccurrendum ita aptum eſſe.

XIII. Inter ea verò omnia, quibus eminet Doctrina Chriſti, haud ſcio an quidquam ſit majus, aut Rationi convenientius, quàm certiſſima illa *Vitæ Futuræ* exſpectatio, quam animis noſtris inſerit. De ea, nil niſi Fabulas putidiſſimas, Ethnicorum vulgus habebat; nil niſi dubias atque vacillantes conjecturas, Philoſophi: Imò verò & ipſis Judæis nonniſi obſcuræ hanc in rem notiones erant. Fuit verò hæc incomparabilis Evangelicæ Doctrinæ præſtantia, quòd *vitam ac immortalitatem in lucem miſerit*, ejúſque non caſſas quaſdam atque evanidas ideas, ſed certam ac indubitatam ſpem injecerit; quemadmodum in ſequentibus pleniùs à nobis oſtendetur.

XIV. Ex dictis igitur colligere licet, non exiguam Chriſtianæ Doctrinæ partem, putà quidquid docet de Dei Perfectionibus, ejuſdem Providentia, Hominis natura atque officiis, Gentium vitiis atque erroribus, emendationis neceſſitate, Vita altera poſt hanc futura, ita ſapiens per ſeſe eſſe, ita ſanctum, ita Deo dignum, ut, vel ipsâ judice Ratione, vel ipſis Ethnicorum Sapientiſſimis arbitris, (apud quos, hæc, ſi non collecta,

collecta, certè dispersa, aliúsque mixta, reperire est) haud difficulter confirmetur.

XV. Verum quidem est, Christianam Doctrinam intra hæc non terminari, sed & alia non pauca includere, quæ solô Rationis auxiliô investigari non poterant. Hujus est generis, mirum illud Redemptionis nostræ opus; Christi Servatoris in terras adventus, Ejus præclarè dicta factaque, Ejus mors, resurrectio, atque in Cœlum adscensio, reditus ad Judicium, Mortuorum resurrectio, Cœlestisque illa Felicitas, quæ Fidelibus reservatur. Illa omnia, & si qua sunt istis adnexa, ejus sunt naturæ, ut humanâ sagacitate divinari neutiquam possent; siquidem, non ex ipsa rerum natura, sed ex libero Dei consilio & voluntate ortum duxêre. Sunt res, *quas oculus non viderat, quas auris non audiverat, quæ in mentem hominis nunquam venerant*, quæ proinde non ab alio quàm ab ipso *Dei Spiritu revelari* nobis potuêre. 1. Cor. II. 9. 10. 11. At, postquàm revelata sunt, sapientissima adparent, Dei Virtutibus dignissima, & cum Religionis scopo aptissimè congruentia. Cùm enim Deus sit optimus, Hominúmque amantissimus, utique ipso dignissimum fuit, eorum misereri, eórumque saluti prospicere: Et modus ille quem Deus adhibuit, ad Salutem nostram operandam, quanquam stupendus primâ fronte adpareat, & à vulgaribus ideis remotus, tamen ea præbet Dei sapientiæ & bonitatis indicia, Hominibúsque instituendis atque emendandis ita est idoneus, ut pateat, non alium quàm Deum ipsum saluberrimi hujus consilii auctorem esse.

XVI. Obstupescimus, exempli caussâ, dum cogitamus de magno illo Pietatis Mysterio, Deo in carne Manifestato, iisque omnibus quæ exinde secuta sunt. Capi nequit immensa illa Dei in Homines benignitas, συγκατάβασις planè admiranda, quæ in hoc Mysterio sese exserit. Verùm, præterquàm quòd haudquaquam mirum est, multa in Divinis nos superare, cùm tot sint in ipsâ natura, imò verò in nobis ipsis, quæ nostrum etiam captum excedant; Ut id, inquam, nunc omittamus, certè quisquis Mysterium illud penitiùs introspexerit,

rit, ad agnoſcendam ejus ſapientiam haud difficulter adducetur. Ac ſanè, quid dignius Ente Infinito, quàm Bonitate excellere? Quis verò ſummam Bonitatem arguat, quòd modis planè miris, & cogitationem omnem ſuperantibus, ſeſe demonſtret? Utique, *nihil habet majus* DEI *natura, quàm quòd poſſit, nihil habet melius quàm quòd velit, quamplurimos ſervare*, beatóſque efficere. Potuit igitur, ſalvâ Majeſtate, ad Homines ſeſe demittere, ut Homines ad ſe traheret. Potuit Humani Generis errorum vitiorúmque miſereri, déque illis emendandis, ac in integrum reſtituendis, conſilium capere. Potuit curare, ne vera ſui notitia, rectúſque Cultus (quæ eſt præcipua Hominis dignitas, officiorúmque caput) in terris evaneſceret. Quinimò potuit, duce bonitate, humanam carnem induere, hominis habitu ſe conſpicuum facere, ut homines tantò efficaciùs ad bonam frugem reduceret, divinæque naturæ & gloriæ (quantùm quidem ſert eorum imbecillitas) participes efficeret. Hæc magna quidem, hæc ſtupenda, hæc vulgaribus hominum notionibus conjecturíſque ſuperiora: At poſtquàm nobis retecta ſunt, ſapientiſſima oppidò, Dei perfectionibus dignìſſima, Religioníſque fini aptiſſima deprehenduntur.

XVII. Eſt etiam Quæſtio difficillima, Myſterium altiſſimum, in CRUCE CHRISTI. Nec enim captu facile eſt, quomodo ex ignominia decus, ex tormentis felicitas, ex morte vita, emergere queat. Unde non mirum, ſi *Judæis ſcandalum, Græcis ſtultitia*, Crux illa fuerit. At iis qui ſeriò rem expendetint, mentémque fide colluſtratam habuerint, patet eſſe *ſapientiam & potentiam Dei*, ut loquitur Apoſtolus; 1. Cor. I. 23. 24. Certè, ſi Chriſtus terrenus Monarcha foret, ſique ad fundandum terrenum Regnum veniſſet, Crux ejus tali cum propoſito parùm quadraret. Verùm alia planè eſt Evangelici Regni natura. Regnum Chriſti *non eſt ex hoc Mundo*; Joh. XVIII. 36. Venit, ut regnaret, non in corpora, ſed in animos. Venit, ut homines abduceret à rebus terrenis, & ad cœleſtia erigeret. Venit, ut doceret virtutes difficillimas, maximéque neceſſarias, patientiam, manſuetudinem, injuriarum, dolorum, ipſiúſque mortis,

mortis, tolerantiam atque contemptum. Venit, ut ſeipſum, victimæ in morem, pro peccatis noſtris offerret, iramque divinam à capitibus noſtris averteret. Venit, ut, triumphatâ morte, ejuſque fractis repagulis, Vitæ immortalis auctor exiſteret. Quæ omnia non aliter meliùs, quàm Crucis ſupplicio, & ſubſecutâ Reſurrectione, perfici potuêre. *Deus*, inquit Lactantius, *cùm ſtatuiſſet hominem liberare, magiſtrum virtutis legavit in terram, qui & præceptis ſalutaribus formaret homines ad innocentiam, &, operibus factiſque præſentibus, juſtitiæ viam panderet, qua gradiens homo, & doctorem ſuum ſequens, ad vitam æternam perveniret. Is igitur corporatus eſt, & veſte carnis indutus, ut homini, ad quem docendum venerat, virtutis & exempla & incitamenta præberet. Sed cùm in omnibus vitæ officiis, juſtitiæ ſpecimen præbuiſſet, ut doloris quoque patientiam, mortiſque contemptum, quibus perfecta & conſummata ſit virtus, traderet homini, venit in manus impiæ nationis, cùm & vitare potuiſſet, ſcientia futuri quam gerebat, & repellere eadem virtute quâ mirabilia faciebat. Suſtinuit ergo cruciatus, & verbera, & ſpinas; Poſtremò etiam mortem ſuſcipere non recuſavit, ut homo illo duce ſubactam & catenatam mortem cum ſuis terroribus triumpharet.* Lact. Div. Inſt. Lib. IV. cap. 26. Plura non addimus de Difficultatibus, quæ adverſus Chriſti Doctrinam proferri ſolent, utpote quæ aliò locò pleniùs à nobis expendentur.

XVIII. Verùm nihil clariùs Doctrinæ illius excellentiam demonſtrat, quàm ſi cum Ethnicorum Religionibus toto Orbe receptis, imò & cum Philoſophorum placitis diſciplinisque conferatur. Etenim dies à nocte, ſapientia à delirio non magis diſtat, quàm cœleſte hoc inſtitutum, ab omnibus, quotquot unquam fuêre, etiam nobiliſſimarum cultiſſimarumque Gentium notionibus. Certè nihil aliud *Ethniciſmus* fuit, præter abſurdiſſimam quandam Fabularum ac Ineptiarum omnis generis farraginem. Pro uno vero Deo, incredibilis pudendorum Numinum multitudo numerabatur. Pars maxima Deorum illorum, erant Homines pridem defuncti, ſceleſtiſſimi ac impuriſſimi, non tam

Homines quàm hominum monſtra; quibus adſimilari, ad mores quod adtinet, Viri omnes ſobrii probro duxiſſent. *Heroës Homerici*, ut ſcitè obſervat Illuſtriſſimus FENELO, Cameracenſis Archiepiſcopus, *à virorum proborum moribus toto cœlo differunt: Et Dii ibidem deſcripti, longè etiam ſunt, ad mores quod ſpectat, Heroïbus illis inferiores. Nemo ſibi patrem contingere velit, tot inquinatum vitiis, ut fuit* Jupiter: *Nemo uxorem ita incommodam atque rixoſam, ut* Junonem; *aut ita lubricam perditámque, ut* Venerem: *Nemo amicum ita ferum, ut* Martem: *Nemo domeſticum ita latronem, ut* Mercurium. *Videntur ficti datâ operâ iſtiuſmodi Dii, ab humani generis hoſte, ut ſceleribus omnibus quæreretur auctoritas, ipſáque divinitas in ludibrium verteretur.* Réflexions *ſur la Rhétor. & ſur la Poët.* §. X. Ut jam mittamus, Creatoris gloriam, non modò cum Sole atque Aſtris, ſed & cum ligno atque lapidibus, brutis animantibus, hortorum plantis, & quibus non? communicatam. Et hæc tamen fuit Theologia celeberrimarum omnium Gentium, ingenio florentiſſimarum, Diſciplinis cultiſſimarum: Soli *Judæi* atque *Chriſtiani* ab his ineptiis immunes fuêre: Imò verò hæc eſt unîus *Chriſtianiſmi* gloria, quòd univerſum Terrarum Orbem ab hac ſtultitia revocaverit.

XIX. Dices, *Philoſophos* hæc irriſiſſe, & rectiores ideas, de Deo & divinis, habuiſſe. De quibuſdam non diffitemur: Sed quot dubiis, quot erroribus, quanta rerum optimarum ignorantia, quanta veritatum momentoſiſſimarum diſſimulatione, obſitum erat ac penè ſepultum, quidquid optimum ab iis prodiit? Quod cùm, de celeberrimis ipſorum Sectis, Philoſophiſque maximi nominis, oſtenſum à nobis fuerit, Diſp. de *Revelationis neceſſitate*, Th. XVI. & ſequentibus, id iterùm demonſtrare neceſſe non eſt. Cæcutiebant igitur, in divinis, Sapientes illi: Eóque minùs emendandis receptis erroribus idonei erant, quòd, ſi quid boni nôſſent, non auderent in vulgus proferre, & *veritatem*, ut ait Apoſtolus, quaſi captivam *detinerent*. Rom. I. 18. Quantò rectiùs, quantò ſapientiùs, quantò ſolidioribus fundamentis, quantò ad Homines inſtituendos

dos ac emendandos convenientiùs, philoſophatur Chriſti Diſciplina! Balbutiebant illi, dum de Deo loquerentur: Christus, qui eſt ipſe Dei *Sermo*, veriſſimos de Deo ſermones, ex ipſo Patris ſinu, nobis depromit. Illi, hominum culpas & miſerias, non modò non ſanabant, ſed exaſperabant potiùs: Christus eas non modò retegit, ſed & efficaciſſimè iis medetur. Illi, magnô apparatu, magnâ confidentiâ, nihil agebant: Christus, nudâ ac ſimplici veritatis expoſitione, plus proficit, quàm illi tot operoſis, ac ſine fine diſquiſitionibus.

XX. Vera quidem fuit, ſancta, divina, *Moſaïca Diſciplina*: ſed imperfecta tamen; nec, niſi ope Chriſtianiſmi, perfectionem adipiſcitur. Certè Deus ſeſe ruditati priſcorum hominum accommodabat; Dabat aliquid craſſo ingenio, aſperiſque moribus, Populi *duræ cervicis*. Hinc multa iis obſcura, nec niſi parcè revelata. Hinc tot Leges de ritibus, parùm in ſe pretii habentibus. Hinc tot mandata in ſpeciem dura, & cum charitatis ingenio pugnare viſa. Hinc denique rara & obſcura Vitæ futuræ commemoratio. Si ſeponatur Chriſtianiſmus, haud levia hinc naſcuntur dubia, putà adverſus Dei ſapientiam, æquitatem, bonitatem, cæteráſque virtutes. At ſi admoveatur lumen Evangelicum, dubia illa facilè ſolvuntur. Hic habetur clavis Judaïſmi, ſi ita loqui liceat. Hic habetur explanatio obſcurorum, ſolutio dubiorum, complementum imperfectorum. Scimus cauſſam & myſterium Rituum Legalium; Scimus fuiſſe *puerilis ætatis rudimenta*; Scimus fuiſſe *umbras rerum futurarum*, quarum *corpus in Chriſto* eſt; Habemúſque jam pleniorem ac robuſtiorem Sapientiam, *Sapientiam inter adultos*, aut *perfectos*, quæ in rudis illius Diſpenſationis locum ſucceſſit. Si ſeponas Chriſtianiſmum, vix capias, quî fiat ut Deus, Gentium omnium ex æquo parens, unam ſibi Gentem adſumpſerit, cæteris omnibus quaſi poſthabitis ac derelictis: Verùm, accedente Evangelii luce, dubium illud ſponte evaneſcit; Tollitur omnis Gentium diſtinctio; Diruitur paries intergerinus; Deus Opt. Max., non Judæorum modò, ſed Gentium omnium Pa-

rentem ſe præſtat. Quæ omnia, ne plura jam addamus, ſummam Chriſtianæ Doctrinæ prærogativam ita extollunt, nihil ut deſiderari ultrà poſſit. Ad PRÆCEPTA jam, quæ non minoris ſunt præſtantiæ, nec minoris usûs, imò quæ ſunt Doctrinæ ipſius finis, ex eáque fluunt, deveniendum eſt.

SECTIO SECUNDA,

Quâ, ex PRÆCEPTORUM *ſanctitate & pulchritudine*, Chriſtianæ Religionis *veritas & divinitas colligitur.*

XXI. PRÆCEPTORUM tres ſunt ordines, ut omnes nôrunt; prout, vel ad *Deum*, vel ad *Proximum*, vel ad *Nos ipſos* referuntur: Quâ diſtributione utitur Paulus, Tit. II. 12., dum dicit, Gratiam Evangelicam *nos docere, abnegatâ impietate, & mundanis cupiditatibus valere juſſis*, PIE, JUSTE, SOBRIE, *in hoc ſæculo vivendum eſſe.* Nos hîc ſtatim Præceptorum illorum brevem ideam trademus; Deinde illorum æquitatem, utilitatem, ſapientiam verè divinam, nonnullis obſervationibus palàm faciemus.

XXII. Ad DEUM quod adtinet, vult Chriſtiana Religio, nos optimè, ſanctiſſimè, magnificentiſſimè, de eo ſentire; eum ſummâ reverentiâ ac honore proſequi; eum toto pectore diligere; in eum perfectâ fiduciâ recumbere; in neceſſitatibus noſtris, piis precibus ad eum confugere; & pro innumeris, quibus nos cumulat, beneficiis, ei gratias agere; denique, ejus obſequio nos totos mancipare, &, facta noſtra omnia, omnia dicta, imò cogitata, ad ejus gloriam & nutum dirigere. Et hæc quidem ſunt Officia interna: Verùm non patitur Chriſtiana pietas, ut hæc omnia intra nos premamus; Vult etiam ut ſenſus illos publico Cultu teſtatos demus; Qui publicus Cultus, non in ſacrificiis, non in ablutionibus, aliiſque ejuſmodi ritibus, nihil in ſe boni habentibus, ſitus eſt; ſed in laudibus, preci-

precibus, gratiarum actionibus, & Verbi Dei meditatione; Quibus duæ tantum adjunguntur, sed facillimæ ac simplicissimæ Cærimoniæ, ex Judæorum usu desumptæ; *Baptismus* nempe, quô, sub figura aquæ corporum sordes abluentis, hinc peccatorum remissio in Novo Fœdere promissa, illinc vitæ novæ institutum, graphicè depinguntur; Et *Eucharistia*, quâ, simplicissimo quodam convivio, mortis Christi memoria recolitur, & fraterna Christianorum communio adstringitur.

XXIII. Circa Proximum, vult Christiana Religio, ut cæteros omnes homines adinstar nostri ipsorum amemus; ut cum iis eô semper agamus modô, quô nobiscum agi volumus; ut nullam unquam noxam, nullam injuriam iis inferamus, sed contrà eorum commoda modis omnibus promoveamus; ob eorum mala doleamus; ob res eorum prosperas gaudeamus; omniáque iis auxilia, quæ à nobis pendent, præbeamus; ignaros doceamus, errantes in viam reducamus, adflictos solemur, speciatim verò pauperum egestatem facultatibus nostris sublevemus, utpote quos peculiari ratione nobis commendat Deus, monétque, quæcumque in ipsorum gratiam fecerimus, se tanquam sibi ipsi facta reputare. Neque solùm amicis nostris benè velle ac benefacere jubemur, sed & ipsis inimicis, nobis convitiantibus, nósque vexantibus; pro quibus Deum orare, injurias omnes condonare, imò & bonum pro malo rependere, Christus præcipit. Neque tantùm actus externi à Christo diriguntur, sed & ipsæ cogitationes, animique proposita; adeò ut *qui oderit fratrem*, non aliter quàm *homicida*; qui ei invideri, ejúsque bona concupierit, non aliter quàm fur aut usurpator, habeatur. Neque solum Leges generales à Christo statuuntur, sed & variis hominum statibus, variisque relationibus, quæ inter ipsos intercedunt, adcommodantur; unde varia exsurgunt Officia, tum inter Viros & Uxores, tum inter Parentes & Liberos, tum inter Principes & Subditos, tum inter Dominos & Servos; Quæ omnia Officia, in Novi Testamenti Libris, sapientissimè adcuratissiméque descripta exstant.

tioni convenientissima, esse: *Secundò*, esse utilissima, etiam ad hanc vitam feliciter transigendam, si paucos tantùm casus exceperis; sed multò magis ad Vitæ futuræ obtinendam felicitatem; in quâ damna omnia magnificè compensabuntur: *Tertiò*, Præcepta illa, omnibus Ethnicorum Religionibus, imò & Philosophorum documentis, longè antecellere: *Quartò*, illa etiam Judaïcis Legibus præstare, & longè nobiliorem Dei Cultum nobis proponere: *Quintò*, Incitamenta potentissima iis adjungi: *Sextò*, Exemplar absolutissimum earum omnium Virtutum, in Christo Domino nostro, exstare: *Septimò*, Auxilia omnia, ad praxim necessaria, nobis promitti: *Octavò* denique, illa omnia, modô planô, facili, ad omnium captum adcommodatô, sed tamen majestatis plenô, à Christo & Apostolis præcipi. Hæc omnia ubi semel demonstrata fuerint, haud scio equidem, quid, ad Præceptorum illorum confirmationem & commendationem, desiderari ultrà queat.

XXVI. Primo igitur Præcepta illa in seipsis *æquissima* esse, & Rationi prorsùs consentanea, ipsa illorum inspectio docet. Nam quod ad ea Præcepta adtinet, quæ ad Deum referuntur, quis non videt, illa omnia ex Dei natura fluere; ita ut, qui Deum ponat, ea ponere necesse habeat? Cum enim Deus sit Ens summum & perfectissimum, quis neget æquissimum esse, eum summoperè revereri, eum summo in pretio habere? Cùm sit Ens potentissimum, simúlque justissimum, quis neget æquissimum esse, ejus timore adfici, coram eo tremere? Cùm sit Ens optimum, nósque innumeris bonis cumulet, quis neget æquissimum esse, ipsum diligere, ei confidere, ad eum confugere, eique gratias agere? Denique, cùm noster sit Dominus, per quem vivimus, per quem spiramus, qui nos hoc in Mundo collocavit, qui certas nobis Leges imposuit, & cui rationem omnium reddituri sumus, quis neget æquissimum esse, ab ejus nutu pendere, ejúsque obsequio nos totos dedere? Quibus quidem officiis, ad internos sensus quod adtinet, Christianorum pietas continetur. Et quod ad Cultum externum, qualis à Christo præcipitur, quis non videt, illum etiam

Rationi

Rationi convenientiſſimum eſſe? Etenim, quid æquius eſt, quàm Conditoris noſtri reverentiam, publico Cultu teſtatam facere, ejus laudes unà celebrare, preces uno ore ad ipſum fundere, *quaſi manu facta precationibus ambiamus*, ut eleganter *Tertullianus*, Apol. cap. 39., ejus Verbum meditari atque audire, ſicque nos invicem ad eum colendum, eique obſequendum, excitare? Ad quæ ſi accedant præterea duo Ritus ſimpliciſſimi, & ex Judæorum uſu deprompti, in hoc certè nihil abſurdi eſt, contrà humanæ imbecillitati ſapientiſſimè providetur.

XXVII. Pariter, quod ad Præcepta illa, quæ ad PROXIMUM referuntur, illa etiam æquiſſima eſſe, & humanæ naturæ convenientiſſima, adparet. Cùm enim eadem ſit Hominum omnium natura, idem communis parens, nempe Deus, eadem ad unà vivendum, colendámque Societatem, deſtinatio, eædem denique neceſſitates, quibus fit ut alii aliorum auxiliis perpetuò indigeant, utique illos ſe mutuò diligere, nullam ſibi mutuò noxam inferre, omni contrà officiorum ac beneficiorum genere ſe invicem proſequi, nemo non videt æquiſſimum eſſe. Quis enim nolit, eâ ratione ſecum agi? Quo jure igitur, eadem officia aliis neget? Verùm dices, an Ratio docet, *Inimicos diligere, injurias condonare, beneficia pro malis rependere*? Nonne id potiùs communi hominum ſenſui, naturæque dictamini adverſatur? R. Imò verò, reſpondeo, ſi Præcepta illa ritè expendantur, & ſedatis adfectibus conſiderentur, æquiſſima ſanè, & humanæ naturæ convenientiſſima adparebunt. Etenim Inimici noſtri, ejuſdem tamen ſunt nobiſcum naturæ, ejuſdem originis, ejuſdem Patris Cœleſtis propago, ſæpe & ejuſdem Fidei participes, quorum & nos venia non rarò etiam opus habemus. Qui tam arctis inter ſe vinculis, qui tam nobili cognatione colligati ſunt, eos Fratrum loco ſe habere, acceptáſque injurias ſibi mutuò condonare decet. Rursùs, ſi malè nobiſcum egerint, miſeratione potiùs quàm odio digni ſunt, ſiquidem eâ agendi ratione plus ſibi ipſis mali, quàm nobis, adtulêre. Adhæc, quis neſcit, quantas rixas, quantos tumultus,

tumultus, quantos furores, quanta infortunia, vindicta post se trahat? Denique certum est, modum optimum, tutissimum, nobilissimum, Inimicorum vincendorum, & in Amicos convertendorum, eum esse quem Religio Christiana docet, nempe ipsis benefacere, bonúmque pro malo rependere. Quod quidem Seneca ipse agnoscit; *Iraſcitur aliquis?* ait. *Tu contrà beneficiis provoca. Cadit ſtatim ſimultas ab altera parte deſerta; niſi par non pugnat.* ----- *Cogitemus*, inquit ibidem, *quotiens ad ignoſcendum difficiles erimus, an expediat omnes nobis inexorabiles eſſe. Quàm ſæpe veniam qui negavit, petit?* ----- *Quid eſt glorioſius, quàm iram amicitia mutare?* Senec. De Ira, Lib. II. cap. 34.

XXVIII. Postremò & Præcepta illa, quæ ad Nos Ipsos pertinent, æquitati & rectæ Rationi convenientissima deprehenduntur. Ac sanè, si seriò expendantur Vitia illa omnia, Intemperantia, gula, libido, avaritia, ambitio, superbia, &c. quæ à Christiana Religione prohibentur, patebit, illa omnia cum Ratione maximè pugnare, naturámque humanam non parùm vitiare ac dehonestare. Contrà, si spectentur Virtutes illæ, quas Religio Christiana præcipit, sobrietas, temperantia, modestia, humilitas, sua sorte contentus animus, aliæque his adsines, patebit, illam agendi rationem Homine dignissimam, & sapientiæ regulis convenientissimam esse. Sed, inquies, an Ratio docet, *& honores, & divitias, & voluptates ſpernere?* R. Imò verò, respondeo, ea non nimiùm æstimare, sapientiæ est. Cùm enim Bona illa omnia, quibus Mortales inhiant, sint magnam partem falsa, certè imperfecta, vilia, caduca, utique non pluris quàm par est facienda, sed præ infinitis illis Bonis, quæ Deus suis parat, contemnenda sunt. Addes, sed an Rationi congruit, *manum abſcindere, oculum effodere, ſibi ipſi nuntium mittere?* R. Imò, si hæc ritè intelligantur, nihil habent quod cùm Ratione optimè non consentiat. Etenim, non jubemur nos ipsos odisse; quod reverâ contra naturam esset: Non jubemur, propriæ nostræ felicitati abrenuntiare, nósque miseros efficere: Hæc esset stultitia, ac inhuma-

nitas, nedum ſapientia. Jubemur tantùm, pravos noſtros adfectus deponere, ſed adfectus caros, & longo uſu firmatos; ita ut, qui illos abjiciat, manum abſcindere, oculum effodere, ſeipſum exuere quaſi videatur: Sed nec alia de cauſſa id nobis præcipitur, quàm quia iniqui ſunt & pudendi illi adfectus, quàm quia ſummi noſtri Principis voluntati repugnant, quàm quia veræ noſtræ felicitati adverſantur. Itaque, hæc ipſa Præcepta, utut ſtupenda primâ fronte adpareant, ſapientiſſima tamen & Rationi convenientiſſima reperiuntur.

XXIX. Confirmatur Præceptorum Evangelicorum juſtitia, ſi adtendatur, ea hoc unum nobis præcipere, ad hoc unum tendere, ut *ſuum cuique tribuamus*; quæ eſt ipſiſſima *Juſtitiæ* definitio. Ac ſanè, nihil aliud ſunt Præcepta illa omnia, niſi conſectaria variarum relationum, quæ nobis intercedunt cum cæteris Entibus; ſive cum Deo, conditore & benefactore noſtro ſummo; ſive cum reliquis Hominibus, fratribus noſtris, ac ejuſdem naturæ conſortibus; ſive etiam cum nobis ipſis (ſi ita loqui liceat) utpote quorum perfectionem & felicitatem promovere nos Natura jubet. Sed & Officia particularia, quæ ad certos hominum ſtatus ordinéſque referuntur, quid aliud nobis præcipiunt, niſi ut *omnibus, quæ ſua ſunt, tribuamus; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*; Rom. XIII. 7. Denique & reſpectu Bonorum omnium, præſentium, futurorum, terreſtium, cœleſtium, nihil aliud præcipit Religio, niſi ut ſingula pro merito æſtimemus, quæ vilia ſunt ſpernamus, quæ magna ſunt magni faciamus, cæteriſque anteponamus. Nihil itaque præter adcuratiſſimam *Juſtitiæ* praxim nobis imperatur.

XXX. Quàm juſta ſint, & Rationi conſentanea, Præcepta omnia Evangelii, ulteriùs demonſtratur, ſi ad eorum ſummam & compendium, *Amorem* nempe *Dei & proximi*, animum advertamus. Quid enim æquius, quid Rationi convenientius, quàm Ens optimum & perfectiſſimum, bonorúmque omnium cauſſam, toto pectore diligere? Quid æquius etiam, quid naturæ aptius, quàm eos qui ſunt *caro é carne noſtra, & oſſa é noſtris*

noſtris oſſibus, inſtar noſtrî ipſorum amare? Atqui duobus illis capitibus, univerſa, quanta quanta ſunt, Religionis Officia comprehenduntur. Qui Deum & Proximum, ut par eſt, amaverit, eíque amori ſe regendum permiſerit, is utramque, non Legis modò, ſed & Evangelii, paginam implevit.

XXXI. Eſt & aliud planè eximium, ſuáque ſe æquitate ac evidentia ſtatim commendans, eorum ſaltem Officiorum, quæ ad Proximum pertinent, compendium; Quô nempe jubemur, eâ ratione cum aliis agere, quâ nobiſcum agi vellemus, ſi nos in eorum loco & circumſtantiis verſaremur. Et hæc quidem eſt aurea Regula, quam in Evangelio præſcribit Chriſtus; Quæcunque *volueritis ab aliis vobis fieri, ea & vos ipſis facite.* Matt. VII. 12. Regula illa ſatis pro merito commendari nequit: Nam primò ita *æqua* eſt, ita Rationi conſentanea, ſi modò ad naturalem Hominum æqualitatem adtendatur, ut probatione non indigeat: Secundò eſt *univerſalis*, Officiáque omnia, quibus inter nos colligamur, comprehendit; Unde Chriſtus ſapientiſſimè, *Legem & Prophetas*, in ea contineri aſſerit: Denique *plana* eſt ac facilis; Unuſquiſque, ut ita dicamus, eam ad manum habet, potéſtque, nullo negotio, ſingulis in caſibus, eam conſulere. Cæterùm fatemur, Regulam illam naturæ lumine ita ſplendere, ut, nec Judæos, nec Gentiles, latuerit; Nam v. g. legitur Tob. IV. 15. ὃ μισεῖς, μηδενὶ ποιήσῃς; *Quod odiſti, nemini facias.* Pariter *Iſocrates*, Orat. 3. ad Nicocl. Ἃ πάσχοντες ὑφ' ἑτέρων ἐχθίστους, ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖτε; *Quæ vobis ab aliis fieri ægrè fertis, eadem aliis ne feceritis.* Et notum eſt, Alexandrum Severum Imp. ſententiam hanc, quam *à Judæis aut Chriſtianis*, accepiſſe fertur, *in palatio & publicis operibus præſcribi* curâſſe, & *per præconem, quum aliquem emendaret, dici juſſiſſe.* Lamprid. in *Alex. Sev.*

XXXII. Sed nec illud omittendum eſt, ſummam plerorumque Evangelii Præceptorum æquitatem ac neceſſitatem, Mundanos ipſos agnoſcere; qui, quanquam veris Virtutibus vacui, earum tamen Virtutum ſimulacra præ ſe ferunt, & inter earum cultores numerari non dedignantur. Præcipit Evangelium,

exempli cauſſâ, ut à fraude & mendacio alieni ſimus: Sed nonne ipſi etiam Mundani ſe tales eſſe ſimulant, & injuriæ ducunt, ſi falſiloqui ac deceptores habeantur? Præcipit Evangelium, ut nemini noceamus, ut omnes contrà pro virili adjuvemus: Sed nonne Mundani homines idem de ſe exiſtimari cupiunt, famámque malignitatis à ſe, quantùm poſſunt, amoliuntur? Præcipit Evangelium, ut modeſtè atque demiſsè de nobis ipſis ſentiamus; Sed nonne Mundani homines, etiam ſuperbiſſimi, externam modeſtiæ ac humilitatis ſpeciem præ ſe ferunt? Igitur, vel ipſi hujus Sæculi homines, Præceptorum Evangelicorum æquitatem, volentes nolentes, agnoſcunt; Neque aliud ferè à Chriſto jubemur, niſi ut intùs ac ſincerè ſimus, id quod illi tantùm ſimulant. Quæ obſervatio ſanè haud levis eſt, & ad commendandam Chriſtianæ Religionis præſtantiam non parùm facit.

XXXIII. Denique & hoc quoque adjungendum, ita evidentem ac irrefragabilem Præceptorum Evangelicorum juſtitiam eſſe, ut eam Ethnici ipſi non ſemel agnoverint, eique luculentiſſima teſtimonia perhibuerint. Certè AMMIANUS MARCELLINUS, Hiſtoricus Ethnicus, fatetur, Chriſtianam Religionem *nihil niſi juſtum ac lene ſuadere.* Lib. XXII. cap. 11. Et quis neſcit perhonorificum, Chriſtianarum Legum ſanctitati ac innocentiæ, à PLINIO SECUNDO, Bithyniæ Proconſule, redditum teſtimonium; *ſe ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent*, &c. Lib. X. Epiſt. 97. Imò verò & ipſe JULIANUS, quanquam à Chriſtiana Fide Apoſtata, hoſtiſque Chriſtianorum, tamen Chriſtianam caritatem, vitæque ſanctimoniam, commendare non dubitabat, ſuiſque in exemplum proponere; v. g. Epiſt. ad *Arſacium*, Galatiæ Pontificem, aliiſque locis. Plura teſtimonia hic congerere, inſtituta brevitas non patitur.

XXXIV. Diximus de Præceptorum Chriſti juſtitia: Dicendum jam, SECUNDO loco, de eorum *Utilitate*, tum in hac vita, ſi quoſdam tantùm caſus exceperis, tum præcipuè in futura, in

in qua ſumma nobis atque abſoluta Felicitas promittitur. Utilitas hujus vitæ haud obſcura eſt, ſive ad ipſam Societatem, ſive ad ſingulos Privatos, adtendamus. Dico, ad ipſam *Societatem*; Etenim fingatur animo Societas ejuſmodi, in qua verè regnet Evangelium, in qua ad ejus præſcriptum mores re verâ componantur, quid felicius, quid ſuavius, ejuſmodi Societate? Fingantur Cives, qui ſupremum Orbis Dominum ſincerè venerentur, eíque ſe totos addicant, qui intra limites temperantiæ & ſobrietatis ſe ſemper contineant, qui denique cum aliis hominibus non aliô modô agant, quàm quô ſecum agi optarent; quis feliciorem, quis tutiorem, quis ſuaviorem Societatem, vel fingendo concipere poſſit? Ibi, nulla fraus, nulla vis, nulla injuſtitia. Ibi, nemo pauper, nemo egenus. Ibi, nulli morbi ex intemperantia, aut aliis vitiis, orti. Ibi ſinguli, ad aliorum tuenda & promovenda commoda, non aliter quàm ſua, ſuos omnes nervos intenderent. Verbô, ſi innocuas illas infirmitates exceperis, quæ ex hujus vitæ conſtitutione neceſſariò fluunt, certè felicitas longè maxima in ejuſmodi Societate locum haberet. Dices, pulchram quidem ideam eſſe, ſed ideam Platonicam, cujus archetypum nullibi reperiatur. At verò, ſi id non ſit, non profectò Doctrinæ ipſius, ſed hominum culpa cenſenda eſt. Vitio noſtro fit, dicamus ingenuè, quòd ſuos hac in parte non exferat fructus Religio. Quòd ſi verò nos emendare, vitámque ad Chriſti præſciptum ſeriò componere vellemus, dubium non eſt, quin idea illa in rei veritatem mutaretur.

XXXV. Ut verò toti Societati, ita & ſingulis *Privatis*, utiliſſimæ ſunt Leges Evangelii, & ad eos, etiam in hac vita, beandos aptiſſimæ: Quod quidem paucis quibuſdam exemplis demonſtrabimus. Sic, præcepta *temperantiæ* & *ſobrietatis*, quin ad valetudinis conſervationem multùm faciant, nemini poteſt obſcurum eſſe. Sic, præcepta *caritatis*, *manſuetudinis*, *benignitatis*, & imò *tolerantiæ injuriarum*, primò quidem nos tranquillos præſtant, dum é contrario *iræ* & *vindictæ* adfectus nos ipſos cruciant & dilaniant; deinde aliorum amorem ac bene-

volentiam nobis conciliant, dum oppoſita agendi ratione magis magiſque exaſperantur. Sic, præceptum *veracitatis* atque *candoris*, utiliſſimum etiam eſt, ad mutuam inter homines generandam fiduciam, ſine qua nulla ſecuritas, nulla ſuavitas, in vita ſupereſt. Sic, præceptum *patientiæ* ad mala lenienda non parùm facit. Sic, dum damnatur *avaritia*, *ambitio*, *ſuperbia*, *voluptatum ſtudium*, eô ipſô maximæ turbarum ac moleſtiarum occaſiones præciduntur. Atque idem de omnibus propemodùm Evangelii præceptis adfirmare licet, ſi modò illa animô adtentô, ſedatiſque adfectibus, conſiderentur.

XXXVI. Confirmatur id quod dicimus de Præceptorum Evangelicorum utilitate, ſi ſequentia obſerventur, quæ nonniſi indicabimus. PRIMO quidem, teſte Salomone, *gaudium eſt Juſto, id facere quod rectum eſt.* Prov. XXI. 15. Et hoc ſanè gaudium ſuaviſſimum eſt, omnibuſque profanorum gaudiis longè antecellit. SECUNDO, non adimit Chriſti Diſciplina, honeſtas vitæ præſentis voluptates; Eas tantùm intra juſtos limites coërcet; quos ſi excedant, veræ noſtræ felicitati adverſantur. Itaque ea ſola prohibet Chriſtus, quæ, ſi ſaperemus, nobis ipſi prohiberemus. TERTIO, non aliter meliùs dignoſci poteſt utilitas ac ſuavitas Præceptorum Evangelicorum, quàm inſtitutâ cum Vitiis oppoſitis comparatione. Jubemur, exempli cauſſâ, cæteros omnes mortales diligere, pacémque, quantùm in nobis eſt, cum omnibus colere: Jam ſumantur Vitia oppoſita, odia, iræ, inimicitiæ, lites, rixæ, diſſidia, bella; Quis non videt, quantoperè hæc paci ac felicitati noſtræ adverſentur? Præcipitur ἀυτάρκεια, ſua ſorte contentus animus: Jam ponatur contrarius animi ſtatus, putà animus inquietus, novarum rerum cupidus, ſua ſorte haudquaquam contentus, avaritiæ, ambitionis, vanæ gloriæ œſtro percitus; Quis non fateatur, talem animi diſpoſitionem nonniſi ad nos turbandos & cruciandos idoneam eſſe?

XXXVII. Verum quidem eſt, vitia pleraque, v. g. *gulam*, *ebrietatem*, *libidinem*, &c. præſentem quandam voluptatem promittere, imò & creare. At ſeriò rem expendenti, patebit, volup-

voluptatem illam, primò levem admodum esse; deinde turpem, probrosam, & viro sapiente indignam; denique nonnisi momentaneam, quæque innumeros dolores, etiam in hac vita, post se trahat; ob detrimentum nempe quod adfert, tum corpori, tum animo, tum fortunæ, tum famæ, tum paci & quieti familiarum, &c. Quæ omnia qui reputaverit, utique summam utilitatem Præceptorum Evangelicorum, ad ea prævenda pericula, vitandósque scopulos, non poterit non agnoscere.

XXXVIII. Nec diffitendum (prout jam innuimus) quosdam subinde casus emergere, in quibus Christianæ vitæ Officia cum commodis temporalibus pugnent, præsentique felicitati adversari videantur. At verò, nihil hæc sunt, præ maximis ac urgentissimis, quæ pro Christiana pietate militant, rationibus, certissimáque atque ampliſſima, quæ in *Vita Futura* promittitur, compensatione. Sic, durum est, haud diffitemur, pœnitentia factorum tangi, anteactæ vitæ rationem mutare, adfectus inolitos, & jucundos quidem, exuere, denique perpetuâ vigilantiâ sibi ipsi adtendere, ne quo dicto, facto, cogitato, in Deum peccemus. At si consideres, illa ad æternum vitandum exitium, & æternam comparandam felicitatem requiri, non ampliùs dura videbuntur. Deinde, molestia illa in principiis præsertim sentitur; Decrescit illa paulatim, dum majores in pietate & virtute fiunt progressus; tandémque in suavissimam quandam voluptatem commutatur. Quereris, durum esse, vitam emendare, gratis adfectibus nuntium mittere: At ipsi Ægri quot dura quotidie à Medicis & Chirurgis patiuntur, ut valetudinem recuperent, & vitam ad incertum, fortè & brevissimum tempus, proferant? Quantò igitur magis expedit, dura quædam tolerare, caros quosdam adfectus deponere, ne corpus & anima æternùm pereant, æternámque contrà beatitudinem consequantur? Dura imperat, saltem dura carni, Christi Disciplina: Sed quot quantásque molestias quotidie toleramus, ut leviſſima quædam, imò & incertiſſima, commoda adipiscamur? Sic Mercator, quid non tolerat, quas non itinerum ac laborum molestias sustinet, ut leve quoddam incertúmque lucrum

crum obtineat? Sic Miles, quid non patitur, quot quantáque non adit pericula, ut vel aſſes quoſdam lucretur, aut ad infima quædam Munera promoveatur? Sic Aulicus, quot incommoda, quot difficultates, quot contemptus, ſuperare quotidie cogitut, ut Principis vel Miniſtrorum grátiam demereatur? Durum videtur in Chriſti Schola, injurias condonare, nos malè habentibus benefacere: Sed quàm ſæpe cogitur Aulicus eô modô ſe gerere, ut fortunam ſuam promoveat? & hoc quidem cum diſcrimine, quòd Aulicus invitus, reluctans, imò rabie percitus, id agat, Chriſtianus verò animo libenti, Deique voluntati motigero, idem exſequatur. Poſtremò, ſi dura, ſi moleſta, in quibuſdam, Virtus videatur, quos non labores viciſſim, quas non moleſtias poſt ſe trahunt Vitia? prout ſuprà jam oſtendimus, & experientia plus ſatis docet.

XXXIX. Supereſt maxima ac difficillima Vitæ Chriſtianæ moleſtia; *Perſecutiones* nimirùm, Veritatis aut Virtutis cauſſà ſuſtinendæ: Quibus de temporibus agens Paulus, *Si in hac tantùm vita*, inquit, *in Chriſto ſperavimus, miſerrimi hominum eſſemus*, I. Cor. XV. 19. Verùm primò, ſtatus ille non perpetuus eſt, ſed, Dei benignitate, quibuſdam temporibus & locis rarus. Secundò, nec etiam incommodum illud Evangelio peculiare eſt: Nam, in Regnis & Rebuſpublicis optimè conſtitutis, ſi exardeſcat bellum, coguntur Cives, non fortunas modò, ſed & vitam ipſam profundere; neque tamen de Legum, in locis illis inſtitutarum, ſapientia ac utilitate, quidquam decedere exiſtimatur: Pari modo, licèt Chriſtiani, ſæviente Perſecutione, quammaxima damna ſuſtinenda habeant, imò & graviſſimis tormentis ſuppliciiſque exponantur, non ideò tamen Evangelii Leges minùs ſapientes per ſeſe, minúſque ad felicitatem adcommodæ exiſtimandæ ſunt: Si præſertim ad certiſſimam illam, eandémque abundantiſſimam Vitæ Futuræ compenſationem, animum adtollamus. Nam, quemadmodum in Perſecutionibus longè maximum fidelitatis ac obedientiæ ſpecimen Deo exhibent Chriſtiani, ita & inſignia planè Divinæ benevolentiæ & adprobationis teſtimonia experiantur: *Leviſque illa adflictio*,

adflictio, quæ nonniſi momentanea eſt, graviſſimum atque excellentiſſimum Gloriæ pondus operatur. 2. Cor. IV. 17. Plura non addimus de ſummo illo Præmio, ſiquidem de eo, ſequenti Sectione, proprius erit diſſerendi locus.

XL. Tertio notavimus, Præcepta Evangelii, omnibus *Ethnicorum* Religionibus, imò & Philoſophorum inſtitutis, longiſſimo intervallo ſupereminere. Quod quidem ita clarum eſt, ut longa probatione non indigeat. Certè ita plena ſtultitiæ, turpitudinis, imò & crudelitatis, Ethnicorum Sacra fuêre, ut iis recitandis ac refellendis immorari, hac præſertim Evangelii luce, Ethniciſmôque his in regionibus pridem exſtinctô, vix aliud ſit quàm tempus abſumere, & Lectoribus nauſeam creare. Legi poſſunt, hanc in materiam, Veterum Patrum Apologiæ, v. g. *Juſtini Martyris*, *Athenagoræ*, *Tertulliani*, *Origenis*, *Minutii Felicis*, *Arnobii*, *Lactantii*, &c.; aut, ſi quid brevius deſideretur, vel ſolus Liber quartus Operis aurei *Grotii*, de *Veritate Religionis Chriſtianæ*; Quæ omnia, tantâ eruditione, tótque adductis Ethnicorum Scriptorum teſtimoniis firmantur, ut lis illa planè dirempta ſit. Sed nec minùs ſtultas, minúſve barbaras, hodiernorum Ethnicorum Religiones eſſe, ex *Itinerum* ac *Narrationum* Scriptoribus conſtare poteſt. Quantum diſcrimen, inter illas nugas, humanæque naturæ probra, & *Cultum* verè *rationalem* Chriſtianæ Religionis; qui quidem ita purus eſt, ita ſanctus, ita Deo dignus, nihil ut perfectius cogitari queat! Quibus & hoc quoque adjungendum, in Ethnicorum Religionibus, probitatem ipſam ac virtutem, Religionis partem habitam non eſſe, neque aliud Sacerdotes niſi cærimonias curâſſe, de virtute verò promovenda haudquaquam cogitâſſe: Contrà verò, hæc una eſt ex maximis Chriſtianæ Religionis laudibus, quòd virtus ac probitas, non modò partes ejus eſſentiales, ſed & potiſſimæ maximéque neceſſariæ dicantur eſſe: Nam *hæc eſt pura ac immaculata apud Deum & Patrem noſtrum Religio, inviſere pupillos & viduas, ſéque purum à mundi ſordibus ſervare.* Jacob. I. 27. Et hæc quidem ſapientiſſima eſt Lactantii obſervatio: *Deorum cultus*, inquit,

non habet ſapientiam; non modò quia divinum animal, hominem, terrenis fragilibúſque ſubſternit; ſed quia nihil ibi diſſeritur, quod proficiat ad mores excolendos, vitámque formandam; nec habet inquiſitionem aliquam veritatis, ſed tantummodò ritum colendi, qui non officio mentis, ſed miniſterio corporis conſtat. Et ideò non eſt illa Religio vera judicanda, quia nullis juſtitiæ virtutiſque præceptis erudit, efficítque meliores. — Quoniam igitur, addit, *philoſophia & Deorum religio disjuncta ſunt, ſiquidem alii ſunt* profeſſores ſapientiæ, *per quos ad Deos non aditur, alii* religionis antiſtites, *per quos ſapere non diſcitur, apparet, nec illam eſſe veram ſapientiam, nec hanc religionem.* LACT. De vera ſapientia, Lib. IV. cap. 3.

XLI. Sed & ipſi illi, quos *Sapientiæ profeſſores* vocat Lactantius, Ethnici nempe *Philoſophi*, quanquam eximia non rarò de moribus præcepta tradiderint, ut *Socrates*, *Cicero*, *Seneca*, *Epictetus*, *Marcus Aurelius*, aliique non pauci, tamen à Chriſtianarum Legum puritate atque perfectione longiſſimè abfuiſſe deprehenduntur. Nam 1. bonis illis & laudabilibus, prava ſubinde & noxia immiſcebant, quibus ea non parùm infirmabantur. Certè Philoſophorum illorum plerique, Virtutum fundamenta penè omnia ſubruebant, dum, vel docebant incerta eſſe omnia, vel Providentiam negabant, vel fatalem rebus humanis neceſſitatem inducebant, vel Vitam futuram inficiabantur. Et quis neſcit, eos penè omnes intolerandam ſuperbiam homini inſtillâſſe; velut cùm docebant *Stoïci*, Sapientem ſuum *de virtute etiam cum Jove contendere poſſe?* Iidem, Paradoxis ſuis, omnem dictis fidem abrogabant; velut cùm ſuam illam ἀναθειαν prædicabant; à qua naturæ humanæ conſtitutio planè abhorret; aut cùm dicebant, Sapientem ſuum *etiam in tauro Phalaridis beatum eſſe.* 2. Multa hominis Officia, vel omittebant penitùs, vel nonniſi imperfectiſſimè ac debiliſſimè commemorabant. Quis illorum, v. g. ea præcepit Officia, quæ ad Deum pertinent, amorem Dei, zelum pro ejus gloria, Veritatis ejus profeſſionem ad defenſionem, confeſſionem peccatorum, veniæ deprecationem, &c. Quis etiam, amorem Proximi, Inimi-

corum

eorum cummaximè; Quis preces pro iis fundendas, vitam pro iis nonnunquam dandam, &c. Quis contemptum rerum mundanarum; Quis rectas, tum voluptatum, tum ærumnarum, tum mortis ipsius, ideas, agendique modum ideis illis convenientem; Quis, inquam, Philosophorum, Officia illa omnia, gravia oppidò atque momentosa, vel commemoravit ullatenùs, vel, ut par est certè commendavit? Id qui fecerit, neminem cognoscimus. Propria hæc est Doctrinæ Cœlestis, præsertim *Christianæ*, prærogativa. 3. Ut multa omittebant Officia, ita & præcipua Officiorum fundamenta non statuebant, putà Dei auctoritatem, eique reddendam omnium rationem. Nihil ergo præcepta ipsorum erant, præter egregias quasdam sententias, præter Sapientum opiniones atque consilia, sed quæ veram ac propriè dictam obligationem haud inducebant. 4. Nec etiam ad Dei gloriam Moralis illa Philosophia dirigebatur; Illud ipsis ignotum erat: Cùm tamen constet, hoc verum principium, hunc primarium finem, humanarum actionum esse debere. 5. Licèt multa egregia à Philosophis illis traderentur, ea ad Populum vix pertinebant, neque aliis ferè quàm paucis quibusdam Discipulis committebantur. 6. Denique, quàm cassa atque evanida eorum Sapientia esset, vel ex hoc æstimare licet, quòd illi ipsi, qui optima tradebant præcepta, tardi interea ad agendum essent, vitiisque à se damnatis utplurimùm inficerentur. At verò, in his omnibus capitibus, longè perfectior est, imò perfectissima, Christi Disciplina, quæ nullis favet vitiis, contrà plenissimas atque absolutissimas Virtutum omnium ideas tradit; quæ, ut à Deo omnia arcessit, ita & omnia ad Deum refert; quæ non paucis quibusdam Discipulis, sed universo Hominum generi medetur, omniúmque captui adcommodata est; postremò, quæ præceptis planè divinis, validissima quoque incitamenta, exempla, auxilia, adjungit; quemadmodum jamjam ostendetur.

XLII. Quarto notavimus, Præcepta Christiana, non omnes modò Ethnicorum Disciplinas superare, sed & ipsi *Cultui Mosaïco*, Præceptisque Legalibus, non parùm antecellere. Quis

enim neſcit, quot externi ritus, ſacrificia, ablutiones, ciborum ac dierum diſcrimina, Religionem Judaïcam conſtituerent? quæ omnia nihil in ſe boni nec laudandi habebant, nec niſi Populi illius ruditati, Eccleſiæque infantiæ, fuerant conceſſa: Unde Paulus ea, στοιχεῖα, *elementa* cognominat, qualia *infantibus* traduntur, adultis verò neceſſaria ampliùs non ſunt. Gal. IV. 3. Coloſſ. II. 20. At verò *Chriſtiana Religio*, ab his elementis, ad majora nos vocat; à carnalibus, ad ſpiritualia; ab umbris, ad corpus: Nec enim aliam præcipit circumciſionem, quàm cordis & adfectuum; nec alias victimas, quàm nos ipſos, & noſtra omnia; nec aliam abſtinentiam, quàm à peccato; nec alias ablutiones, quàm à vitiorum ſordibus; nec aliud thus, quàm preces, & gratiarum actiones: In quibus omnibus, quantoperè Chriſtianus Cultus Moſaïco ſuperemineat, nemo non videt. Et quod ad Præcepta Moralia, licèt, ad ſummam quod adtinet, diverſa non ſint, ſiquidem Dei & Proximi amore, & Lex & Evangelium pariter conſtant, tamen quædam vitæ Officia Judæis non ſatis cognita fuiſſe, imò & nævos quoſdam, ob duritiem cordis ipſorum, toleratos, nemo ignorat. Sic Matrimonii puritas, ex polygamia & divortio; Charitatis præcepta, ex mandato de delendis Cananæis, ex ſanguinis vindicta, ex lege talionis, aliiſque idgenus, quadantenùs obſcurabantur. At verò, ſub Evangelio, Officiorum noſtrorum puritas ab omni labe immunis eſt; ipſæque in primis Charitatis leges in aperta luce collocantur; quemadmodum Chriſtus, Matt. V. atque alibi paſſim, demonſtrat. Denique totam Legem Moſaïcam ad ſtatum particularem illius Populi adtemperatam fuiſſe, eóſque à cæteris ſecreviſſe atque removiſſe, nemo eſt qui non videat: Verùm Lex Evangelica ad Populos omnes ex æquo pertinet, nulliſque locorum aut temporum limitibus circumſcribitur.

XLIII. QUINTO, ut Præcepta planè eximia, ita & validiſſima ad Pietatem & Virtutem *Incitamenta*, Chriſtiana Religio proponit; & hæc quidem præ cæteris, quæ nonniſi indicabimus. *Primò* quidem, rerum ipſarum juſtitiam, ſanctitatem, honeſtatem. Hinc Paulus eo nomine Chriſtianum Cultum commendat, quòd

quòd eſſet λογικὴ λατρεία, *Cultus Rationalis.* Rom. XII. 1. Et alibi; *Quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus eſt, ea cogitate.* Phil. IV. 8. *Secundò*, Dei voluntatem atque mandatum; Dei, inquam, qui ſupremus noſter Dominus eſt; Dei, qui eſt unus ille *Legiſlator, qui & ſervare poteſt, & perdere.* Jac. IV. 12. Hinc Chriſtus de *facienda Dei voluntate* perpetuò loquitur, in eóque Officiorum omnium ſummam collocat. *Tertiò*, Amorem Dei; *Hic eſt amor Dei*, inquit Johannes, *ut mandata ejus ſervemus; & mandata ejus gravia non ſunt.* I. Epiſt. V. 3. *Quartò*, gratum animum ob accepta à Deo beneficia, cùm in Natura, tum præſertim in Gratia, & opere Redemptionis. Etenim, qui tot tantáque in noſtri gratiam præſtitit, ei utique nos totos debemus, neque amplius *nobis ipſis, ſed ei vivere* decet. Hinc Paulus; *Empti eſtis pretio: Glorificate ergo Deum, in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* I. Cor. VI. 20. *Quintò*, huc accedit Exemplum Dei, ad cujus effigiem nos fingere debemus. Unde Chriſtus, *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter, qui in Cœlis, perfectus eſt.* Matt. V. 48. Et Paulus, *Imitatores Dei eſtote, ut filii dilecti*, &c. Eph. V. 1. *Sextò*, huc quoque pertinet Exemplum Chriſti, de quo jamjam dicemus. *Septimò*, nec etiam levis momenti ſunt, Piorum omnium, qui nos antecеſſerunt, Exempla: Unde Apoſtolus; *Cùm tanta Teſtium nube circumcingamur*, &c. Heb. XII. 1. *Denique* potiſſima ac validiſſima Evangelii Incitamenta, ſunt, ex una parte, æternum exitium Improbis denuntiatum; ex altera parte, beata illa Vita, in æternum duratura, quæ Fidelibus reſervatur. Matt. XXV. 46. Quæ quidem Incitamenta, quanti ponderis ſint, ad Pietatem commendandam, ſuperandáſque Virtutum moleſtias, nobis tacentibus, res ipſa docet.

XLIV. SEXTO, inter alia Incitamenta, numeravimus *Exemplum Chriſti*, quod tanti eſt uſûs, tantæque præſtantiæ, ut de eo ſigillatim dicere operæ pretium videatur. Certè in Exemplis vividiùs ſe prodit Virtutum pulchritudo, earúmque modi & circumſtantiæ; oſtenditúrque, id quod præcipiunt, re verâ fieri

poſſe: Quinimò & animum addunt, induſtriam excitant, ſúntque velut Leges quædam vivæ, quæ ſuaviſſimè ſimul atque efficaciſſimè ad agendum exſtimulant. Quanta verò ſit Exempli Chriſti, præ cæteris omnibus, præſtantia, tota ejus hiſtoria docet; ſiquidem in eo viſæ ſunt Virtutes omnes, abſque ulla vitii miſtura; in primis autem Virtutes difficillimæ, & apud homines non rarò contemptæ, ſed eximiæ tamen, maximéque neceſſariæ; qualis eſt ſumma animi modeſtia, (*humilitatem* dicunt Chriſtiani) ſingularis manſuetudo, amor inimicorum, injuriarum patientia; in quolibet vitæ ſtatu, etiam in mediis cruciatibus, animus ſemper ſui compos, ſemper Deo obſequens, ſemper in Deum recumbens, &c. Et hæ quidem præcipuæ fuerunt Chriſti Domini noſtri Virtutes; quas ut diſceremus, tali Exemplo quammaximè opus erat.

XLV. SEPTIMO, nec etiam Fidelibus deſunt alia omnis generis *Auxilia*, cùm externa, tum interna, quibus in Virtutum praxi dirigantur, & ad ſuperandas vitæ Chriſtianæ difficultates adjuventur. Quam in rem Chriſtus, *Si vos, qui mali eſtis, nôſtis bona dare liberis veſtris, quantò magis Pater Cæleſtis* SIRITUM SANCTUM *largietur petentibus?* Luc. XI. 13. Et Jacobus, cùm de patientia in tentationibus ſpeciatim ageretur, *Si quis veſtrûm eget ſapientia, petat eam à Deo* &c. Jacob. I. 5. Ex quibus patet, quòd, ſi nos, ex parte noſtra, ſincerè officiis noſtris incumbamus, neque nobis ipſis deſimus, ex parte Dei nihil nobis defuturum ſit.

XLVI. POSTREMO, ad Ethicæ Chriſtianæ præſtantiam, illud etiam non leve accedit, quòd, non ſubtilibus ratiociniis, qualia adhibebant Philoſophi, non adductis Majorum ſententiis, ut mos erat Judæorum Doctoribus, ſed modô planô, facili, ad omnium captum adcommodatô, ſed tamen majeſtatis plenô, à Chriſto & Apoſtolis doceatur: Quô factum, ut, ad Chriſti doctrinam, Auditores ejus ſtuperent, *neminémque hominem ſic unquam locutum eſſe*, fateri cogerentur. Matt. VII. 28. 29. Joh. VII. 46. Verùm de Præceptis plus ſatis dictum eſt. Sequitur ut de PRÆMIIS dicamus: ſed paucis; ne nimiam creſcant in molem Paginæ noſtræ.

SEC-

SECTIO TERTIA,

Quâ, ex Præmiorum *magnitudine, Christianam Religionem verè divinam esse cognoscitur.*

XLVII. Præmia Christianæ Religionis, alia quidem ad hanc vitam, alia ad futuram pertinent: juxta illud Pauli, *Pietas ad omnia utilis est, habens promissionem vitæ præsentis, & futuræ.* I. Tim. IV. 8. Utraque hæc bona paucis exhibebimus; Deinde, quàm nobilia sint, quàm magnifica, quàm Deo digna, ostendemus.

XLVIII. Quæ suis *in hac Vita* pollicetur Christus, non sunt visibilia illa, quibus Mortales inhiant, quibus unicè capiuntur, Bona; opes, honores, voluptates, & si qua sunt hujus generis; quæ, quàm imperfecta sint, quàm vilia atque caduca, nobísque adeò beandis inepta, quotidiana experientia plus satis docet. Minùs quidem conspicua sunt, sed majora longè & solidiora, ea de quibus hic agitur Bona. Sunt 1. *Venia peccatorum*, quâ haud scio an quidquam melius, magísque necessarium, Enti reo, irámque divinam metuenti, contingere possit. De eo bono, Ethnicorum Philosophi ne cogitâsse quidem videntur: Ad illud verò obtinendum, nil nisi vana atque inepta Religionum Antistites proferebant. Sola Revelatio, præsértim Christiana, veram ejus rationem declarat, spémque illius certissimam facit. 2. *Mentis illustratio*, quâ, positâ ignorantiâ, pulsísque erroribus, animus in nobilissimarum momentosissimarúmque rerum cognitionem adducitur. Quantum sit bonum, quámque Homine dignum, res cognoscere, apud Sapientes in confesso est: Cequæ verò potior cognitio, cequæ nobilior atque utilior, eâ quam suis Christus largitur? 3. Exinde nascitur *Sanctitas*, quâ, exutis vitiis, Pietati & Virtuti operam damus, sícque Dei similes, (quantùm quidem vitæ præsentis imbecillitas patitur) Deóque digni, fingimur. 4. Hinc etiam

etiam nova exſurgit ſpiritualium benedictionum ſeges; *Pax conſcientiæ*, amoris Divini ſenſus, Dei protectio atque auxilium, ſolatia in adverſis, &c.; Quorum omnium quanta ſit ſuavitas, ii demùm probè nôrunt, qui experiuntur. 5. Denique, inter hæc emìnet *beatæ Spes immortalitatis*, quæ mentem exquiſita quadam voluptate perfundit, &, in mediis vitæ Chriſtianæ difficultatibus, immotam præſtat. Et hæc quidem ſunt præcipua Bona, quibus ſuos, hac in vita, cumulat Chriſtus: cum quibus ſi conferantur quæcunque Mortales maximi faciunt, patebit ea, nîl niſi nugas, nil niſi crepundia, præ iſtis, eſſe.

XLIX. Verùm, quantacunque ſint præſentia illa Pietatis præmia, ſunt tantùm initia, ac velut primitiæ, beatiſſimi illius ſtatûs, Cœleſtis illius Hæreditatis, quæ Fidelibus, *in vita Futura*, reſervatur. Quis præcisè ſtatus ille futurus ſit, magna quidem ex parte neſcimus: Sed de eo tamen, ex Dei Verbo, ſat multa cognoſcimus, ut videamus, perfectiſſimam Felicitatem illam fore, ejúſque, ſi modò ſapimus, deſiderio toti inflammemur. Paucis dicam: Inde aberunt mala omnis generis; Ibi *neque luctus, neque clamor, neque dolor ullus exſtabit, lacrymæque omnes ab oculis abſtergentur*; Apoc. XXI. 4. Contrà aderit quidquid optimum & glorioſiſſimum in mentem cadere poteſt. Cognitio ampliſſima; & ea quidem, ut credibile eſt, perpetuis augmentis creſcens. Sanctitas, nullo ampliùs vitio, nullo ampliùs defectu laborans. Animi, cura omni vacui, metu omni liberi, perfecta tranquillitas. Corpus, per beatam Reſurrectionem inſtauratum, nullis ampliùs morbis, nullis ampliùs vitæ animalis neceſſitatibus obnoxium; perpetuò vegetum, ſplendidum, incorruptum. His accedet Loci magnificentia, tanti Principis palatio digna. His accedent & ſuaviſſimæ, inter Sanctos omnium ætatum locorúmque, ſocietates. In primis verò, quod caput eſt omnium, intima quædam habebitur cum DEO communio, quem *viſuri facie ad faciem* dicuntur Beati, quíque *omnia in omnibus* futurus prædicatur. Poſtremò, deliciis illis omnibus, maximis per ſeſe atque infinitis, novus & hinc cumulus accedet, quòd nulli caſus,

ſus, nullæ mutationes, nulli anni, nulla Sæcula, imò nullæ annorum Sæculorúmque myriades, vel minimùm eas deterere, aut quidquam de iis delibare unquam poterunt.

L. Quàm præſtantia ſint Bona illa omnia, quàm nobilia, quàm Deo digna, ita clarum apertúmque eſt, ut copioſa id oratione demonſtrare neceſſe non ſit. Certè, veram hîc occurrere, imò ſummam atque perfectam Hominis Felicitatem, quiſquis ſeriò ad rem adtenderit, facilè cognoſcet. Ac ſanè, poſitô Deo, qui naturæ noſtræ auctor ſit, qui Leges nobis indiderit, cui ſit omnium reddenda ratio, à quo proinde toti pendeamus, quis non videat, ſummum noſtrum Bonum, veram noſtram Felicitatem, in Dei illius favore & cummunione poſitam eſſe? Adhæc, perſpectâ Hominis naturâ, in primis verò nobili illâ Mente, *divinæ auræ particulâ*, quis ſibi fingat, gulæ ſervire, libidinem explere, (quæ ſunt Homini cum Brutis communia) imò verò & opes congerere, & inani titulorum atque dignitatum vento ſe paſcere, quis, inquam, ſobrius, putet, nugas illas, & ſi qua ſunt ejuſdem generis, verum humanæ naturæ finem, propriam nobiliſſimæ illius Mentis Felicitatem habendam eſſe? Ad majora, procul dubio, natus Homo exiſtimandus eſt; putà, ut, cognitô Conditore ſuô, animôque Veritatis & Virtutis luce exornatô, ſeſe Dei ſimilem, Deóque dignum fingeret, dignámque ſummo illo Ente remunerationem conſequeretur. Poſtremò, quiſquis ad Mentis naturam, ab omni corporea mole ſecretam, Divinæque Juſtitiæ leges, in hac vita nondum expletas, animum adverterit, is profectò, de futuro quodam, poſt vitam hanc mortalem, ſtatu, ſummáque Felicitate tum demùm exſpectanda, neque unquam deſitura, haud difficulter convincetur.

LI. Sed, quod hîc eſt apprimè notandum, Deíque digitum apertè innuit, pulchræ illæ, ſapientes illæ, Felicitatis notiones, quæ cum Dei Hominiſque natura ita aptè conveniunt, quibus tandem in terris, quas apud Gentes, qua in Diſciplina, niſi Chriſtiana, reperiuntur? Mirum dictu eſt, ſed tamen certiſſimum, id quod omnes naturâ expetunt, id quod omnes, à

minimis ad maximos, nullis non votis, nullis non ſtudiis, adſiduè quærunt & perſequuntur, putà ſummam Felicitatem; tam paucis notum fuiſſe; ſexcentas, ea de quæſtione, Philoſophorum dari ſententias, ſed nullam ſcopum adtigiſſe; denique, ſolam in Orbe Chriſtianam Doctrinam, veram humanæ Felicitatis naturam aperuiſſe, certámque illius obtinendæ viam monſtrâſſe. Quæ profectò longè maxima eſt Doctrinæ hujus prærogativa, ejúſque divinitatis indicium haudquaquam ſpernendum.

LII. Enimverò, quamvis generalis propemodùm, apud Gentes omnes tantiſper excultas, de futuro aliquo poſt mortem ſtatu, ſpargeretur ſententia, ſive illa ex naturalibus Juſtitiæ Divinæ notionibus, ſive ex antiqua quadam Traditione ortum duceret, tamen vix poterat fidem impetrare, adeò Fabulis, apud vulgus, vagíſque *pro* & *contra* ſermonibus, apud Philoſophos, infirmabatur. Nam Fabulæ illæ, de Campis Elyſiis, ſelicibúſque illis Umbris, quarum

* *Pars in gramineis exercent membra palæſtris*;
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt;

Poëmatum quidem ornamenta erant; ſed à nemine, qui tantillùm ſaperet, pro veris admittebantur. Quibus tamen Fabulis, haud impares poſtea, imò craſſiores atque fœdiores, addiderunt *Mahumetiſtæ*. Philoſophi verò maximi nominis, qui haud leves, de Animi immortalitate, & Vita futura, ſuſpiciones habuiſſe videntur, ut *Socrates*, *Cicero*, *Seneca*, aliique, tamen nonniſi dubiè atque hæſitanter ea de re philoſophabantur; prout, cùm ab aliis, tum à nobis etiam, Diſp. *de Revelationis neceſſitate*, Th. XVIII., adductis eorum teſtimoniis, demonſtratum eſt.

LIII. Quinimò, licèt non pauca exſtarent, in Veteris Teſtamenti Tabulis, quæ ad Futuri ſtatûs notitiam ſedulos Lectores deducere poſſent, tamen iis erant figurarum ac typorum velis obumbrata, in primis ob Moſaïcæ Legis, quæ tota temporalis

* Virg. Æneid. Lib. VI. ℣. 642. & ſeq.

poralis erat, exteriorem ſanctionem, ut non ſine acri quodam ſtudio, ſingulariſque adtentione, eò adſurgere Judæi valerent. Unde & celebris inter ipſos Secta, *Sadducæorum* nempe, quæ ingenio haudquaquam carebat, dogma illud de Vita Futura apertè inficiabatur.

LIV. At verò hæc eſt incomparabilis, nullóque non æſtimanda pretio, ſummi noſtri Doctoris præſtantia, quòd veriores atque certiores *de Vita Æterna ſermones* Mortalibus ægris adtulerit, Joh. VI. 68.; quòd debellatâ morte, *Vitam atque incorruptionem*, ab omnibus quidem exoptatam, ſed nondum ſatis cognitam, nec ſatis creditam, *in lucem protulerit*, 2. Tim. I. 10.; eámque, non anilibus Fabulis, ut Ethnicorum Poëtæ & vulgus; non dubiis conjecturis, parúmve certis ratiociniis, ut Philoſophi; non per ſymbola ac typos, ut Judæi; ſed apertiſſima revelatione, argumentiſque evidentiſſimis, omníque exceptione majoribus, manifeſtaverit & confirmaverit. Quô vel unô, ſi alia deſint, ſummam Doctrinæ Chriſtianæ præſtantiam, cœleſtémque originem, cognoſcere licet.

LV. Neque verò nos morari debent, rei per ſe longè maximæ, & à vulgaribus hujus vitæ rebus remotiſſimæ, difficultates: Putà, quàm parùm veriſimile ſit, fragile illud animal, Hominem, ævi immortalis participem futurum; neque modò immortalem, ſed & in ea immortalitate glorioſiſſimum: Item, quâ fieri ratione poſſit, ut diſperſæ huc illuc atque diſſipatæ humanorum corporum partes, ſive in aquis, ſive per aërem, ſive in aliorum animantium, Hominum cumprimis, corporibus, & quidem poſt longam Sæculorum ſeriem, plurimáſque ejuſmodi vices, recolligantur atque inſtaurentur. Sunt hi quidem nodi, ſed non inſolubiles. Nam ad vilitatem Hominis quod adtinet, probat quidem, nos, ex nobis ipſis, propriiſque meritis ac viribus, ad tanti boni exſpectationem adſurgere neutiquam poſſe: Sed quis Entis optimi & potentiſſimi munificentiæ limites ponat? Quis miretur, & poſſe, & velle ipſum, pro nobis facere, *ultra id omne quod mente concipimus?* Eph. III. 20. Et quod ad Corporum reſurrectionem, miſſis

aliis quæ disputari hanc in materiam possent, quis neget, ei, qui corpora nostra, imò & universam rerum naturam, tanta arte composuit, corpora itidem nostra recolligere, ac in integrum restituere, difficilius haudquaquam esse? Benè hanc in rem Veteres Christiani, atque inter alios MINUTIUS FELIX; *Quis tam stultus*, inquit, *aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem à Deo, ut primùm potuisse fingi, ita posse denuò reformari? nihil esse post obitum, * & ante ortum nihil fuisse? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porrò difficilius est, id, quod non sit, incipere, quàm id quod fuerit iterare. Tu perire & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis; sed Deo, elementorum custodi, reservatur.* Verùm, de his aliisque Dubiis, alio tempore, si Deus dederit, pleniùs dicemus. Nunc veritatis fundamenta posuisse sufficiat.

CONCLUSIO,

Quâ ostenditur vis eorum quæ dicta sunt, de Placitis, Præceptis, *&* Præmiis RELIGIONIS CHRISTIANÆ, *ad ejus veritatem & divinitatem demonstrandam.*

LVI. His, de Doctrinæ Christianæ præstantia, tum quod ad *Placita*, tum quod ad *Præcepta*, tum quod ad *Præmia* attinet, sic positis atque demonstratis, adpellamus jam conscientiam Virorum omnium sapientium, justáisque de rebus sententias ferentium, annon Doctrina ejusmodi verè eximia sit, annon sit verè Deo digna, annon sit humanæ naturæ verè utilis atque

* Observat in hæc verba eruditissimus *Davisius*, loqui Minutium Felicem *cum eis, qui res, quæ inconspicuæ sunt factæ, in nihilum redigi existimat.*

atque conveniens, annon sit Hominibus instituendis, emendandis, & beandis aptissima? Fingamus tantisper, nihil esse aliud, præter Philosophicum Systema: Quænam unquam fuit, tam exquisita, tam certa, tam utilis, tam numeris omnibus absoluta, Philosophia? Demus, nondum certam esse Doctrinam istam: Quid optabilius Viro sapienti, æquo rerum æstimatori, quàm ut illa vera sit? Demus, de Præceptorum auctore atque origine nondum constare: Sed nonne ita æqua sunt, ita prudentia, ita salubria, ut Vir omnis sapiens, verique sui commodi gnarus, iis sese lubenter subjiciat, & ad eorum præscriptum vitam & mores componere velit? Quis neget, Orbem, eâ admissâ Doctrinâ, iis observatis Præceptis, felicissimum fore? Quis igitur Vir sapiens, publicique commodi studiosus, eam Doctrinam passim obtinere, ea Præcepta ab omnibus observari, non cupiat?

LVII. Verùm enimverò, hæc ipsa præstantia, hæc ipsa utilitas, hæc ipsa sanctitas, divinæ originis indicia sunt minimè fallacia. Etenim, quis neget, divinum esse, id quod Deum ubique refert, ubique exhibet, ubique spirat, id cujus summa est ac divina prorsùs excellentia, id quô melius ac divinius fingi non potest? Atqui talia sunt ea Dogmata, ea Præcepta, ea Præmia, quæ à Christiana Religione proponuntur. Hominum opera, etiam præstantissima, aliquo semper laborant defectu, aliqua semper labe adsperguntur: Hic pura omnia atque perfecta, qualia Dei opera esse convenit. Nam, neque Deus concipi perfectior potest, neque Cultus Deo dignior, neque Virtus purior, neque Bona illustriora. Quis ergo, illa à Deo processisse, in dubium vocet? Propria commoda, propriam gloriam, semper quærunt Homines; Quidquid moliuntur, quidquid agunt, quidquid docent, huc semper tendit: Omnia hîc ad Dei gloriam, ad Hominum sanctitatem, ad veram ac solidam eorum Felicitatem referuntur. Quis ergo neget, ejus Doctrinæ, quæ tam eximios sibi proponat fines, quæ tam efficaciter ea adsequatur, verè Deum auctorem esse? Certè, si Deus sese revelare humano generi unquam voluerit, non aliâ aptiori ratione,

non aliâ ſeſe digniore, non aliâ Homini convenientiore, revelare ſeipſum poterat. Si cultum ſibi debitum præſcribere, ſi vitæ rationem hominibus monſtrare, quâ fiat ut piè, juſtè, honeſtè, ſuaviter, feliciter denique in terris agant, tandémque ſummam atque omnimodam beatitatem adſequantur, ſanè nihil ſanctius mandare potuit, nihil purius, nihil ſalubrius, nihil ſeipſo dignius, nihil humanis neceſſitatibus commodiſque convenientius. Quis ergo dubitet, id feciſſe Deum, quod ipſum facere tantoperè decuit? Quis dubitet, Deum optimum, ſanctiſſimum, ſapientiſſimum, Hominum amantiſſimum, tam exquiſitam, tam ſapientem, tam utilem, tam neceſſariam, Humano Generi Revelationem indulſiſſe?

LVIII. Quid, quòd vidimus, partem non exiguam Chriſtianorum documentorum, putà non paucas de Dei natura, humanæ vitæ Officiis, & futuro Judicio, notiones, ipſo Naturæ lumine ſplendere, ex ipſis Rationis & Conſcientiæ principiis derivari. Jam, quin hæc ſaltem vera habenda ſint, imò & hôc ipſô verè divina (ſiquidem Naturæ lumen à Deo procedit) à nemine, qui quidem Rationem revereatur, negari poteſt. Cætera verò, quæ, non Rationis, ſed Revelationis ope innoteſcunt, cum primis illis principiis ita aptè connectuntur, iis confirmandis, illuſtrandis, perficiendis, extendendis, ita ſunt idonea, denique veram Dei notitiam, rectiſſimúmque illius cultum, tantâ ſapientiâ per totum Orbem inſtituerunt ac diſſeminârunt, ut, vel ex hac omnium partium, tum inter ſe invicem, tum cum eximio illo ſcopo, convenientia atque conſenſione, totius Chriſtiani Syſtematis veritas & divinitas abundè pateat.

LIX. Verùm, non alia ex re magis, verè divina eſſe comprobantur Chriſtianæ Doctrinæ natalia, quàm ex inſtituta non ſemel à nobis, inter præſtantiſſimam hancce Doctrinam, & cæteras omnes Religiones, Philoſophorúmque Diſciplinas, comparatione. Etenim, quæ cauſſa eſt, quæſo, cur univerſis, quà patet Orbis, Gentibus, etiam nobiliſſimis, excultiſſimis, perſpicaciſſimis, nonniſi vanæ atque abſurdæ Religiones fuerint; ſola verò Chriſtiana Religio, apud homines obſcuriſſimos & contemptiſ-

temptiſſimos nata, ſapientiſſima, puriſſima, Dei Majeſtate digniſſima, Humanæ naturæ convenientiſſima, deprehendatur? Utique nulla diſcriminis illius adferri ratio idonea poteſt, niſi quòd cæteræ omnes Religiones, atque Diſciplinæ, humani cerebri figmenta fuerint; Chriſtiana verò Religio non ab alio quàm Deo ipſo, ſapientiæ fonte, ortum duxerit.

LX. Poſtremò, & hoc utemur dilemmate, quod maximi ponderis nobis videtur: *Vel nulla Religio vera eſt, vel vera eſt Religio Chriſtiana.* Nullam Religionem veram eſſe, nemo in animum inducet ſuum, qui cogitaverit de Dei Providentia, de ejus ſapientia, de ejus bonitate, cæteriſque virtutibus. Etenim, an Deus optimus, juſtiſſimus, ſapientiſſimus, Ordinis amantiſſimus, qui tantâ curâ, támque aſſiduâ, neceſſitatibus Hominum proſpicit, pateretur, toto Terrarum Orbe, veram ſui notitiam, verum ſui cultum, prorsùs abeſſe, nec niſi vanas ac fictitias Religiones celebrari? Sanè id in mentem cadere nequit. Quædam igitur Religio vera eſt: Neque alia profectò, ſi omnes luſtraveris atque expenderis, vera deprehenditur, præterquàm Christiana.

LXI. Et hæc quidem, ad demonſtrandam *Chriſtianæ Religionis veritatem & divinitatem*, apud viros omnes cordatos, adtentos, atque veri ſtudioſos, multum ponderis habitura, nulli dubitamus. Quòd ſi tamen aliquid ſuperſit dubii, id ex dicendis, ſequentibus Sectionibus, pleniſſimè, uti quidem ſperamus, elucidabitur.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO VI.

DE

VERITATE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Habita eſt diſputatio, reſpondente ANTONIO ACHARD *Genevenſi.*

SECTIO QUARTA,

Quâ, ex charactere Magiſtri, & primorum Præconum, *hoc eſt,* CHRISTI & Apoſtolorum, Chriſtianæ Religionis *veritas confirmatur.*

THESIS PRIMA.

OStendimus, in antecedentibus, tantam eſſe præſtantiam, tantam pulchritudinem Doctrinæ Chriſtianæ, ſive ad *Placita*, ſive ad *Præcepta*, ſive ad *Præmia* adtendatur, eáque omnia tanto intervallo cæteras omnes Religiones ac Diſciplinas ſuperare, ut, quin hæc Doctrina vera ſit, veréque Deum habeat auctorem,

rem, dubitari cum ratione prorsùs nequeat. Et hæc quidem tanta ſunt per ſeſe, & cum certiſſimis rectæ Rationis & Conſcientiæ luminibus ita aptè cohærentia, ut, vel ſi nihil aliud adjungeretur, non poſſent non Viros omnes probos, & veri ſtudioſos, plurimùm adficere, &, ad agnoſcendam Chriſtianæ Religionis veritatem ac divinitatem, vehementer impellere.

II. Verùm ulteriùs confirmabuntur, ſi ad characterem ſummi illius Magistri, à quo Doctrina illa Hominibus adlata eſt, nec non & primorum Præconum, quorum miniſterio in ea diſſeminanda uſus eſt, oculos convertamus. In eo quippe charactere, tria præ cæteris ocurrunt, ad inſtitutum noſtrum facientia, quæque totidem validiſſima nobis argumenta ſuppeditant: Primò quidem, *Sors* eorum *externa*; quòd ſcilicèt ex infima plebe, nulliſque inſtitutionis ac Diſciplinarum præſidiis inſtructi fuerint: Secundò, eorum *Vita ac mores*; quòd Christus quidem perfectè ſanctus, Apoſtoli verò, licèt imperfectè, & quibuſdam cum nævis, tamen Viri optimi, & ſanctitatis ſtudioſiſſimi, fuerint: Tertiò denique, *tormenta* ac *ſupplicia*, quæ ipſi mirâ conſtantiâ & patientiâ toleràrunt; ſícque novam, eámque maximam, Doctrinæ ſuæ veritati ac auctoritati confirmationem addiderunt: Non hîc agitur, ut quivis videt, de Perſona Chriſti in genere, uti nec de ejus Miraculis, Reſurrectione, Adſcenſione, &c.; quibus omnibus ſuus etiam erit in ſequentibus locus: Nunc tria illa tantùm adtingemus, quæ per ſeſe plurimùm valere, nec exiguum, etiam ſepoſitis Miraculis, cæteriſque argumentis, Doctrinæ pondus adjungere nobis videntur.

III. Primo igitur, notabile eſt, Doctrinam illam eximiam, quam ſuprà deſcripſimus, à viris obſcuriſſimis, infimo loco natis, nullóque inſtiturionis ac humanarum Diſciplinarum præſidio ornatis, originem ducere. Nam Christus, qui ſummus fuit Doctrinæ hujus Magiſter, filius erat, ut omnes nôrunt, Virginis cujuſdam pauperculæ, quæ fabro lignario nupſerat; in fabri illius domo educatus, ejúſque filius habitus.

Neque verò ſors ejus, poſtea, commodior ex ulla parte, aut illuſtrior facta eſt; ſiquidem *non habuit*, quemadmodum teſtatur ipſe, *ubi caput reclinaret.* Luc. IX. 58. Neque aliunde, quàm ex piorum quorundam inter Judæos hominum, piarúmque mulierum, liberalitate ac beneficentia, ſuſtentabatur. APOSTOLI quoque, qui, ejus juſſu atque auſpiciis, Doctrinam hanc diſſeminârunt, nihilo eminentiores fuêre. Erant artifices viliſſimi, piſcatores plerique, quidam publicani, alii tentoriorum textores, omnes ex gente contemptiſſima, &, apud propriam gentem, *tanquam purgamenta & ſordes mundi* habiti, quemadmodum ipſi teſtantur; I. Cor. IV. 13.

IV. Quòd ſi tamen vilem hanc ſortem, liberalis inſtitutio, & humanarum Diſciplinarum ſtudia excepiſſent, quòd eximiam Doctrinam tradiderint non adeò mirum videretur. Sed, ſi unum *Paulum* excipias, qui ad pedes *Gamalielis*, Doctoris Judæi, inſtitutus, aliquid literarum Judaïcarum, nec tamen magni pretii, didicerat, cæteri nullos Magiſtros audiverant, nullas Scholas frequentaverant, nullis Diſciplinis exculti fuerant; neque alibi quàm in teloniis, cymbis, aut textrinis, fuerant educati: Et quo tempore promulgando Evangelio vacabant, eos *humanæ ſapientiæ ſermonibus* haudquaquam inſtructos fuiſſe, ipſimet ſuis in Scriptis apertè fatentur, & res ipſa ſatis declarat.

V. Quî fit igitur, ut Viri ignobiles, Viri nulla doctrina conſpicui, tam eximias ideas proferant? Unde tam ſublimia Dogmata, tam exquiſita Præcepta, tam excelſa Promiſſa, hauſerunt? adeò ut quidquid Philoſophi celeberrimi de Deo protulerant, ad vilium horum piſcatorum documenta neutiquam accedat? Sanè hîc *Dei digitus* evidenter ſe prodit: Neque quiſquam ſeriò atque adtentè ad id advertere poteſt, quin validiſſimum in eo, pro Chriſtianæ Religionis veritate ac divinitate, argumentum deprehendat.

VI. Et hoc quidem argumento Apoſtoli non ſemel utuntur. Sic Paulus, 1. Cor. I. 20. 21. *Ubi ſapiens? ubi Scriba? ubi Conquiſitor hujus ſæculi?* (דרשנים, *conquiſitores, indagatores,* pro-

profundioris eruditionis Doctores vocabantur apud Judæos) *Nonne infatuavit Deus*, hoc est, fatuam ac inefficacem esse ostendit, *Sapientiam mundi hujus? Nam quandoquidem in sapientia Dei, Mundus non cognoverat Deum per sapientiam, Deo visum est, per stultitiam prædicationis* (hoc est, per nudam ac simplicem, hominum vilium & contemptorum, humanæque sapientiæ expertium, prædicationem) *credentes servare.* Et ℣. 26. & seq. *Videtis vocationem vestram, Fratres; quòd non estis multi sapientes secundùm carnem, nec multi potentes, nec multi nobiles. Verùm, quæ stulta sunt in Mundo, Deus elegit, ut pudefaciat sapientes; Et quæ sunt infirma Deus elegit, ut pudefaciat robusta; Et quæ sunt ignobilia in mundo, & pro nihilo habentur, Deus elegit, etiam ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt aboleat:* Quorsùm verò hæc omnia? *Ut nulla caro glorietur coram eo.* Pergit Apostolus, cap. II. ℣. 1. & seq., eandem materiam urgere; *Ego*, inquit, *cùm venirem ad vos, non veni cum eminentia facundiæ aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei. —— Et fui cum infirmitate, & timore ac tremore multo apud vos; Neque oratio mea & prædicatio fuit in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis*, &c. Quare? *Ne* scilicèt *fides vestra fundetur in sapientia hominum, sed in potentia Dei.* Et rursùs, 2. Cor. IV. 7. *Habemus hunc thesaurum in vasis testaceis, ut virtutis ejus præstantia sit Dei, & non ex nobis.*

VII. Itaque, tantùm abest, ut sors abjecta Christi & Apostolorum, eorúmque, ad Literas humanas quod adtinet, ruditas ac imperitia, legitimæ adversùs ipsos, eorúmque Doctrinam, objectioni materiam præbuerint, quemadmodum olim garriebant, iisque exprobrabant, eorum Hostes, ut contrà nihil validiùs probet, Doctrinam ipsorum, non humanæ sapientiæ figmentum, sed Dei ipsius opus fuisse. Liceat audire Virum eximium, Sam. Werenfelsium, sapientissimè, ut solet, argumenti hujus robur ostendentem: *Si fortè*, inquit, *adolescentulus ea dicit aut scribit, quæ captum ejus longè superant, statim suspicamur, eum, quæ dicit, ab alio se doctiore accepisse: Quòd si fatetur, se id hausisse à præceptore suo, cujus genio ea*

quæ audivimus probè conveniunt, quin verum dicat non dubitamus. Non alia Scriptorum ſacrorum (CHRISTI & Apoſtolorum) *ratio eſt; Scribunt ea quæ ſunt ſupra captum hominum; ——aut, ſi cui hoc dubium videtur, ſaltem ſcribunt ea, quæ ſunt ſupra captum talium hominum, quales ipſi fuerunt, ſupra captum hominum rudium, opificum, piſcatorum: Scribunt ea, de Deo & rebus divinis, de ſummo hominis bono, de vita rectè inſtituenda, quæ tot homines docti & ſapientes, denique totus ferè mundus non dubitavit omnibus aliis, quæ de hac materia à ſummis ingeniis edita ſunt, longè anteponere. Quis non hic meritò quærat, unde tanta venerit, tam abjectis in ſpeciem hominibus, ſapientia? Nunc igitur, cùm dicunt à Deo ſe præclara hæc accepiſſe, nemo de eorum fide dubitabit, qui & hæc, quæ dicunt, Deo digniſſima cernit, & alioquin videt, nullum his hominibus fuiſſe cum doctis & ſapientibus commercium.* Diſſert. VIII. de *Triplici teſte de Verbo Dei teſtante*, Sect. II. Operum p. 175.

VIII. Confirmabuntur magis magiſque argumenta hactenus adlata, ſi SECUNDO ad *vitam & mores* Chriſti Domini noſtri, ejúſque Apoſtolorum, adtendamus. Etenim fieri omninò nequit, ut Viri adeò probi & ſancti, quales eos fuiſſe patebit, (de CHRISTI enim divinitate jam non agitur) impudentiſſimi ac mendaciſſimi homines fuerint, eámque Doctrinam pro divina venditaverint, quæ nonniſi merum ipſorum cerebri figmentum eſſet.

IX. Nam ut de CHRISTO, qui perfectè ſanctus fuit, imò & ſanctitas ipſa, primùm dicamus, ſex iſta, præ cæteris, in ejus vita & moribus conſpicua ſunt: *Primò*, ferventiſſima in Deum pietas: *Secundò* perfectiſſima caritas erga homines: *Tertiò*, animus à vanitatibus hujus vitæ planè alienus, ab avaritia, ab ambitione, à voluptatibus planè abhorrens: *Quartò*, manſuetudo incomparabilis, cùm in omni vitæ genere, tum præcipuè in docendo & arguendo: *Quintò*, modeſtia atque humilitas, cujus nihil ſimile viſum unquam fuerat: *Sextò* denique, in rebus maximè adverſis, imò in duriſſimis cruciatibus, patientia & conſtantia planè invicta. De ſingulis hiſce Virtutibus verbum dicamus.

X.

X. Et primo quidem, in Chriſti vita, ferventiſſima in Deum *Pietas* ſe prodit. Omnia ſiquidem ad Dei gloriam refert. Huc tendunt omnia ejus facta, omnes ejus ſermones. Ubique Deum loquitur; ubique Deum ſpirat; ubique de Dei regno promovendo ſollicitus eſt. Hoc eſt ejus *opus*, imò opus unicum, cui indeſinenter vacat. Unde dicit, *cibum ſuum eſſe, exſequi voluntatem ejus qui ipſum miſit, ejúſque opus perficere.* Joh. IV. 34. Si quos diligit, eos diligit præ cæteris omnibus, qui voluntati Dei exſequendæ operam dabant: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui eſt in Cœlis, is meus frater, & ſoror, & mater eſt*; Matt. XII. 50. Unô verbô, Chriſti ingenium eximiè deſcribit Apoſtolus, dum, adductis Pſalmi XL. verbis, eum ita loquentem inducit, *Ecce adſum, ô Deus, ut faciam voluntatem tuam.* Heb. X. 9. Neque verò hæc Chriſti pietas, Judæorum criminationibus, ſeu de ægris Sabbatho ſanatis, ſeu de aliis quibuſcunque, ullatenus obſcurari potuit: Eas quippe, tum ex naturalibus humanitatis principiis, tum ex ipſis Judæorum uſibus (ut de ejus miraculis & auctoritate jam taceamus) facillimè retundebat. Sed nec ipſum, niſi iniquiſſimè, blaſphemiæ inſimulabant, quòd ſe Dei Filium diceret, aliáque in ſui ipſius commendationem proferret; Præterquam enim quòd ea omnia luculentiſſimis indiciis probabat, quemadmodum infrà oſtendemus, certè illa, quanta quanta erant, non ad aliud, quàm Dei gloriam, Hominúmque ſalutem, referebantur. Et hic quidem Chriſti character, in nullo, quem ſciamus, Philoſophorum aut Legiſlatorum Ethnicorum unquam adparuit. Illi omnes propriam gloriam duntaxat quærebant: Vel, ſi qui eſſent generoſiores, nonniſi commoda Patriæ, aut Humani generis, ſpectabant. At verò Chriſtus longè altiùs mentem adtollit; Animum Deo plenum, Deo mancipatum, de Deo ſollicitum, ubique prodit.

XI. Secundò, ut ſumma in Deum pietas, ita & mira in homines *Caritas*, in Chriſto deprehenditur. Ac ſanè, quid aliud agit, quid aliud cogitat Chriſtus, niſi quòd hominibus inſtituendis, emendandis, ſanandis, ad Deum adducendis, to-

tus incumbit? Διῆλθεν ἰυεργετῶν, *ibat*, peragrabat Judæam, *benefaciens*, prout à Petro deſcribitur. Act. X. 38. Neque ſolùm diſcipulis ſuis, vel amicis, ſe beneficum præſtabat, ſed & ipſis Inimicis, imò & ipſis illis tortoribus, à quibus cruci affixus eſt; moriens quippe Deum orabat, *ut ipſis condonaret.* Luc. XXIII. 34. Quâ bonitate certè nulla major, ne fingendo quidem, concipi poteſt. Et hæc etiam Chriſti indoles, apud nullum Ethnicorum Philoſophum, aut Heroëm, unquam viſa eſt. Nam ſi qui, pro patria, aut humano genere, aliquid egiſſe comperiuntur, patet, eos, gloriæ ſtudio, potiùs quàm verâ caritate, ad id impulſos fuiſſe: Et, ſi qui injurias minùs curarent, id ex ſuperbia præſertim agebant, ut in Stoïcis obſervatum eſt. At verò CHRISTUS, longè puriori & nobiliori adfectu, ad Hominibus benefaciendum & favendum ferebatur: Utque Caritatis præceptum, primariam ſuam Legem, teſſerámque Chriſtianiſmi, ita & Caritatis praxin, primarium ſuum characterem eſſe voluit.

XII. Tertiò, ex hac Caritate, mirabilis protsùs *Manſuetudo* & Benignitas orta eſt: Unde *Agni* adpellatio] in Scriptura ipſi indita. Enimverò, quidquid ageret, ſive Diſcipulos inſtitueret, ſive Adverſarios refelleret, ſive errores argueret, ſive vitia increparet, incomparabilis in eo manſuetudo ſeſe prodidit. Hinc de eo dictum eſt, quòd *non litigavit, non clamitavit, vox ejus in plateis audita non eſt*; quòd *arundinem quaſſatam non frangit, & linum fumigans non exſtinguit.* Matt. XII. 19. 20. Et huic quidem manſuetudini, apud Ethnicorum Philoſophos, nihil ſimile uſpiam adparet; utpote qui rixis, contentionibus, de rebus nihili diſſidiis, perpetuò indulgebant: Et *Socratem*, qui omnium princeps meritò exiſtimatur, iræ ſupra modum addictum fuiſſe, memoriæ proditum eſt.

XIII. Quartò, quod hîc apprimè notandum, ab Adfectibus illis omnibus, quibus Mortales nimio plus ſerviunt, avaritia, ambitione, libidine, vindicta, &c., ſeſe liberum Chriſtus oſtendit. Quid Avaritia in eo potuit, cui ne hoſpitium quidem ſuppetebat; qui vitam, non alio ex fundo, quàm ex aliena libera-

beralitate, ſuſtentabat? An Ambitio ipſum movet, qui ſeſe turbæ ſubducit, ſtatim ac Populus eum Regem ſalutare vult; qui etiam publicum contemptum, in extremis præſertim ac morte, ſine ulla moleſtia ſuſtinet, ἀισχύνης καταφρονήσας, *ignominiâ contemptâ*, inquit Apoſtolus, Heb. XII. 2. Dices, *Chriſtum, hôc ipſô factô, ambitioni litâſſe, &, adfectatâ illâ modeſtiâ, ſibi gradum, ad novæ Sectæ inſtitutionem, Religioniſque principatum, facere voluiſſe.* R. Verùm, quâ conjecturâ divinare potuit, ſe, à Potentibus omnibus contemptum, nullóque præſidio ſuffultum, prævaliturum tandem, magnæque cujuſdam factionis Principem futurum? Sanè id, nec probabile, imò nec poſſibile, videri poterat. Et quod ad Voluptates adtinet, quis ab iis magis alienus, quis magis ſobrius, quis magis temperans, quàm Chriſtus? Dices, ipſi exprobratum eſſe, quòd eſſet *edax & vini potor, publicanorum & peccatorum amicus*; Matt. XI. 19. Verùm non aliud fundamentum huic convitio ſuberat, niſi quòd cum publicanis & peccatoribus quibuſdam converſari non recuſaret, ut ſcilicèt eos tanto faciliùs ad bonam frugem reduceret: Unde ab hac criminatione ſeſe facillimè expedit, dicens; *Qui benè valent, iis Medico opus non eſt, ſed tantùm ægrotis*; Matt. IX. 12. Denique, quod innuit, eum propriis commodis nullatenùs ſerviiſſe, neque opes, neque dignitates, neque famam ac exiſtimationem apud homines quæſiviſſe, hoc eſt, quòd ſcilicèt nullis artibus, nulla adulatione, nullâ aſtutiâ, nullâ vitiorum diſſimulatione, cujuſquam gratiam demereri conaretur. Etenim patet, eum, non minùs potentiores, quàm vilem plebem arguiſſe; Phariſæos & Sadducæos, Scribas & Legiſperitos, quorum ſumma tunc auctoritas erat, intrepidè objurgâſſe; Imò nec ipſi Herodi aut Pilato, quorum in manibus vita ipſius erat, ullatenùs adulatum eſſe: Quô quidem factô, non omniam modò commodorum, opum, honorum, famæ, dignitatis, ſibi viam præcludebat, ſed & in ſummum, quemadmodum ex eventu patuit, ſeſe diſcrimen adducebat. Non ſic certè Ethnici Philoſophi, vilia ſuperbiæ, ambitionis, avaritiæ, mancipia, Principum adulatores, ſcortorum, imò & puerorum amori-

amoribus plerique infames, & quorum ſuperbia inter panni adtriti fiſſuras nimio plus ſe prodebat, prout ipſis exprobratum eſt. O quantùm hos omnes vincit, quantùm his omnibus præpollet CHRISTUS, ſapientiæ, ſobrietatis, moderationis, exemplar abſolutiſſimum; quique, terrenis omnibus contemptis, ad ſpiritualia & cœleſtia indeſinenter mentem adtollebat!

XIV. Quintò, quod his adfine eſt, ſingularem planè modeſtiam (*humilitatem* nos Chriſtiani dicimus) in omnibus factis dictiſque præ ſe tulit. Nihil altum adſectabat, nihil altum ſapiebat; ſed propriæ magnitudinis ac divinitatis veluti oblitus, *ſe ipſum deprimebat*, ac veluti *exinanibat*, *formâ ſervi adſumptâ*, prout eximiè deſcribit Apoſtolus, Philip. II. 6. 7. 8. Et hujus quidem virtutis reſpectu, Chriſtus ſeſe præcipuè magiſtrum atque exemplar nobis proponit; *Diſcite à me*, inquit, *quòd ſum humilis & manſuetus corde*; Matt. XI. 29. Certè nuſquam tanta magnitudo, nuſquam etiam tanta modeſtia, nuſquam tam humilis atque demiſſus, ad infima uſque ſervitia, animus, quàm in Chriſto adparuit. Unde & ſe, *non ut ſibi ſerviretur*, *ſed ut aliis ſerviret*, in mundum *veniſſe* adſerit. Matt. XX. 28.

XV. Denique, invictam Chriſti *patientiam*, conſtantiam, fortitudinem, in rebus maximè adverſis, duriſſimiſque cruciatibus, nulla mens concipere, nulla lingua ſatis pro merito celebrare poteſt. Neque verò conſtantia illa omnem doloris ſenſum exſtinxit; qua de re falsò atque ſuperbè Stoïci gloriabantur. Senſit dolorem Chriſtus Dominus; nec modò ſenſit præſentem, ſed & à futuro atque adventante abhorruit: Unde illæ voces, *Pater*, *ſi fieri poſſit*, *ut hic calix à me recedat.* Sed illum naturæ ſenſum pietas illicò temperavit; *Verumtamen*, *non mea*, *ſed tua voluntas fiat*; Matt. XXVI. 39. Neque etiam vanas querimonias, lugubres lamentationes edidit; ſed, ſi quas inter patiendum emiſit voces, illæ pietatem, caritatem, manſuetudinem, animum Deo devotum, Deo confidentem, omnes prodebant. Sed neque Judicibus atque tortoribus, quanquam peſſimè ab iis habitus, iratus conſpicitur; contrà ſceleris atrocitatem, quantùm poteſt, imminuit, ipſiſque veniam à Deo precatur. Denique,

non

non fluctuans, non de futuro anxius, quemadmodum *Socrates*, aliique sapientes Ethnici, in vicinia mortis adparet; sed fiduciæ plenus, déque futura gloria certissimus, sublatis in Cœlum oculis, *Pater*, inquit, *spiritum meum in tuas manus depono.* Luc. XXIII. 46.

XVI. Et hæc quidem est brevis idea præcipuarum virtutum Domini nostri Jesu Christi: Quæ, quantum decus Religioni Christianæ adferant, & quantùm ad ejus veritatem & divinitatem demonstrandam faciant, facile est intelligere. Quis enim novæ Sectæ conditor, quis novæ Religionis princeps & caput, pari sanctitate unquam eminuit? Et quis, tot tantásque virtutes, eximiæ Doctrinæ adjunctas, cum infami Impostoris munere copulari posse existimet? Citiùs profectò lux cum tenebris, atrum cum albo concilietur. Citiùs *serpentes avibus geminentur, tigribus agni.*

XVII. Unum est, quod, cum aliqua veri specie, Christi virtutibus opponi posse videatur; quòd scilicèt, *de his omnibus, non ab aliis, quàm ab ipsis Christi Discipulis, edoceamur, quorum fides hoc in negotio suspecta est.* R. Verùm non pauca sunt, neque infirma, quibus hæc objectio refellatur. Primùm enim, ponamus, illas Christi virtutes ab Apostolis fictas fuisse: Sed, unde piscatores, unde publicani, unde tentoriorum artifices, tam puram, tam eximiam, tam numeris omnibus absolutam, virtutum omnium ideam sumpserunt? Deinde, quicunque animô vacuô atque adtentô Historiam Evangelicam legit, ibi reperit narrationes nudas, simplices, ornatûs omnis expertes, quæ Scriptorum ingenuitatem ac veracitatem, nulla non ex parte, produnt. Certè, si sermonem panegyricum, si ideam fictitiam composuissent Apostoli, multa Heroïs sui gloriæ, specie tenus saltem, contraria, magno studio vitâssent: Neque ipsum flentem induxissent, neque de fame aut siti querentem, neque cum viris & mulieribus profligatæ vitæ conversantem, neque Sabbathi præceptum vel minima in re infringentem, neque in agone constitutum cum mortis metu quasi colluctantem, neque de Deo se derelinquente lamentantem, aliáque non pau-

ca idgenus: Quæ quidem, ſano ſenſu accepta, nihil habent quod Chriſti innocentiæ, imò & veræ magnitudini, nocere poſſit; ſed tamen talia primo adſpectu adparent, ut ea, in Chriſti commendationem, datâ operâ excogitari ac fingi non debuerint. Denique, ſi hæc Chriſti hiſtoria Apoſtolorum figmentum ſit, cur Apoſtoli proprios nævos, propriam tarditatem, propria diſſidia de primis ſedibus, Petri abnegationem, deſertionem omnium, cur, inquam, ſuos illos nævos in apertam lucem proferunt, imò illos ex cerebro, ſi Deo placet, fingunt? Sanè id in mentem cadere nequit. Quæ omnia ſatis oſtendunt, ritè expenſâ atque ponderatâ Chriſti Domini noſtri hiſtoriâ, ejus veritatem ac ſinceritatem in dubium vocari non poſſe.

XVIII. Ut ad APOSTOLOS jam tranſeamus, fatemur quidem, multùm abeſſe, quominùs ad perfectam Chriſti innocentiam & ſanctitatem acceſſerint. Etenim ipſi, ut jam notavimus, proprios nævos nobis exhibent, tum in Hiſtoria Evangelica, tum in Actibus Apoſtolorum, tum in ſuis etiam Epiſtolis. Imò illi, tantum intervallum, Chriſtum inter & ſeipſos, ponunt, ut Chriſtum quidem *Sanctum & Juſtum* κατ' ἐξοχήν vocent, qui *ne cognoverit quidem peccatum*, qui nullius unquam peccati convinci potuerit; ſe verò miſeros peccatores, gratiæ Chriſti indigos, & innumeris vitiis ac infirmitatibus obnoxios depingant, quemadmodum in eorum Scriptis obſervare licet. Quæ quidem ipſorum confeſſio, ſtudiúmque in gloria omni ad DEUM & CHRISTUM referenda, non leve profectò ſinceritatis ac probitatis ipſorum indicium eſt.

XIX. At verò, quanquam à perfectione, ſeipſis fatentibus, multùm abfuerint, tamen, quin inſigni pietate, inſigni in promovenda Dei gloria zelo, inſigni in Chriſtianos omnéſque homines caritate, diligentia indefeſſa, conſtantia invicta, humilitate, moderatione, animo ab avaritia, ambitione, cæteríſque adfectibus libero, verè eminuerint, is demùm dubitare poteſt, qui eorum hiſtoriam Libróſque nunquam evolverit. De ſingulis dicere, longum nimis foret: Sat erit, de Divo PAULO, ſpeciminis ergò, aliquid proferre.

XX.

XX. Enimverò, dubitabit quis, an Paulus ſit pius, cujus ſermones omnes, cujus vita omnis pietatem ſpirat; qui nihil aliud in animo habet, niſi ut pietatem omnibus inſtillet; qui nunquam non Deum laudat, nunquam non Deum orat, nunquam non Deo gratias agit; qui ne renuit quidem pro ſtulto haberi, ſi id gloria Dei poſtulet; id enim ſibi vult, dum dicit 2. Cor. V. 13. *Si inſanimus, inſanimus Deo.* Dubitabit quis de Pauli zelo, de indefeſſa ejus diligentia, de ejus conſtantia in laboribus pro Chriſto ſuſcipiendis, qui totam ejus hiſtoriam luſtraverit, qui viderit quomodo, non tantùm *inde ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum*, ſed & uſque *ad extrema Occidentis*, (teſte *Clemente* Romano, 1. Epiſt. ad Corinthios, cap. 5.) Evangelio diſſeminando incubuit, inter tot obſtacula, tot pericula, tot hoſtes? Dubitabit quis de caritate, de adfectu Pauli in Chriſtianos, imò & in omnes homines, qui tot tantáque pro ipſorum ſalute exſequitur; qui Fideles ſuos *liberos* vocat, ſuum *gaudium*, ſuam *coronam*; quique *anathema fieri optat* pro fratribus ſuis Judæis, qui tamen acerbiſſimè ac iniquiſſimè ipſum vexabant? Suſpicabitur quis, Paulum nonniſi propria commoda, in prædicando Evangelio, quæſiviſſe, qui recordabitur, eum nulla ſtipendia ab Eccleſiis, ob inopiam illorum temporum, accipere voluiſſe, & maluiſſe tabernaculis conficiendis incumbere, eáque ratione victum ſibi parare, quàm ſi vel minimum impedimentum Evangelii progreſſibus adferret? Suſpicabitur quis, Paulum famam ac exiſtimationem hominum unicè anhelâſſe, qui in mentem revocaverit, eum ſe fidum Chriſti miniſtrum probâſſe, *per gloriam & ignominiam*, per convitia & laudes; *ut ſeductorem, & tamen veracem*; *ut ignotum, & tamen cognitum?* 2. Cor. VI. 8. 9. Ambiget quis, an Paulus ſit patiens, & conſtans in adverſis, qui adtenderit, quomodo ſe gerat, *in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis*, &c. Ibid. ℣. 4. 5. Dubitabit quis, an Paulus ſua ſorte contentus ſit, dum ipſum audit dicentem, *Ego didici contentus eſſe, in quocunque ſtatu ſim conſtitutus*, &c. Phil. IV. 11. 12. Unde alibi ſeipſum deſcribit,

ut dolentem, ſed tamen gaudentem; ut pauperem, ſed multos ditantem; ut nihil habentem, ſed omnia poſſidentem; 2. Cor. VI. 10. Et alibi rursùs; *In omnibus premimur, ſed non coarctamur; perſecutionem patimur, ſed non deſerimur; dejicimur, ſed non perimus.* Quem quidem tranquillum ac felicem animi ſtatum, non verbis tantùm deſcribit, ſed & ipſô factô, toto vitæ tempore demonſtrat. Quibus factum, ut, morti proximus, ne minimùm quidem turbaretur, contrà, ovans atque exſultans, in hæc, plena fiduciæ, plena ſpei, verba erumperet; *Ego jam libor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Certamen pulchrum certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod ſupereſt, repoſita mihi eſt corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, juſtus Judex, in illa die*; 2. Tim. IV. 6. 7. 8. Talis fuit PAULUS; Tales & cæteri Apoſtoli, quorum non alia mens, ad Sacra quod adtinet, nec diſpar agendi ratio, fuiſſe deprehenditur.

XXI. Jam, ut ex his argumentemur, quis concipiat, tantas virtutes, tantam pietatem, tantum zelum, tantum Dei Proximique amorem, tantum privati commodi neglectum, tantum Hominum emendationis & ſalutis deſiderium, cum impudentiſſima fraude, cum ſceleſtiſſima impoſtura, conjunctas fuiſſe? Quis concipiat, homines, ut ex tota vita liquet, tam pios, neſcio quot putida mendacia de Magiſtro ſuo finxiſſe, ſéque à Deo miſſos dixiſſe, cùm id falſum eſſe haud ignorarent? Quis concipiat, vitos caritate & probitate adeò inſignes, Genus humanum, in re omnium maxima & momentoſiſſima, fallere voluiſſe; ſuóſque adſeclas, quibus tantum demonſtrant adfectum, crudeliſſimis perſecutionibus, neque unquam compenſandis, objicere? Sanè id vix ac ne vix quidem concipi poteſt. Proindéque inſignis illa, tum CHRISTI innocentia, tum APOSTOLORUM probitas, novum nobis, & invictum quidem, ad veritatem Chriſtianæ Religionis demonſtrandam, ſuppeditat argumentum.

XXII. Neque verò, ad hoc argumentum, quidquam cum ratione opponi poteſt. Nam ſi dicas, v. g. *cùm Chriſtum, tum Apoſtolos, nonniſi fictam ac ſimulatam pietatem præ ſe tuliſſe, re ipſâ*

ipſâ verò nihil niſi Impoſtores fuiſſe, ſanè id ab omni rationis ſpecie planè abhorret. Nam, qui fictis virtutibus ludunt, fieri non poteſt quin aliqua ſaltem ex parte agnoſcantur; ſibi ſemper conſtare nequeunt; aliquid eſt, quod ipſos prodat. At verò, in vita Chriſti, & vita Apoſtolorum, nemo ullam hypocriſis, nemo ullam fraudis notam obſervet. Hoſtes nacti ſunt, potentes, callidos, iis perdendis vividè intentos: Atqui nemo illorum fuit, qui ipſos ullius ſceleris convinceret. Denique, quod omnem eximit ſcrupulum, ſi fuerunt Impoſtores, quid inde lucrati ſunt? Quid, niſi ærumnas, cruces, ſupplicia? quemadmodum jamjam videbimus.

XXIII. Si opponas, *eos bonô animô revelationem divinam finxiſſe, ut ſcilicèt ipſorum Præcepta, æqua per ſe atque utilia, tantò faciliùs fidem impetrarent, majoríque ab ignara plebe reverentia exciperentur*, id non magis probabile eſt. Etenim quænam hæc eſt pietas, quinam hic eſt bonus animus, in re omnium maximè ſeria hiſtrioniam agere, ſe à Deo miſſos ſimulare, Dogmata à ſe excogitata pro divinis obtrudere, fictis minis atque promiſſis hominibus illudere, Religionem Moſaïcam, quam à Deo traditam cenſebant, (ſi modò ſincerè Judæi fuerint, quemadmodum profitebantur) pro lubitu immutare atque antiquare, poſtremò eos quos decipiunt, miſerrimos in hac vita efficere, nec niſi vanâ fictitiæ mercedis exſpectatione lactare? Qui hæc omnia, bonô animô, & pietatis cauſſâ, fieri exiſtimet, ab iis præſertim qui nihil magis commendant atque inculcant quàm veritatem, qui nihil magis damnant atque averſantur quàm mendacium, quíque nihil crebriùs neque ſolemniùs quàm ſuam in prædicando Evangelio ſinceritatem profitentur, velut 2. Cor. IV. 2., 1. Theſſ. II. 3. 4. 5. 6., aliiſque locis, is profectò, quid mendacium à veritate, quid à probitate ſcelus, quid Dei reverentia à Dei contemptu diſtet, ne minimùm quidem videtur adtendere.

XXIV. Dices, *probos quidem fuiſſe, ſed cerebri non omninò ſani, fanaticos atque lymphaticos; quo factum, ut ſe à Deo adflatos reverâ exiſtimaverint, adeóque, non deceptores, ſed decepti*

hac in re fuerint. R. Verùm, ut alia jam omittamus, quæ, in ſequentibus Diſputationibus, proferri hanc in rem poterunt, utique vel ſola Doctrinæ Chriſtianæ expoſitio, vel ſola lectio Scriptorum Apoſtolicorum, ſuſpicionem illam longè amovet. Quis enim dicat, tam exquiſitæ Doctrinæ auctores, quorum in Libris nil niſi ſumma elucet ſapientia, atra bile percitos eſſe? Quis dicat, eos, qui ſapientiſſimas de Deo notiones, rectiſſimum illius Cultum, ſanctiſſimáſque vivendi regulas, in Orbem produxerunt, nil niſi inſipientes, nil niſi emotæ mentis homines fuiſſe? eos, qui Religionum omnium per Orbem obtinentium impietatem ac ſtultitiam tantâ ſapientiâ evicerunt, qui Myſtas omnes atque Philoſophos tanto intervallo ſuperârunt, qui ne minimum quidem, in tota vita, veſaniæ indicium dederunt, nil niſi fanaticos, nil niſi lymphaticos habendos eſſe? Certè nemo, niſi inſanus ipſe, in eam ſententiam unquam deſcendet. Adhæc, non agitur de uno aut altero, ſed de plurimis, imò innumeris, qui, cùm ſe decipi à ſtultis tam facilè permiſerint, ſtulti quoque cenſendi eſſent. Denique, quod non minùs incredibile eſt, dicendum eſſet, fanaticos quoſdam, & emoti cerebri homines, Doctrinam omnium ſapientiſſimam, per totum terrarum Orbem, mirâ ſapientiâ & ſucceſſu diſſeminâſſe. Quæ omnia, quàm ab omni rationis & veritatis ſpecie abhorreant, nemo eſt qui non videat.

XXV. Atque ſic patet, argumentum, ex perfecta CHRISTI innocentia, & probitate Apoſtolorum, deductum, nullis Incredulorum telis, nullis ſuſpicionibus, infirmari poſſe. Oſtendatur jam nobis Secta, Diſciplina, Religio, quæ de paribus auctoribus ac promotoribus gloriari poſſit. Proferantur Myſtæ, Philoſophi, Legumlatores, novorum Sacrorum inventores atque fundatores, qui, paribus virtutibus, aut ad has accedentibus, eminuerint. Nemo certè, nemo adducetur. De *Philoſophis*, audiatur CICERO, hoc in negotio minimè ſuſpectus, ſiquidem & Philoſophiæ & Philoſophorum ſtudioſiſſimus cultor fuit. *Quotuſquiſque*, inquit, *Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam, non*

non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tanta levitate, & jactatione, iis ut fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſervos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Tuſc. Quæſt. Lib. II. Unde & Philoſophis illis Ethnicis, quòd *adverſus ſua vitia facundi eſſent*, eleganter exprobrat *Minutius Felix.* Inter eos verò, qui nova in Orbem Sacra intulerunt, ſi Muhammedem, ſpeciminis locô, inſpiciamus, quis neſcit quàm vaſer fuerit, quàm ſubdolus, quàm mulieroſus, quàm alieni cupidus, & aliena armis invadens, neque alio fine novæ Sectæ auctor, niſi ut novi Imperii ſibi arrogandi occaſionem nanciſceretur? Sed quàm alienus ab his moribus Christus, quámque alieni ejus Apoſtoli! Utique, Cœlum à Terra, dies à nocte, non magis diſtat. Proindéque novum, ex hac collatione, argumento noſtro robur accedit.

XXVI. Supereſt Tertium atque ultimum hujuſce Sectionis membrum, nempe graviſſimi illi *Cruciatus*, quibus Chriſtus & Apoſtoli, Doctrinæ ſuæ veritatem, quaſi adpoſitô ſigillô, confirmárunt. Quæ res cùm ſit per ſeſe evidens, facilliméque demonſtretur, ei multùm immorari opus non erit. Christus certè, ſi quiſquam mortalium, verè *vir dolorum* fuit. Nihil durius, nihil laborioſius, ipſius vita. Cum paupertate, cum inedia, cum Potentium contemptu atque odiis, cum Adverſariorum calumniis atque inſidiis, diu multúmque colluctatus, in eorum tandem manus devenit; à quibus, flagris cæſus, nullóque non ludibrio habitus, probroſiſſimo atque ſæviſſimo Crucis ſupplicio adfectus eſt. Qua quidem morte, ut peccata noſtra expiavit, inſignéque patientiæ & virtutum omnium exemplar dedit, ita & ampliſſimam ac illuſtriſſimam Doctrinæ ſuæ confirmationem adjecit. Unde dicitur *egregiam illam confeſſionem coram Pilato edidiſſe*; 1. Tim. VI. 13. Propterеáque Μάρτυς πιστὸς, *Teſtis* vel *Martyr fidus*, ab Apoſtolo adpellatur. Apoc. I. 5.

XXVII. Sed & Apostoli, Domini ſui prementes veſtigia,

gia, haud imparem ſortem experti ſunt; Pulſi ex Synagogis, virgis cæſi, in carceres truſi, exſiliis mulctati, tandémque, poſt plurium annorum labores, ærumnáſque omnis generis, duriſſimis ſuppliciis vitam amittentes. Audiatur vel unus PAULUS, proprios labores ac tormenta graphicè deſcribens. Poſtquàm dixiſſet, ſe *in laboribus*, *in vulneribus*, *in carceribus*, *in mortibus*, ſæpe multúmque verſatum eſſe, addit: *A Judæis quinquies accepi quadragenas, una minus, plagas: Ter virgis cæſus fui, ſemel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi: In itineribus ſæpe fui, in periculis fluminum, in periculis latronum, in periculis à meis popularibus, in periculis à Gentibus; periculis in civitatibus, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis inter falſos fratres: in fatigatione & ærumna, in vigiliis ſæpe, in fame & ſiti, in jejuniis ſæpe, in frigore & nuditate*; &c. 2. Cor. XI. 23. —— 27.

XXVIII. Quantùm faciant Paſſiones illæ, ad CHRISTI & Apoſtolorum ſinceritatem demonſtrandam, adeóque ad ampliſſimam Doctrinæ ipſorum confirmationem, ita clarum apertúmque eſt, ut probari vix indigeat. Ecquis enim, niſi planè amens, & furiis agitatus, Impoſtoris perſonam & inſignia, non modò nullo propoſito commodo, ſed & infinitis laboribus, duriſſimiſque cruciatibus, mercari velit? Enimverò, *exſtiterunt quidem, nullô non ævô, Impoſtores*; ſed aliqua omnes excitati ſpe, aliqua omnes mercede conducti: At verò, qui gratis, nullâ ſpe, nullô illicio, contrà amiſſis fortunis omnibus, famâ, quiete, ſecuritate, certiſſimâque cruciatuum ac ſuppliciorum omnis generis impendente neceſſitate, ad fallendum ſe accinxerit, neque modò ad breve tempus, ſed & per longam annorum ſeriem, in eo conſilio perſeveraverit, neminem unquam videre licuit; neque ullus, niſi planè inſanus, ac furioſus, unquam cernetur: A qua inſaniæ ſuſpicione, ſuprà jam Theſi XXIV., Chriſtianæ rei fundatores plus ſatis abſolvimus.

XXIX. *Fuerunt ſui*, neque id negamus, *Religionibus falſis Martyres*: At illi, ſui ritûs errores & mendacia, pro veris habebant. Homines verò non prorsùs inſanos, pro iis quæ falſa eſſe

esse nôrunt, durissima quæque perpeti, inauditum esse defendimus. Dices fortè, *Christum & Apostolos, cùm de Evangelio disseminando consilium caperent, tanta infortunia non providisse; quæ si providissent, ab hoc consilio abstinuissent.* R. Verùm, & ea providere facillimum fuit, & ea Christus, dum in terris esset, non semel prænuntiavit, imò & ea Christus & Apostoli plusquàm centies experti sunt, neque tamen à proposito ullatenùs abducti fuêre. Adtendatur, qua mente, quibus oculis, impendentia pericula conspiciat Paulus: *Et nunc ecce*, inquit, *ego vinctus Spiritu, Hierosolymam contendo, ea ignorans quæ illic mihi contingent; nisi quòd Spiritus sanctus oppidatim testatur, vincula & afflictiones me manere. Verùm*, addit, *nullius rei rationem habeo, neque vita mea mihi ipsi cara est, dummodò peragam cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à Domino Jesu, ad testimonium Evangelio gratiæ Dei perhibendum.* Act. XX. 22. 23. 24. Certè, si supplicia timuissent Apostoli, eáque ipsis contra propriam mentem & exspectationem contigissent, cur, post Christi supplicium, à proposito planè non desistunt? Cur non, saltem, post prima sua vincula, & gravissimas Synedrii Judaïci minas? Cur non, saltem, post nonnullorum annorum experimentum? Cur é contrario, quò plus premuntur, eò majores animos sumunt; suúmque opus, medios inter gladios & flammas, incredibili alacritate & constantia, persequuntur? Sanè id, vim veritatis, Dei digitum, apertè innuit.

CONCLUSIO

ex iis quæ dicta sunt in hac Sectione.

XXX. Ex dictis, tum de *Sorte externa*, tum de *Vita & moribus*, tum de *ærumnis & cruciatibus*, Christi Domini nostri, ejúsque Apostolorum, colligere licet, eos qui negant veritatem Christianæ Religionis, in eas adigi angustias, ut sequentia admittere necesse habeant. Primum: *Paucos quosdam, ex*

vilissima & contemptissima Judæorum gente, piscatores atque opifices, plus sapientiæ in se habuisse, & præstantiores de Deo, & vitæ Officiis, notiones, in Orbem intulisse, quàm quidquid Virorum sapientissimorum, & Philosophorum celeberrimorum, unquam fuerat. SECUNDUM: *Eos homines, quorum Doctrina omnis ad pietatem, virtutem, sinceritatem, commendandam ac promovendam unicè tendit, quique, in omni etiam vita, piè, justè, sobriè, sincerè, se gessisse comperiuntur, mendacissimos tamen ac impudentissimos Impostores fuisse.* TERTIUM: *Eos homines, qui nulla dementiæ indicia unquam ediderunt, quique contrà sapientissimæ Doctrinæ præcones fuerunt, & sapientissimè de sua hac Doctrina disseruerunt atque scripserunt, tamen sui ipsorum ita veluti oblitos esse, eóque furoris deveniisse, ut, nullô proposità præmiô, neque in hac vita, neque in futura, sese miserrimos per multos annos efficerent, certissimisque suppliciis exponerent, non alia de causa, quàm ut id, quod falsum esse noverant, pro vero tuerentur, ac per totum terrarum Orbem dispergerent.* Vel, si malint Increduli, Christianæ Religionis fundatores insaniæ postulare, ad hoc vicissim, nihilo probabilius, admittendum adiguntur; NEMPE, *Homines quosdam emotæ mentis, sapientiùs de Deo, & colendi Dei ratione, & vitæ Officiis, sensisse, & sapientiorem Religionis formam per totum Orbem instituisse, quàm quidquid apud cæteras omnes Gentes, atque à Viris sapientissimis, cogitatum aut prolatum unquam fuerat.* Has propositiones, hæc consectaria, qui concoquit, næ illi stomachus est plusquàm ferreus.

XXXI. Cæterùm, hæc omnia, quæ hactenus disseruimus, ut per sese magnam vim habent, ad Christianæ Religionis veritatem demonstrandam, ita & ex iis quæ adjungentur, in sequentibus Sectionibus, de *Miraculis*, de *Prophetiis*, de Evangelii *propagatione* & *efficacia*, non parùm roboris acceptura sunt.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO VII.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Habita eſt diſputatio, reſpondente LUDOVICO TRONCHINO *Genevenſi.*

SECTIO QUINTA,

Quâ Chriſtianæ Religionis *veritas & divinitas ex* MIRACULIS *demonſtratur.*

THESIS PRIMA.

PRæter ipſam Chriſtianæ Doctrinæ præſtantiam, quæ, ſuo ſe merito, ſua ſe dignitate, abundè commendat; ſummíque noſtri Magiſtri, ejúſque Apoſtolorum, characterem, ab omni non modò fraude, ſed & fraudis ſuſpicione, alieniſſimum; quibus argumentis hactenus uſi ſumus; DEO viſum eſt, ut olim Judaï-

cam, ita & Christianam Religionem, Factis quibusdam insignibus, MIRACULIS nempe & PROPHETIIS, tanquam sigillis, confirmare, & extra omnem dubitationis aleam collocare.

II. Et in eo quidem, Dei sapientiam & bonitatem agnoscere juvat; qui, modis aptissimis, & naturæ rerum convenientissimis, traditæ à se Revelationi fidem fecit. Cùm enim sit Naturæ opifex & dominus, non alia convenientior documentorum suorum confirmandorum ratio occurrebat, quàm si, Legatos à se missos, omnium verò maximè FILIUM UNIGENITUM, *paternæ gloriæ splendorem, vivámque ac immanentem sui imaginem*, inusitatis quibusdam Operibus, à Naturæ cursu alienis, apud homines commendaret; eáque, per ipsos, aut de ipsis, prænunciaret, quæ humanâ sagacitate prænosci haud potuissent. Sic divina ipsis constabat auctoritas, eorúmque documenta luculentissimè confirmabantur; siquidem non alium, quàm Naturæ dominum, ejusdem leges invertere posse, abditósque futuri recessus tanquam præsentes intueri, sensus ipse communis docet.

III. Verùm enimverò, cùm, crebra esse & quotidiana, admiranda illa Opera, Dei sapientia non patiatur, utpote quæ, si crebrò fierent, Miracula esse desinerent; post confirmatam atque institutam eorum ope Religionem, ea ulteriùs continuari opus non erat; Sat fuit deinceps, si eorum memoria, ab idoneis transmissa testibus, fidis literarum monumentis commendaretur. Etenim, si quid certum sit, si quid indubitatum in rebus humanis, sunt procul dubio hujus generis FACTA; non ea modò, quæ propriis oculis conspeximus, sed & quæ à testibus fide dignis accepimus; neque nostri tantùm aut recentis ævi, sed & aliquando, longa annorum, imò & Sæculorum intercapedine, à nobis remota. Quis dubitet, exempli caussâ, utrùm exstiterint *Socrates*, *Aristoteles*, *Plato*, &c. qui hæc vel illa placita tradiderint, qui hæc vel illa fata experti sint? Quis dubitet, utrùm, antè actis ætatibus, hi vel illi Principes regnaverint, hæc vel illa bella gesserint, hæc vel illa fœdera inter se sanciverint? Illa quidem mathematicè demonstrari nequeunt; sed non

non ideò minùs certa, minúſque indubitata, inter homines habentur: Imò & hac Factorum fide, non Hiſtoria modò omnis, ac penè omnes Diſciplinæ, ſed & tota hominum vita, jura, fœdera, ſocietates, tanquam certiſſimis, atque à nemine in dubium vocatis, fundamentis ſuperſtruuntur. Quamobrem, ſi pari Factorum genere Chriſtiana Fides nitatur, (talem autem, Miraculorum, veterúmque Vaticiniorum, memoriam eſſe, oſtendemus) optimis utique ac ſolidiſſimis niti fulcris exiſtimanda eſt.

IV. Quemadmodum verò nihil certius, nihil magis indubitatum quàm Facta, ita & nihil planius, nihil apertius, nihil omnium captui adcommodatius, eo rerum genere, occurrit. Non hìc Philoſophica ratiocinia, non Mathematicæ demonſtrationes; quæ, quanquam certiſſima per ſe ſe, tamen ejus ſunt naturæ, ut nonniſi in paucos cadant. Plana hìc omnia & facilia: Oculis potiùs, & teſtium auditu, quàm ratiociniis, conſtant: Proindéque hominum quorumvis, etiam rudiſſimorum, & doctrinæ omnis expertium, ingenio adtemperata ſunt.

V. Quid, quòd argumenta hactenus adlata, ex ſapientia Placitorum, ſanctitate Præceptorum, & magnitudine Præmiorum, deducta, apud Viros pios, ſobrios, & veritatis amantes, multùm quidem ponderis habent, ſed ad contumacis ingenii homines revincendos minùs ſunt idonea. Nam ſapientia illa omnis, ab eorum ingenio moribúſque abhorret, eorum palato non ſapit, ea minimè adficiuntur. At verò argumenta hæc, ex Factis conſpicuis deſumpta, erga quoſlibet, probos, improbos, velint, nolint, vim ſuam exſerunt. Cætera exceptionibus cavilliſque ſunt obnoxia: At, cùm aliquis, ut Doctrinæ ſuæ veritatem demonſtret, morbos graviſſimos ſola voce curat, imò & mortuos vitæ reſtituit, modò Facta illa certa eſſe conſtet, non poſſunt non homines quoſvis, etiam contumaciſſimos ac perditiſſimos, adficere; eóſque, ſi non ad adſenſum, (quippe hujus furfuris homines, ne palpabilibus quidem argumentis convinci volunt) certè ad ſilentium pudorémque adigere.

VI. Factum igitur optimè, & pro cætera Dei ſapientia, quòd, ut veteres Revelationes, ita & noviſſima & perfectiſſima, à

CHRISTO & Apoſtolis prolata, MIRACULIS confirmata ſit. Cujus argumenti ut robur pateat, nos ſex iſta breviter præſtabimus. PRIMO, nonnulla præmittemus, de *Miraculis* in genere. SECUNDO, quænam fuerint Chriſti & Apoſtolorum Miracula, & quomodo ad ea provocaverint, videbimus. TERTIO, ſi verè contigerint Miracula illa, de veritate Chriſtianæ Religionis dubitari non poſſe, oſtendemus. QUARTO, ut conſtet, Miracula illa verè contigiſſe, producemus Teſtes, quorum indubia ſunt Scripta; quique decipi, circa Facta illa, non poterant. QUINTO, in iis Teſtibus, nulla quidem fraudis atque impoſturæ, maxima verò probitatis ac ſinceritatis indicia reperiri, evincemus. DENIQUE, luſtratis cæteris Hypotheſibus, quæ ab Incredulis proferri poſſunt, earúmque falſitate & abſurditate demonſtratâ, novum huic argumento robur addemus. De ſingulis hiſce, non quantùm dici poſſet, ſed quantùm neceſſe erit, ac pro inſtituta brevitate, verba faciemus.

§. I. *Quid ſint* MIRACULA; *quâ ratione innoteſcant; an, & quomodo Doctrinæ alicujus veritas, Doctoriſve auctoritas, ex iis colligi queat?*

VII. MIRACULA, ut paucis dicamus, ſunt *Opera, non vires modò humanas, ſed & conſuetum Naturæ ordinem, adeóque vires Agentium Naturalium ſuperantia.*

VIII. Quamvis autem, qualis ſit univerſus Naturæ ordo, & quouſque ſe extendant Agentium Naturalium vires, ſemper ac præcisè determinare non poſſimus; imò verò pauciſſima hanc in rem ſciamus, plurima ignoremus; ſunt tamen quædam, quæ, ex ipſo rationis lumine, & communi hominum judicio, & perpetua experientia, (quibus & Sacrarum Literarum teſtimonia ſuffragantur) viribus naturalibus ſuperiora eſſe conſtat. Sic, quamvis definiri nequeat, quouſque, in ſanandis morbis, ſe extendat hominum induſtria, hoc tamen ſcimus, ac citra temeritatem adfirmare poſſumus, morbos quoſcunque, ſolo verbo, ſolo nutu, & quidem extempore, naturaliter ſanari non

non poſſe; multò verò minùs, certiſſimè defunctos, imò jam inde à pluribus diebus defunctos, in vitam revocari. Pariter, quamvis, Mechanicæ artis auxilio, ingentia pondera, medio in aëre, aut ſuper aquis, ſuſpendi poſſint, hoc tamen novimus, & certò quidem novimus, ut hominum aliquis, abſque ulla machina, abſque ullo interjecto corpore, ſuper aquis ambulet, aut in aërem adtollatur, nubibúſque circumvectus in Cœlum recipiatur, id, non vires modò humanas, ſed & vires omnes Agentium naturalium, ſuperare. Sic, cordium inſpectionem, futurorum contingentium notitiam; effœti ſenis, atque uteri ſterilis, ad generandum excitationem; quod quidem, cum creatione ex nihilo, & mortuorum vivificatione, confert Apoſtolus, Rom. IV. 17.; Hæc, aliáque, Dei ipſius, divinæque potentiæ propria eſſe, & Sacræ Literæ teſtantur, & ſenſus etiam communis docet.

IX. Cùm autem, vel unum ejuſmodi Factum, conſuetis Naturæ legibus ſuperius eſſe, adfirmare liceat, tum id in primis luculenter patet, ſi, non unum, ſed longè plurima, ejuſmodi Facta occurrant; ſi non levia illa ſint, & humanis factis adfinia, ſed maxima, difficillima, ſupra homines longiſſimè poſita; ſi non unius ſint generis, ſed multiplicia ac diverſiſſima; ſi, non clàm, & remotis arbitris, ſed publicè, & in maxima hominum frequentia, edita; ſi, non uno loco, nec uno tempore, ſed multis in locis, ac per multos annos, patrata comperiantur. Quas quidem omnes circumſtantias, in Chriſti & Apoſtolorum Miraculis occurrere, adeóque nullum hic dubio, nullum hæſitationi locum ſupereſſe, jamjam à nobis oſtendetur.

X. Et profectò, ſi candidè egiſſet Atheus ille noviſſimi temporis, *Benedictus de Spinoſa*, in Miraculis Scripturæ ſacræ naturaliter explicandis tempus non triviſſet. Apertè dixiſſet, ſe Facta ipſa negare. Quod cùm defendere non poſſet, neque verò etiam auderet, in eas ſe conjecit anguſtias, & ita contortas atque ineptas expoſitiones adhibuit, ut pateat, eum, non contra rationem modò, ſed & contra animi ſententiam, locutum eſſe.

XI. Neque verò exiſtimandum eſt (quod contendit Scriptor ille

ille impius, cæteríque Increduli) ea, quæ nos vocamus *Miracula*, *impoſſibilia eſſe*: Quod ſi eſſet, ſatis cauſſæ eſſet profectò, cur negarentur ac rejicerentur. Sed, ut dicerentur impoſſibilia, oporteret, vel aliquam in iis oſtendi contradictionem, vel deeſſe in Orbe potentiam, quæ ea exſequeretur. Atqui neutrum dici poteſt: Nam neque ulla in Factis ipſis adparet repugnantia; Sunt quidem res magnæ, ſtupendæ, viribus naturalibus majores; ſed non tales, ut ſecum pugnare, ſéque evertere, dici mereantur: Et poſitâ Dei exiſtentiâ, qui Naturæ leges inſtituit, utique ſatis potentiæ, ad eas pro arbitrio ſuſpendendas atque immutandas, habere exiſtimandus eſt. Quod enim objiciunt, *Naturæ Leges æternas ac immutabiles eſſe*, in eo ambiguitas latet. Nam, ſi agatur de iis Legibus, quibus eſſentiæ rerum continentur, illæ quidem æternæ ſunt, neque mutari unquam poſſunt; quippe ſublatâ vel mutatâ rei eſſentiâ, rem ipſam tolli neceſſe eſt. Sed verò *Naturæ Leges*, hac in materia, aliud ſignificant; putà conſuetum Naturæ ordinem, uſitatas motuum determinationes, eárumque effectus; quæ quidem ſuſpendi atque immutari, Naturæ Auctore ſic volente ac jubentè, optimè concipitur.

XII. Quod verò ſpectat ad eam Quæſtionem, *Utràm, ex Miraculis, Doctrinæ alicujus veritas, Doctoríſque auctoritas, tutò ſatis colligi queat?* certum id eſſe, ex duobus evidenter colligitur: *Primùm*, ex natura Miraculorum. Cùm enim ſint Opera, ut dictum modò eſt, Naturæ viribus ſuperiora, utique non ab alio, quàm ab ipſo Naturæ domino atque auctore, proficiſci exiſtimanda ſunt. Deum verò Optimum Maximum, ſive per ſe, ſive per alios, ad nos decipiendos, atque in errorem inducendos, Naturæ ordinem invertere velle, id verò eſt, quod, cum Dei Virtutibus, ſapientia, bonitate, ſanctitate, veracitate, conciliari haudquaquam poteſt.

XIII. *Secundò*, ſi Revelationis veritatem admiſeris, idem ulteriùs confirmatur, ex innumeris, ſive Veteris, ſive Novi Teſtamenti locis; in quibus Miracula, tanquam certiſſima veritatis ac divinitatis indicia proponuntur; ex iiſque Moſis atque Prophe-

Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, auctoritas demonſtratur. Certè, Christum & Apoſtolos argumento illo perpetuò uti, atque ad illud, tanquam certiſſimum, cœleſtis ſuæ Miſſionis, ac veritatis Doctrinæ ſuæ, teſtimonium provocare, jamjam à nobis evincetur.

XIV. Caſſum quidem eſſet, haud diffitemur, nulliuſque planè roboris, illud é Miraculis ductum argumentum, ſi (quod à pleriſque Theologis facilè nimis conceditur) vera Miracula à falſis Doctoribus, atque in falſarum Doctrinarum confirmationem, edi poſſent. Verùm conceſſionem illam Dei virtutibus injuriam eſſe, & cum plurimis ac diſertiſſimis utriuſque Fœderis locis, quibus Miracula in veritatis teſtimonium adducuntur, adverſa veluti fronte pugnare, (parcant Viri Docti, qui aliter ſentiunt) evidentiſſimum nobis videtur. Quamobrem, non vera *Miracula*, Naturæ ordinem excedentia, ſed *mira* tantùm ac ſtupenda quædam (qualcs ſunt artes Agyrtarum, & qualia fuiſſe, hodiéque eſſe, benè multa, apud falſas Religiones, prodigia, nemo eſt qui non fateatur) falſis Prophetis & falſis Doctoribus, noſtro judicio, adſcribenda ſunt. Plura non addimus hanc in materiam, quæ optimè fuit, non ita pridem, à duobus Viris præſtantiſſimis tractata *, quæque, in ſolvendis Objectionibus, pleniùs à nobis exponi poterit.

XV. Poſſunt igitur Miracula, nec modò poſſunt, ſed & debent, in veritatis ac divinitatis teſtimonium trahi; ſi modò tamen ſequentia in iis requiſita deprehendantur. *Primum*; ſi de Factorum ipſorum veritate probè conſtiterit; Etenim fictis Miraculis, in Religionis præſertim negotio, horum quidem fraude atque aſtutia, illorum ignorantia & credulitate, ab omni ævo nihil frequentius. *Secundum*; ſi Facta illa, ut dictum modò eſt,

* Nempe à clariſſimo Werenfelsio, in *Solutione Quæſtionis, Num Miracula certa ſint Veritatis ſigna*; & celebertimo Noltenio, Francofurti ad Viadrum S. Theologiæ Doctore & Profeſſore, in Diſputatione, cui titulus, *Argumentum pro veritate Religionis Chriſtianæ ex Miraculis deſumptum, ab iis autem qui eadem ope Sanctæ patrari contendunt, haud parùm labefactatum, nativo robori reſtitutum.* In eadem fuerat ſententia, exquiſiti judicii Theologus, Lud. Tronchinus, præceptor ac deceſſor noſter plurimùm venerandus, ornatiſſimi noſtri Reſpondentis Avus.

Digitized by Google

non viribus tantùm humanis, ſed & conſueto Naturæ ordine, adeóque Agentium naturalium viribus, ſuperiora eſſe adpareat. *Tertium*; ſi conſtet, eos Doctores, qui Miracula illa, tanquam divinæ ſuæ miſſionis, & veritaris doctrinæ ſuæ, teſtimonia proferunt, ea præſciviſſe, aut prædixiſſe, aut alio modo oſtendiſſe, ea in ſui ſuæque doctrinæ commendationem fieri. *Quartum*; ſi nihil ſit, nec in ipſo opere, nec in ipſa etiam doctrina, quod Dei majeſtate virtutibúſque indignum ſit: Etenim, talibus in caſibus, Deo hauddubiè abjudicanda ſunt. Iſta verbo tantùm indicamus, utpote quæ à Viris Doctiſſimis, qui hanc materiam optimè tractârunt, abundè ſunt expoſita: Si quid verò addi neceſſe ſit, in refellendis Objectionibus à nobis dicetur.

§. II. *Miracula* CHRISTI *& Apoſtolorum; & quomodo ad ea, tanquam certiſſima veritatis ac divinitatis teſtimonia, provocent.*

XVI. His in genere præmiſſis, ad CHRISTI & Apoſtolorum Miracula jam accedimus. Sed cùm in Tabulis Evangelicis atque Apoſtolicis deſcripta exſtent, neque à quoquam ignorentur, ea fusè recenſeri opus non eſt: Sat erit, ea breviter & generatim commemorâſſe. Certè inſignia hic occurrunt, & ingenti numero, & diverſi quidem generis, Prodigia: Tum in Chriſti *Baptiſmo*, quô Cœli aperti, Spiritus ſanctus viſibili ſpecie ſuper eum deſcendens, vóxque Dei é cœlo audita, quâ, ipſum eſſe FILIUM ſuum DILECTUM, proclamabat: Tum in ejus *Vita* & *Miniſterio*; dum ſcilicèt morbos omnis generis ſola voce ſanaret; cæcis lumina, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, paralyticis vires, ægris & languentibus, nullius non ordinis, ſanitatem reſtitueret; mari & ventis imperaret; augeret, ſtupendum in modum, panes & piſciculos, quibus plura hominum millia reficerentur; ejiceret Dæmonia; cogitationes inſpiceret; quódque omnium maximum, mortuos in hanc vitæ lucem revocaret: Tum in ejus *Morte*,

Morte; quâ Sol obſcuratus, Tellus concuſſa, velum Templi ſciſſum, ſepulcha aperta, mortuíque excitati: Tum ſpeciatim in ejus *Reſurrectione*, quæ longè maximum ac illuſtriſſimum ejus Perſonæ atque Doctrinæ teſtimonium perhibuit: Tum in ejus *Adſcenſu* in Cœlum, videntibus Apoſtolis, Angeliſque futurum in gloria redirum pollicitantibus: Tum denique in mira illa *Spiritûs effuſione* ſuper Apoſtolos; quô acceptô, & donis Linguarum, & ſanationum virtutibus, & omne genus Miraculis, non inclaruerunt modò ipſi, ſed & dona illa cum ſui temporis Fidelibus communicârunt.

XVII. Talia ſunt Opera, talia Prodigia, quibus Christo & Apoſtolis teſtimonium præbebat Deus: Talia ſigilla, quæ eorum muneri doctrinæque adponebat. Unde & ipſi, argumento illo perpetuò utebantur; non eo quidem duntaxat fine, ut Populorum adtentionem ſtuporémque excitarent, quemadmodum à nonnullis fingitur, quæ ſanè frigida & diluta eſt Miraculorum expoſitio, atque infra veram ac nativam ſuam deſtinationem depreſſio; ſed ut cœleſtem ſuam Miſſionem, Doctrinæque ſuæ veritatem ac divinitatem, tanquam argumento omnium certiſſimo potentiſſimóque, adſtruerent. Christus certè ad ſua illa Opera indeſinenter provocat. Sic Joh. V. 36. *At ego teſtimonium habeo, teſtimonio Johannis majus: Nam* opera *quæ dedit mihi Pater, ut ea perficiam, Opera quæ ego facio,* testantur de me, *quòd Pater miſerit me.* Pariter Joh. X. 38. *Si mihi non credatis,* credite operibus; *ut cognoſcatis & credatis, Patrem in me eſſe, & me in eo.* Neque aliter Joh. XIV. 10. 11. *Verba quæ ego loquor vobis, non à me ipſo loquor: Sed Pater qui in me manet, ipſe facit Opera. Credite mihi, me in Patre eſſe, & Patrem in me: Sin minùs,* propter opera mihi credite. Et cap. XV. 24. Judæos excuſationis expertes eſſe oſtendit, quòd, poſt tot tantáque inter ipſos edita Miracula, fidem ſibi non habuiſſent. *Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem, & viderunt, & me tamen oderunt, & Patrem.* Sed nec omittendum, quod Johannis Baptiſtæ Diſcipulis

à Chriſto reſponſum eſt; Qui cùm, Magiſtri nomine, utrùm ipſe Chriſtus eſſet, ſciſcitarentur, eos illicò ad ſua Miracula, tanquam certiſſimam Meſſiæ notam, amandavit; Matt. XI. 1. & ſeq. *Ite & renuntiate Johanni, quæ auditis & videtis. Cæci viſum recipiunt, & claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui ſuſcitantur*, &c.

XVIII. Neque verò alia eſt methodus Apoſtolorum, prout ex Actorum hiſtoria, & Epiſtolis, colligere licet. Etenim, ubique, ex Chriſti Miraculis, ejus Reſurrectione, & Miraculis quæ ipſi edebant, Doctrinæ ſuæ veritatem demonſtrabant. Pauca de multis loca adducemus. Johannes quidem Evang. cap. XX. 31. poſtquàm de Miraculis Chriſti dixiſſet, *Hæc autem ſcripta ſunt*, addit, UT CREDATIS *Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei, & credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Neque aliter Petrus, 2. Epiſt. I. 16. 17. probat, Evangelium non eſſe *fabulam cum arte concinnatam*, ex cœleſti illa voce, quæ, in Chriſti Transfiguratione, é Cœlo audita eſt, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo complacui.* Sic etiam Paulus, in eximio illo Sermone, quem Athenis in Areopago dixit, poſtquàm docuit, Deum, Evangelii voce, omnes ad pœnitentiam vocare, Chriſtúmque Mundi Judicem conſtituiſſe, addit, Chriſti Reſurrectionem, publicum, & à Deo ipſo inſtitutum, ejus rei argumentum eſſe; *Cujus rei*, inquit, *fidem fecit omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Act. XVII. 31. Sed & ſua ipſorum Miracula, in confirmationem Doctrinæ Chriſtianæ, ſæpiſſimè adducunt Apoſtoli; velut Hebr. II. 3. 4. ubi dicitur, DEUM *cum ipſis teſtimonium præbuiſſe, ſignis, prodigiis, variiſque virtutibus, & Spiritûs ſancti diſtributionibus, pro ſua voluntate.* Plura teſtimonia, in re clara, non congeremus; ſed hæc tamen adſcribere placuit; tum ut pateret, Chriſtum & Apoſtolos, Miracula ſua, tanquam certiſſima ac validiſſima pro Doctrina ſua argumenta, protuliſſe, non verò ſimpliciter tanquam ſigna quædam, quæ homines adtentos & adtonitos redderent, quæ eſt parùm digna nonnullorum de Miraculis ſententia; tum etiam, ut ea quæ diximus, Th. XIII. & XIV. de veris Miraculis, à Cacodæmone

&

& falsis Doctoribus, atque in erroris confirmationem, haud quaquam perficiendis, ulteriùs confirmarentur; etenim, si aliter foret, Miracula signa fallacia essent, parúmque tutò Christus & Apostoli ad ea provocarent. Verùm ad sequentia jam pergendum est; statimque ostendendum, quòd, si verè contigerint ea Miracula quæ descripsimus, de veritate Christianæ Religionis dubitari prorsùs nequeat.

§. III. *Si verè contigerint Miracula* Christi *& Apostolorum, de veritate* Christianæ Religionis *dubitari ampliùs non posse.*

XIX. Ac sanè, si Facta hæc omnia ita contigerint, prout narrantur, ea uni ex quatuor hisce caussis adscribi necesse est; vel *arti humanæ*, aliisve *causssis merè naturalibus*; vel meris *præstigiis*, quibus decepti ac fascinati oculi fuerint; vel *improbis* quibusdam *Spiritibus*, ad fallendum comparatis, à quibus hæc opera verè edita sint; vel denique *Spiritibus bonis*, ipsique præsertim Deo.

XX. *Arti humanæ*, *Causssis naturalibus*, Facta illa adscribere velle, à ratione ita abhorret, ut refelli vix mereatur. Quid enim? An arte humana, an viis naturalibus, morbi gravissimi atque inveterati, solo verbo, solo contactu, é vestigio sanari poterunt? An maris ac ventorum impetum meri hominis vox statim compescet? An cogitationes inspiciet? An futura, & ea quidem quæ ex libertate maximè pendent (qualis Judæ proditio, & trina Petri abnegatio, fuit) ad amussim prænuntiabit? Quódque apud Viros omnes sapientes, omnium homini impossibilium maximè impossibile * semper visum est, an mortuis, certissimè mortuis, in conspectu omnium mortuis, jam à pluribus diebus mortuis, lucis usuram rursùs largietur? Facta hæc omnia, humanæ industriæ, vel aliis quibuscumque naturalibus causssis adscriptum ire, id profectò insanire est.

* Id adeò impossibile Plinio videtur, ut, *revocare defunctos*, inter ea numeret, quæ *ne Deus quidem possit*. Plin. *Nat. Hist.* Lib. II. cap. 7.

XXI. Meras *præſtigias*, meras oculorum faſcinationes fuiſſe, nihilo ſanior eſſet qui diceret. Nec enim hic agitur de factis obſcuris, ambiguis, momentaneis; Agitur de Factis publicis, coram innumeris teſtibus patratis, quorum conſtans permanéníque effectus fuit. Deinde verò, ſi concederetur, meras præſtigias fuiſſe, id ipſum certè maximum Miraculum, iíſque Miraculis, de quibus jam agitur, haud multò inferius foret: Etenim, tot hominum oculis mentibúíſque illudere, ut ſe ea cernere & audire exiſtiment, quæ non cernunt neque audiunt, ſéque ægros & ſanatos putent, cùm neque ægrotent neque ſanentur, id profectò tantæ eſſet virtutis, ut major ad Facta ipſa exſequenda vix requiratur.

XXII. Quòd verò hæc opera à *pravis Spiritibus* re verâ edita ſint, neque id etiam, cum vel minima rationis umbra, adfirmare licet. Ut mittamus enim, Spirituum illorum exiſtentiam ſolo rationis lumine haudquaquam innoteſcere, adeóque ab iis, qui Revelationem non admittunt, gratis ſupponi; ut mittamus etiam, mendaces Spiritus vera Miracula patrare non poſſe, prout à nobis ſuprà oſtenſum eſt; ut ea, inquam, miſſa faciamus, quis ſanæ mentis exiſtimet, Doctrinam ſanctiſſimam, Deíque gloriæ convenientiſſimam, qualis eſt Chriſtiana Religio, ab impuris quibuſdam Spiritibus confirmatam eſſe? Et, cùm rerum omnium creatarum, ipſorúmque adeò dæmoniorum, cultum, eliminaverit Chriſti Diſciplina, quid cauſſæ potuit eſſe Dæmonibus, cur ei patrocinarentur, eámque ſtatuminarent? Utique propriæ auctoritatis, propriorúmque commodorum, non ita incurioſus eſt Satan, ut, patratis pro Chriſto Miraculis, *proprium regnum deſtructum iret*; quemadmodum adversùs Judæos, hac utentes criminatione, ſapientiſſimè arguebat Chriſtus, Matt. XII. 25. 26.

XXIII. Supereſt igitur quartum; ut ſcilicet Chriſti & Apoſtolorum Miracula, nonniſi *bonis Spiritibus* (ſeu inferioribus, Deo miniſtrantibus, ſeu Deo ipſi immediatè agenti; utrumvis enim ſtatuatur, ad propoſitum noſtrum perinde eſt; ſed tamen plus rationis eſt, ut tot tantáque Opera Deo ipſi adſcribantur, cùm

cùm præſertim Chriſtus & Apoſtoli ea ſe Dei ipſius virtute patrare adſerant) accepta referantur. Quod ſi ſit, de veritate Chriſtianæ Religionis dubitari ampliùs non poſſe, nemo eſt qui non fateatur. Etenim, quis concipiat, Deum optimum, juſtiſſimum, ſapientiſſimum, veraciſſimum, tam illuſtribus, tam iteratis teſtimoniis, fidem mendacio, vel per ſe, vel per Spiritus ſibi miniſtrantes, conciliare voluiſſe? Quis concipiat, Deum ſanctiſſimum, & gloriæ ſuæ retinentiſſimum, nequiſſimum Impoſtorem (abſit dicto blaſphemia) qui ſe Dei Filium mentiretur, tot Prodigiis illuſtrâſſe, meritóque adfectum ſupplicio, é tumulo excitâſſe, ſicque illius impoſturæ, & ampliſſimam mercedem, & luculentiſſimum teſtimonium adpoſuiſſe? Quis credat, Deum, Legum ſuarum vindicem acerrimum, homines, qui Cultum Legalem à ſe inſtitutum antiquarent, tanta potentia, tanta ad docendum auctoritate muniviſſe? Quis credat, Deum benigniſſimum, & hominum amantiſſimum, eos, in errores graviſſimos, ſed inſuperabiles ac ineluctabiles, propriâ ſuâ omnipotentiâ, in ſuſpendendis atque invertendis Naturæ legibus, adhibitâ, conjicere voluiſſe? Sanè hæc omnia à Dei natura & perfectionibus ita abhorrent, ut à nemine, qui quidem Deum revereatur, admitti queant. Quocirca, meritò colligere licet, poſitâ Factorum veritate, putà Chriſti Miraculorum, ejus Reſurrectionis, eorúmque omnium, quæ exinde ſecuta ſunt, de Chriſtianæ Religionis veritate & divinitate dubitari ampliùs non poſſe.

§. IV. *Miracula* Christi *& Apoſtolorum verè contigiſſe: Quod ut conſtet, producuntur* Teſtes; *quorum* Scripta indubia eſſe, *eóſque hac in re* decipi non potuiſſe, *oſtenditur.*

XXIV. Tota igitur quæſtio huc redit, *Utrùm hæc Miracula verè contigerint?* De quo ſi ſemel conſtiterit, lis dirempta, res confecta eſt. Jam autem, ut de veritate horum Factorum conſtet, non alia requiri par eſt, quàm quæ in cæteris omnibus

bus Hiſtoriis, ſive veteribus, ſive recentioribus, expendendis requiruntur. Tria nempe requiri ſolent: *Primum*, ut dentur Teſtes; Et ſi ſcripto teſtimonium dixerint, conſtet, ea Scripta, quibus id habetur, verè ipſorum eſſe: *Alterum*, ut Teſtes illi, Factorum veritatem probè perſpectam habuerint, neque decipi hac in re potuerint: *Tertium*, ut pateat, eos probos ac ſinceros fuiſſe, neque decipere nos voluiſſe. Hæc verò tria hîc occurrere, quiſquis æquô & adtentô animô rem expenderit, facilè perſpiciet.

XXV. I. Adſunt *Teſtes*; non unus aut alter, non ignoti, non incerti temporis; *Apoſtoli*, *Evangeliſtæ*, *Apoſtolicæ ætatis Viri*, quique illos magno numero Chriſtiani ſecuti ſunt. Quòd autem ea Scripta, quibus eorum teſtimonium habetur, ipſorum re verâ ſint, de eo ita certò conſtat, ac de vetuſti ullius Libri veritate conſtare poteſt. Enimverò, cur creditur, *Virgilii* Poëmata, *Ciceronis* Orationes, *Livii* hiſtorias, ipſorum eſſe, niſi quia eorum nomina præferunt, ipſis ſemper adſcripta ſunt, à ſubſequentibus Scriptoribus, de ſæculo in ſæculum, eorum nomine laudata fuêre, neque quiſquam id inficiatus eſt, neque verò cauſſa ulla eſt, cur quiſquam inficias eat? Ea verò omnia, ſi in vetuſto ullo Libro, certè in Scriptis Evangelicis & Apoſtolicis, potiſſimùm deprehenduntur. Quinimò, non pauca occurrunt, horum Librorum propria, quibus eorum veritas cæterorum omnium Librorum veritate longè antecellit. Nec enim hic agitur de Libris vulgaribus, ad quos parùm adtenderetur, ſed Libris maximi nominis, maximæque auctoritatis apud Chriſtianos; qui ab omnibus cogniti, ab omnibus verſati, pro norma Religionis habiti, publicè lecti in Eccleſiis, maturè verſi in varias linguas, ac per totum Terrarum orbem citiſſimè diſperſi ſunt: Quamobrem, ſpurios pro veris obtrudi, veros adulterari ac interpolari, fieri haudquaquam potuit. Neque verò nos morari debet, quòd de paucis quibuſdam aliquando dubitatum ſit: Sat eſt, quòd de plurimis atque præcipuis dubium nullum fuerit; Imò verò, ex his ipſis dubiis, de primorum Chriſtianorum fide, ſtudio, diligentia, in Libris ſacris expen-

expendendis ac ſecernendis, conſtare poteſt. Plura non addimus περὶ τῶν γνησίων Librorum Apoſtolicorum, utpote cujus defendendæ atque confirmandæ, in Diſputationum noſtrarum ſerie, non una occaſio erit.

XXVI. II. Alterum caput non minùs certum eſt; Apoſtolos nempe ac Evangeliſtas, *horum Factorum veritatem probè perſpectam habuiſſe, neque in iis deceptos eſſe.* Nam 1. non agitur de Factis remotis, aliis temporibus ac locis patratis, quæque ipſis nonniſi ex vulgi rumore innotuerint; Agitur de rebus ſui temporis, ac ſuæ gentis, quibus ipſi interfuerant, quarum fuerant teſtes oculati, imò quarum pars magna fuerant. *Quod erat ab initio*, inquit Johannes, in primæ Epiſtolæ limine, *quod audivimus, quod propriis oculis uſurpavimus, quod ſpectavimus, quod manus noſtræ contrectárunt, illud eſt quod nuntiamus.* Et Petrus adſerit, ſe & Collegas, Chriſti *magnitudinis & potentiæ* ἐπόπται fuiſſe; 2. Petr. I. 16. 2. Nec etiam hîc agitur de Factis obſcuris, ambiguis, in angulo editis; qualia fuiſſe pleraque omnia Ethnicorum Prodigia, plus ſatis conſtat; Agitur de Factis claris, publicis, cognitu facilibus, & quorum veritas vel falſitas, ab hiſce Scriptoribus, ignorari non potuit. Quid enim? Num ignorare poterant, an Homo ipſis intimè notus, quocum verſati plus quàm tres annos fuerant, hæc vel illa opera, ſe teſtibus ac inſpectoribus, publicè edidiſſet? An morbos varii generis, ſolo verbo, ſolo tactu, in omnium conſpectu, ſanâſſet? An, ſe ipſis videntibus atque ſtupentibus, tempeſtatem ſedâſſet? Quódque omnium maximum, an, poſtquàm publico adfectus ſupplicio eſſet, & ſepulchro à cuſtodibus adſervato incluſus, triduo pòſt revixiſſet, ſéque conſpiciendum atque palpandum, toto quadraginta dierum ſpatio, ſæpe ſæpiùs ipſis præbuiſſet? Hæc profectò ejus erant naturæ, ut errare in iis ac decipi neutiquam poſſent. 3. Si unicum hîc Factum eſſet, quod momento tantùm exſtitiſſet, eſſet aliquis ſuſpicioni locus, eos ſe decipi fortè paſſos eſſe: Sed plurima hîc ac diverſiſſima Facta occurrunt; & talia quidem, ut errari in iis non poſſet. 4. Neque unus eſt qui

hæc adſerat, ſed plures, imò plurimi, eò uſque ut Reſurrectionis Dominicæ teſtes non pauciores quàm quingenti memorentur. 5. Sed nec fuerunt viri fatui, aut atra bile perciti, ſed viri graviſſimi & ſapientiſſimi, prout ex eorum Scriptis adparet, & nos ſuprà jam oſtendimus. 6. Tantùm abeſt, ut nimis faciles, nimíſque credulos ſe præbuerint, ut contrà ex hiſtoria pateat, eos difficulter admodum ad credendum adductos eſſe; unde & ὀλιγοπιστίαν, nimiæque diffidentiæ, à Chriſto ipſo non ſemel inſimulati ſunt. Denique, inter hæc Miracula, non pauca ſunt, neque exigua, quæ ipſi patrâſſe dicuntur: Quis verò dixerit, in iſtis ſaltem, aliquem ignorantiæ ac deceptioni locum fuiſſe?

§. *V. In Teſtibus Factorum Evangelicorum, nullæ quidem fraudis atque impoſturæ, omnia* probitatis *ac* veracitatis, *indicia occurrere.*

XXVII. III. Igitur, tota difficultas, tota controverſia huc tandem reducitur, *Utrùm Apoſtoli, in recitandis Miraculis, veraces fuerint*, an verò quædam ſuſpicio ſit, eos decipere nos voluiſſe? Eos autem omnia fidiſſimorum & veraciſſimorum teſtium indicia præ ſe ferre, neque ullas fraudis atque impoſturæ notas, ſive in Perſonis ipſis, ſive in circumſtantiis narrationis, occurrere, quiſquis æquum ſe judicem præbuerit, rémque totam ſedulò ac maturè expenderit, haud difficulter convincetur.

XXVIII. Et ſtatim quidem, ad liberandos ab omni fraudis atque mendacii ſuſpicione Apoſtolos, vel ſola eorum *Doctrinæ* indoles atque ſcopus abundè ſufficerent. Tota quippe ad id unum tendit, in id unum comparata eſt, ut pietatem, juſtitiam, caritatem, veracitatem, fraudis omnis ac mendacii fugam, perfectam denique ſanctitatem, in hominum animos infundat. Hic unus eſt finis Doctrinæ Chriſtianæ; Hæc una materia Sermonum Chriſti, & Scriptorum Apoſtolicorum. Jam verò, quis talem ſcopum cum impudentiſſima fraude conciliet? Quis capiat, audaciſſimam ac putidiſſimam fabulam fingi, non alio propoſito fine, quàm ut Homines, probi, ſancti, juſti, veraces, efficiantur? XXIX.

XXIX. Quemadmodum verò ipſorum Doctrina, ita & tota ipſorum *Vita*, ad eos à falſi labe abſolvendos, fidémque ipſorum teſtimonio conciliandam, plurimùm facit. Etenim, quòd homines improbi, & vitiis addicti, in malæ fidei ſuſpicionem veniant, id meritò quidem atque optimo jure fieri concedimus. Sed quòd Viri optimi atque ſanctiſſimi, virtutis rigidi ſatellites, quorum in moribus nihil niſi pietas, æquitas, juſtitia, omnis denique virtus adparet, (quales fuiſſe Chriſti Diſcipulos, in antecedenti Diſſertatione oſtendimus) ſacrilegæ deceptionis, nequiſſimæ impoſturæ inſimulentur, id profectò contra omnem rationem, nec niſi maxima cum injuria ac iniquitate, cogitari poteſt.

XXX. Imò, ſtatus ipſe Apoſtolorum, *ſors* eorum *externa*, circumſtantiæ in quibus verſabantur, putà, quòd ex infima plebe, quòd viles artifices, quòd nullis ſcientiarum, opum, honorum, dignitatum, humanæ potentiæ ac auctoritatis, præſidiis inſtructi fuerint, ea omnia, ad amoliendam fraudis illius ſuſpicionem, multùm quoque ponderis habent. Nam homines quidem potentes, aſtutos, Philoſophos, Sacerdotes, Principes, Magnates, Duces exercituum, ſuos in uſus Prodigia finxiſſe, fieri quidem optimè potuit, ipſôque factô perſæpe viſum eſt. Sed tales homines, quales erant Apoſtoli, homines obſcuros, viles piſcatores, quibus, ad Orbem decipiendum, nec occaſio, nec facultas erat, eam impoſturam commentos eſſe, déque ea perſuadenda ac diſſeminanda conſilium cepiſſe, haudquaquam credibile eſt.

XXXI. Verùm, ut propiùs ad rem accedamus, & ex ipſis Facti circumſtantiis argumenta depromamus, illud notatu in primis dignum eſt, quô *tempore*, quibus in *locis*, quibus *præſentibus* ac *audientibus*, Chriſti Miracula & Reſurrectio ab Apoſtolis narrentur. Nempe, iis in locis, quibus res dicuntur geſtæ; iis temporibus, quæ proximè ſecuta ſunt; iis præſentibus & audientibus, qui, iis in locis, iiſque temporibus, vixerant, quíque Factorum veritatem vel falſitatem non poterant non perſpectiſſimam habere. Non ſic Impoſtores, non ſic Fabu-

larum architecti, agere ſolent. Tanta in luce, ſua figmenta non collocant, ne tam facilè ab omnibus arguantur.

XXXII. Sed & quis neſcit, unam ex præcipuis Impoſtorum curis, hanc eſſe; ut eorum, quos decipere volunt, opinionibus ſe adcommodent, corúmque ſtudiis atque adfectibus gratificentur? Quî fit igitur, ut contraria prorsùs ratione ſe gerant Apoſtoli? Quî fit, ut Fabulam omnibus ingratam atque exoſam comminiſcantur? Pugnabat nimirùm ea Fabula, cum præjudicatis Judæorum opinionibus; Pugnabat cum Ethnicorum erroribus, ſuperſtitionibus, idololatria; Utrorumque vitiis & adfectibus bellum indicebat. Judæis exprobrabat Meſſiæ rejectionem atque damnationem; qua accuſatione non poterant non plurimùm offendi. Gentilium Deos ridebat, ſubſannabat, explodebat; quod neque ipſi patienter laturi erant. Quod credendum proponebat, erat *Judæis ſcandalum*, *Græcis ſtultitia*. Quod exſequendum præcipiebat, erat *ſermo durus*, *quem nemo poterat ferre*. Quis Impoſtor tam malè conſutam Fabulam unquam fabricavit? Quis tam inſanus, ut ea fingeret, quæ non poterant non omnium odia in ſe concitare, omnéſque ad fraudem inveſtigandam & aperiendam impellere?

XXXIII. Neque verò quidquam facilius erat, viris præſertim eruditis, callidis, in auctoritate conſtitutis, quales erant longè plurimi Apoſtolorum Adverſarii, quàm Miracula ab iis producta, ſi ficta eſſent, falſi convincere, fraudémque omnem, ſi modò fraus fuerit, in aperta luce collocare. Dicebant, Chriſtum, hos & illos ægros, hîc atque illic, ſanâſſe: Quid facilius, quàm, authenticis locorum illorum teſtimoniis, earum ſanationum falſitatem demonſtrare? Dicebant, hominem nomine *Lazarum*, cui ſorores duæ, *Maria* & *Martha* erant, in vico *Bethania* dicto, multis adſtantibus atque inſpicientibus, é tumulo, ubi quartum jam diem agebat, à Chriſto excitatum eſſe: Quid facilius, quàm vicum illum adire, teſtes audire, fraudem aperire, eóſque, qui id protuliſſent, pudore ſuffundere? Dicebant, Jeſum, amiſſam Crucis ſupplicio vitam triduo pòſt recuperâſſe, teſtibus quamplurimis ſe videndum præbuiſſe,

buiſſe, nec multò pòſt, etiam coram teſtibus, in Cœlum evolâſſe: Quid facilius, quàm, habitô ſingulorum teſtium, ſingularúmque adparitionum examine, mendacia, ineptias, contradictiones, (nec enim Fabulæ ſibi valdè conſtare ſolent) in iis omnibus deprehendere? quibus demonſtratis, atque in apertam lucem productis, ne muſſitare quidem de iis poſtea quiſquam auſus eſſet. Hæc omnia non poterant non ab Apoſtolis provideri; eóſque, niſi planè deſiperent, à conſilio tam inepto, à Fabula tam facilè explodenda, revocare.

XXXIV. Contrà verò, ſic ſe gerunt Apoſtoli, ut pateat, eos nihil ſimile metuere, déque veritate ſuæ narrationis plenè ac perfectè ſecuros eſſe. Etenim, apertè agunt, nihil diſſimulant; circumſtantias omnes recenſent; notant loca, notant tempora ſingulorum eventuum, notant nomina perſonarum, notant Sacerdotes, Magiſtratus, privatos homines, eos omnes denique, quorum aliquæ his in Factis partes fuerant; provocant ad teſtes illô tempore ſuperſtites; & Paulus quidem quingentos Reſurrectionis Dominicæ teſtes adpellat: Coram omnibus, Judæis, Gentilibus, Doctoribus, Philoſophis, Regibus, Magnatibus, Facta illa audacter promulgant; Ea memorant, inculcant, repetunt, nulla non occaſione, nullis non in locis. Non metuunt, non ſunt ſolliciti, ne ſibi non credatur; Res maximè miras atque ſtupendas ita nudè ac ſecurè tradunt, quaſi ea nemo in controverſiam vocare poſſit. Nullum artificium, nulla cautio, nullæ latebræ, nullæ offuciæ, in iis omnibus deprehenduntur. Sic dicunt, ſic agunt Apoſtoli. Quis verò capiat, Impoſtores eâ ſe ſe ratione gerere? Quis capiat, homines rudiſſimos, artifices imperitiſſimos, fraudem omnem ita celare, externam ſpeciem virorum proborum ita mentiri, ut ne minimum quidem deceptionis indicium adpareat? *Ἁπλῆς τῆς ἀληθείας λόγος; ſimplex eſt veritatis ſermo.* Ubi verò major ſimplicitas, major ingenuitas, apertiora ſinceritatis ac veritatis indicia, quàm in modo quô Facta illa ab Apoſtolis commemorantur?

XXXV. Quid, quòd, non ſolùm Chriſti Miracula, non ſolam ejus Reſurrectionem, ſed & propria ſua Miracula, do-

náque ſuo tempore adhuc exſtantia, memorant Apoſtoli; déque iis tanquam certiſſimis, & ab omnibus notis, ſuis in Scriptis paſſim loquuntur. Docet Paulus, ſe quidem deſtitutum facundiæ humanæ ſermonibus, ſed *demonſtratione Spiritûs ac potentiæ* inſtructum eſſe; I. Cor. II. 4. In eadem ad Corinthios epiſtola, dona *linguarum*, *ſanationum*, *prophetiæ*, &c. communia fuiſſe inter Chriſtianos, ſupponit; &, quomodo eo reſpectu ſe gerere deberent, monet; I. Cor. XII. & XIV. Si damnet Galatas, quòd ritus Legales, pluris quàm par eſſet, facerent, eo potiſſimùm argumento eos revincit, quòd *Spiritum*, hoc eſt, Miraculorum dona, non Legis quidem, ſed Evangelii beneficio accepiſſent. Gal. III. 2. 5. Theſſalonicenſibus in memoriam revocat, ſe, non ſermonibus nudis, ſed *Spiritûs ſancti potentiâ*, per Miracula ſeſe exſerente, eos ad Chriſti fidem adduxiſſe; I. Theſſ. I. 5. Quâ prudentiâ, imò quô pudore, hæc omnia proferrent Apoſtoli, ſi mera figmenta eſſent, quorum falſitas non poterat non Chriſtianis omnibus perſpecta eſſe?

XXXVI. Sunt & alia non contemnenda ſinceritatis Apoſtolorum, in eorum Scriptis, indicia, quæ non poſſunt non Lectores candidos atque adtentos plurimùm adficere: Veluti, quòd proprios nævos, proprias culpas, ingenuè referant; putà, ingenii tarditatem, ſermonis imperitiam, diſſidia, altercationes inter ipſos exortas, Petri abnegationem, deſertionem omnium, &c. Item, quòd ex compacto non ſcripſerint; quemadmodum conſtat vel ex levibus illis, quæ inter varios Evangeliſtas intercedunt, diſcrepantiis, imò & pugnis adparentibus; à quibus deceptores ſummo ſtudio ſibi caviſſent. His accedit, quòd ſuis auditoribus atque diſcipulis handquaquam adulantur, quæ tamen ſolemnis eſt Impoſtorum conſuetudo, ſed eorum culpas & vitia ſeveriſſimè increpant; quemadmodum ex Apoſtolorum Concionibus & Epiſtolis conſtare poteſt. Hæc, aliáque hujus generis, Apoſtolorum ſinceritatem atque probitatem tanta in luce collocant, eóſque à fraudis atque impoſturæ ſuſpicione ita liberant, ut qui iis non perſuadeatur, nimis profectò ſuſpicacem eſſe oporteat.

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII. Verùm, nihil fortiùs, nihil evidentiùs, Apoſtolorum veracitatem, ipſorúmque teſtimonii ſinceritatem demonſtrat, quàm ſi expendatur, quænam rationes, quænam incentiva, eos, ad hanc Fabulam excogitandam ac diſſeminandam, impellere potuerint. Quippe notum eſt, eos omnes, qui tale quid comminiſcuntur, ſemper aliquid mercedis, aliquid commodi, inde exſpectare; imò verò talia commoda, quæ, omni labore atque ærumnis, ea de cauſſa perferendis, majora ſint. Quæro igitur; quænam commoda, quem fructum, quam utilitatem, ex ſuo illo figmento (ſi modò figmentum fuerit) ſperare poterant Apoſtoli? Nihil profectò, ſi rectè advertimus, nihil erat quod inde ſperarent. Nam, neque ad opes congerendas, neque ad honores adſequendos, neque ad exquirendas voluptates, neque ad alia quæcunque vitæ præſentis commoda, fictio illa quidquam valebat. Contrà, nullis non ærumnis, nullis non opprobriis, nullis non crucibus, ea de cauſſa exponebantur; prout Chriſtus ipſe non ſemel prædixerat, ipſíque etiam providebant, ſtatímque ipſô factô nimio plus experti ſunt. Unde, *ſi nullam in Chriſto ſpem, niſi in hac vita, habuiſſent, miſerrimi omnium hominum fuiſſent*, prout agnoſcit Apoſtolus, I. Cor. XV. 19.

XXXVIII. Dices, *ſperâſſe ipſos, ſe ſuam illam Fabulam Orbi tandem perſuaſuros, magnámque inde gloriam, magnam laudem conſecuturos; neque ipſos, hac quidem in re, eventum fefelliſſe.* R. Verùm *primò*, ſi falſa fuerit hæc ab ipſis venditata Hiſtoria, quâ ratione, quô fundamentô, ſperare unquam poterant, eam fidem impetraturam? Etenim, quid facilius, ut dictum modò eſt, quàm fraudem illam retegere? quídve certius, quàm fore ut brevi, ab iis quorum intererat, Judæis, Gentilibus, Sacerdotibus, Magnatibus &c., retegeretur ac everteretur; ipſíque totius conſilii auctores, ſui figmenti pœnas darent? *Secundò*, ut aliquem ſuccеſſum conſilii ſui ſibi promitterent, oportebat, media quædam idonea, ad illud exſequendum atque promovendum, penes ipſos fuiſſe: Sed quid habebant viles artifices, nulla doctrina, nullis opibus, nulla poteſtate inſtructi,

tructi, quô rem tantam posſent efficere, Sacra publicè recepta evertere, alia omnibus exosa instituere, potentissimorúmque Adversariorum, Sacerdotum, Doctorum, Magnatum, auctoritati obsistere? Posità Factorum veritate, satis erat caussæ profectò, cur multùm sperarent Apostoli: At si ficta essent Facta illa, ne minimam quidem felicis exitûs sperandi materiam habebant. *Tertiò*, vel si spes quædam, persuadendæ tandem ac spargendæ Doctrinæ fuisset, utique sperari, nonnisi post longum tempus, magnáque cum difficultate, successus ille poterat; atque interim, primos Præcones miserè perituros, indubium erat: In quo certè, sat erat rationis, cur sibi ipsis primùm consulerent, neque in fraude ipsis artificibus tam damnosa persisterent.

XXXIX. Sed verò, demus *tandem*, Apostolos, sibi ipsis adblandientes, séque inani lactantes spe, aliquid, ipso statim initio, designâsse atque tentâsse: Quid tum, cùm, acerbissimis experimentis, errorem suum senserunt? Quid, cùm, pro laude dedecus, pro mercede cruces ac ærumnas, sibi passim repositas viderunt? Quid, cùm in carceres trusi, virgis cæsi, bestiis objecti, *mundi sordes & purgamenta* ab omnibus habiti, nullóque non tormentorum ac suppliciorum genere vexati sunt? Tunc certè, nisi splendidè insaniissent, imò furiis agitati essent, (quod de iis adfirmari, sapientissimi eorum sermones & Scripta non patiuntur) tunc, inquam, licèt serò nimis, à proposito tandem recessissent, suámque illam impostoram, quæ tanto ipsis constabat, abjecissent. Quod cùm ab iis factum non fuerit, neque ullis periculis, ullis damnis, ullis cruciatibus, quantumvis duris atque diuturnis, se à proposito dimoveri unquam passi sint, id manifesto indicio est, eos candidè atque sincerè, hoc in negotio, sese gessisse; proindéque, de veritate testimonii ipsorum, ipsiusque adeò CHRISTIANÆ RELIGIONIS, quæ ei inædificatur, dubitari ampliùs non posse.

XL. Et hæc quidem omnia, ad scopum nostrum, putà ad demonstrandam *Miraculorum Evangelicorum veritatem*, vímque argumenti ex iis deducti adstruendam, abundè sufficere possent. Ve-

Verumtamen, cùm in hac materia, de *veritate Factorum Evangelicorum*, præcipuus totius quæstionis cardo vertatur, placet eandem, aliâ tantisper viâ, confirmatum ire; eâ videlicèt, quam in adstruendis Mosis miraculis jam adhibuimus, quæque, ad Miracula Evangelica confirmanda, non minùs valebit. Lustrabimus nempe varias Hypotheses, quæ ab Incredulis proponi possunt; earúmque nullam consistere posse, ostendemus.

§. VI. *Variæ* Hypotheses, *quæ ab Incredulis proferri possunt: Earum nullam stare posse, demonstratur: Sicque veritas* Factorum Evangelicorum, *ipsiúsque adeò* Christianæ Religionis, *extra omnem dubitationis aleam collocatur.*

XLI. Hypotheses omnes, quæ, circa *Facta Evangelica*, in primis Christi & Apostolorum *Miracula*, ab Incredulis proferri possunt, ad sex hasce præcipuas revocari posse nobis videntur.

Prima; quòd *tota* Christi *& Apostolorum Historia nihil aliud sit quàm mera Fabula, longo pòst tempore excogitata.*

Secundâ; quòd *exstiterit re verâ* Christus, *& se Messiam dixerit, & ea Miracula venditaverit, quæ in Evangeliis narrantur; sed* (absit blasphemia) *quòd merus impostor fuerit, qui Apostolos cæteròsque Discipulos suos fefellerit.*

Tertia; quòd *quidam ex Apostolis Christi, totam hanc Fabulam fabricaverint, & reliquos fefellerint.*

Quarta; quòd *Apostoli omnes fraudis illius conscii fuerint, eámque communibus studiis promoverint; neque aliud sint Christi Miracula & Resurrectio, præter commentum ab iis excogitatum.*

Quinta; quòd *Miracula omnia à Novi Testamenti Libris initiò abfuerint, nec nisi pòst ætatem Apostolorum, in eos inserta sint.*

Sexta denique; quòd *hæc omnis* Christi & *Apostolorum Historia, non simul ac semel, & ab iisdem homi-*

nibus, ſed variis gradibus, & progreſſu temporis, fabricata ſit; eôdem modô, quô Fabulæ non paucæ, ex meris vulgi rumoribus quotidie fabricantur atque augentur, quorum diverſi atque incerti plerúmque auctores ſunt.

Et hæ quidem ſunt Hypotheſes omnes, quas fingere, hanc in materiam, Incredulitas poteſt. Sed eas omnes, quantæ quantæ ſunt, abſurdiſſimas eſſe, neque à veritate modò, ſed & ab omni veri ſpecie alieniſſimas, evidenter, ut quidem ſperamus, à nobis demonſtrabitur.

XLII. Nam quod ad primam Hypotheſim, quòd *tota hiſtoria* CHRISTI, *ejúſque Apoſtolorum, nihil aliud ſit quàm mera Fabula*, imò quòd *neque Chriſtus ipſe, neque Apoſtoli, unquam exſtiterint*, illa certè ita abſurda eſt, & ab omni Hiſtoriæ fide ita aliena, ut nonniſi ab ignariſſimis & ſtolidiſſimis mortalium proferri poſſit. Ac ſanè, JESUM *Nazarenum* in Judæa olim exſtitiſſe, & quidem imperante *Tiberio*, & cruci adfixum à *Pontio Pilato*, Judææ procuratore, & rem Chriſtianam ab hoc JESU ortum duxiſſe, hæc, aliáque idgenus, non ab omnibus modò, qui unquam vixerunt, Chriſtianis, ſed & ab omnibus Judæis, imò & à Scriptoribus Ethnicis, qui non procul ab illis temporibus & locis floruerunt, unanimi conſenſu adfirmantur. Sic TACITUS, Ann. XV. docet, Chriſtianos variis ſuppliciis à Nerone adfectos; Ea verò occaſione de Chriſto ita loquitur: *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio adfectus erat.* Exſtant etiam loca SUETONII, & PLINII junioris, quibus eædem Chriſtianiſmi origines confirmantur. Neque verò ullus unquam fuit Chriſtianorum hoſtis, neque *Celſus*, neque *Lucianus*, neque *Porphyrius*, neque *Hierocles*, neque *Julianus*, &c., qui Chriſtum exſtitiſſe, & eo tempore vixiſſe, & cruci adfixum eſſe, & Chriſtiani nominis auctorem ſuiſſe, in dubium vocaverit. Quamobrem, ſi quid unquam certi in Hiſtoria fuerit, hæc hiſtoria procul dubio (de Factis generalibus tantùm loquimur) inter certiſſimas reponenda eſt. Quibus & hoc quoque adjungimus, quô hæc hiſtoria non parùm confirmatur; nempe,

nempe, quòd Chriſti ſors vilis, paupertas, miſeriæ, ac ſpeciatim crucifixio, nec non & primorum ejus Diſcipulorum vilitas, dum Doctores omnes atque Magnates Evangelio obſiſtebant, quòd hæc, inquam, ita probroſa rei Chriſtianæ ſtatim videantur, ut non potuerint à Chriſtianis fingi: Itaque, hæc ſaltem hiſtoriæ pars, ab iis ipſis, qui Chriſtum pro numine habent, admiſſa, prædicata, inculcata, in controverſiam vocari nequit.

XLIII. Altera Hypotheſis, quòd *Chriſtus re verâ exſtiterit, & ſe Meſſiam dixerit, & Miracula venditaverit, qualia in Evangelio ipſi tribuuntur, ſed* (apage blaſphemiam) *quòd merus impoſtor fuerit, qui Diſcipulos ſuos, imò & totum Orbem fefellerit*, ea etiam ab omni ratione & veri ſpecie ita abhorret, ut defendi prorsùs nequeat. Ut mittamus enim, exquiſitam Doctrinæ Chriſti ſanctitatem, moréſque innocentiſſimos, impiam illam cogitationem longè amovere, quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt; Quis non videt, ea Miracula, quæ Chriſto tribuuntur, ejus fuiſſe naturæ, ut, neque Diſcipulos ſuos, neque alios eorum temporum homines, ullâ ratione decipere potuerit? Etenim erant Facta publica, omnium oculis expoſita, quæ proinde fingi ac ſimulari haudquaquam poterant. In vicis, in compitis, in maxima populi frequentia, pleraque, imò penè omnia edebat Miracula; nullas latebras quærebat. Neque verò unum eſt hoc Factum, ſed innumera, & omnis quidem generis, per quatuor ferè continuos annos, Apoſtolis aliiſque Diſcipulis indeſinenter cum ipſo verſantibus, ejúſque facta omnia & Miracula inſpectantibus. Quamobrem, ſi quid fuit fraudis, eos latere, aut ipſos decipere, neutiquam potuit. Poſtremò, ſi fallendi animus in unum Chriſtum ſit conjiciendus, quid tum ejus Reſurrectio, quid Adſcenſio in Cœlum, quid effuſio Spiritûs ſancti, quid miracula Apoſtolorum, & primorum Chriſtianorum? In quibus omnibus, ſatis per ſe patet, Chriſtum Diſcipulos non fefelliſſe. Itaque ad alias Hypotheſes neceſſariò tranſeundum eſt.

XLIV. Tertia igitur Hypotheſis hæc eſt; nempe *quoſdam*

ex Apoſtolis, poſt Chriſti mortem, hæc omnia finxiſſe, cæteróſque fefelliſſe. At verò id, ne minima quidem cum ratione, ſtatui poteſt. Primò enim, qui hæc teſtantur, dicunt *omnes* teſtes fuiſſe: Itaque, vel *omnes fallunt*, vel *nulli fallunt*; non datur medium. Sanè, ſi ageretur de Factis quibuſdam obſcuris, unus & alter, cæteris fucum facere, & verba dare, fortè potuiſſent: Verùm hîc agitur de Factis claris, de Factis publicis, in maxima populi frequentia patratis. Si ageretur de una tantùm vel altera Chriſti poſt mortem adparitione, eáque duntaxat momentanea, narrare forſan quidam potuiſſent, ſibi Chriſtum adparuiſſe, idque aliis perſuadere: Sed Chriſtus, poſt Reſurrectionem, plus quàm decies viſus narratur, variis in locis, variiſque circumſtantiis; neque ipſum viderunt tantùm, ſed & ipſum palpârunt, explorârunt, cum eo cibos ſumpſerunt, cum eo collocuti ſunt; Neque pauci illum vidiſſe referuntur, ſed Apoſtoli omnes, imò & quingenti Chriſtiani, ad quorum teſtimonium provocat Paulus, I. Cor. XV. 6.; Neque unum hoc Factum narratur, ſed alia plurima Miracula, quorum omnes teſtes dicuntur: Quamobrem, vel nulli, vel omnes, in fraudis communionem vocandi ſunt. Quid, quòd non ſolùm ſe teſtes dicunt, Miraculorum Chriſti, ejúſque Reſurrectionis, ſed & adfirmant præterea, ſe *omnes* donis Miraculorum præditos fuiſſe, imò & ſe omnes dona illa in alios conferre potuiſſe: Id omnibus tribuitur; omnéſque abundè ſciebant, utrùm donis illis re verâ inſtructi eſſent. Præterea, Apoſtoli omnes, in Evangelio diſſeminando, coſdem labores, eaſdem ærumnas, eadem tormenta experiuntur; nullus majorem exinde, quàm cæteri, fructum percipit; Nullus majores dignitates, vel opes, conſequitur; Omnium vita æquè acerba eſt; Omnium ſors eadem; Idem omnium agendi modus; Proindéque, cauſſa nulla eſt, cur quidam deceptores, cæteri decepti fuiſſe dicantur.

XLV. Quòd ſi qui fortè, inter Apoſtolos, hujus conſilii auctores cenſeri poſſint, non in alios ferè quàm PETRUM & PAULUM, ſuſpicio illa cadere poteſt; utpote qui, & majore diſſeminandi Evangelii zelo, & ampliore Chriſtianæ Doctrinæ

trinæ peritia, inſtructi videntur: At verò, illos doloſè egiſſe, imò & ſceleſtiſſimæ impoſturæ auctores fuiſſe, nemo, qui illorum Scripta legerit, eorúmque res geſtas audiverit, ſibi in animum unquam inducet. Etenim, quanta pietas, quanta ſanctitas, quantus veri amor, quanta fraudis omnis averſatio, hîc omni ex parte ſe prodit! Rursùs, ita ingenui ſunt, ut proprios nævos, proprias culpas, propria diſſidia, haudquaquam celent, quemadmodum jam obſervavimus. Iterùm, tantùm abeſt, ut ſe ſolos teſtes adducant, ut ad reliquorum teſtimonium perpetuò provocent; Eccleſiáſque integras, donorum tunc vigentium teſtes adpellent. Poſtremò, quid obtinent, quid lucrantur *Petrus & Paulus?* Quid niſi perpetuas ærumnas, cruciatus omnis generis? In vincula conjiciuntur; virgis cæduntur; morti quotidie addicuntur; tandémque, poſt innumeras ærumnas, toto vitæ tempore toleratas, martyrio adficiuntur. Quam in rem, præter ea quæ habet Lucas, in *Actibus Apoſtolicis*, alium teſtem locupletiſſimum, Apoſtolorum nempe coævum, Clementem Romanum * habemus. *Ponamus nobis ante oculos*, inquit, *ſanctos Apoſtolos. Propter æmulationem iniquam*, Petrus, *non unum aut alterum, ſed plures labores ſuſtinuit; atque ita martyrium paſſus in debitum gloriæ locum diſceſſit.* Paulus, *propter æmulationem, in vincula ſepties conjectus, verberibus cæſus, lapidatus, patientiæ præmium reportavit, & in oriente ac occidente verbi præco factus, illuſtrem fidei ſuæ famam ſortitus eſt, in juſtitia mundum univerſum inſtruens, & ad occidentis terminos veniens, & ſub Imperatoribus* (vel *Præfectis*) *martyrium ſubiens, ſic é mundo migravit, & in locum ſanctum abiit, patientiæ ſummum exemplar factus.* Sic laborârunt, ſic paſſi ſunt, duo illi præſtantes Apoſtoli. Sanè, qui homines hujus ordinis, hujus doctrinæ, hujus vitæ, nec niſi mala omnis generis Evangelii ope conſecutos, talis impoſturæ architectos eſſe ſuſpicetur, eum mortalium ſuſpicaciſſimum ac iniquiſſimum eſſe neceſſe eſt.

XLVI. Pergendum igitur ad quartam Hypotheſim, quæ ſta-

* Clemens Rom. in I. Epiſt. ad Corinth. cap. V.

ſtatuit, *Apoſtolos omnes in fraudem illam conſenſiſſe, & Chriſti Miracula ac Reſurrectionem ex cerebro ſuo finxiſſe, eâque per totum Orbem unanimi conſenſu diſſeminâſſe, ut, eô pactô, Doctrinæ ſuæ auctoritatem conciliarent.* Verùm hanc Hypotheſim antecedentibus nihilo ſapientiorem eſſe, cùm antea jam demonſtratum ſit, dum Apoſtolorum veracitatem oſtendimus, tum id ulteriùs, quanquam methodô tantiſper diverſâ, hac ratione confirmamus. Nimirùm, ut quidam homines, vel quædam hominum Societas, fraudis alicujus inſimulentur, præſertim verò maximæ fraudis, & pietati maximè adverſæ, certè idoneis argumentis, vel ſaltem vehementiſſimis ſuſpicionibus, accuſatio illa confirmanda eſt. Jam verò, neque argumenta ulla idonea, neque ullæ ſuſpicandi cauſſæ, tantiſper ſaltem probabiles, hîc obſervantur. Ac ſanè, legitima omnis ſuſpicio, vel fundatur in hominum, de quibus agitur, *moribus*; vel in eorum *genere*, *conditione*, *vitæ inſtituto*; vel in Doctrinæ ipſius natura, ad homines *ineſcandos* & *fallendos* comparata; vel in ipſa rerum *abſurditate*, quæ indignæ Deo videantur; vel in quarundam circumſtantiarum, cum certiſſimis *Hiſtoriæ monumentis*, pugna; vel in ipſo *tradendi modo*, in quo aſtutia quædam adpareat; vel denique in *fructu* quodam, quem perceperint, vel percipere ſaltem potuerint, qui Doctrinam illam protulêre. Hæc ſunt præcipua, ut quidem cenſemus, ſuſpicandi argumenta: Et, eorum ope, Fabulæ innumeræ, in Religionis præſertim negotio, jure merito exploſæ ſunt, hodiéque exploduntur. At verò, nihil horum hic occurrere, ſed contraria omnia hîc obſervari, quiſquis æquô & adtentô animô rem expenderit, facilè perſpiciet.

XLVII. Nam, ut hæc omnia breviter luſtremus, tantùm abeſt ut *mores* Apoſtolorum aliquam ſuſpicandi materiam præbeant, ut contrà ſumma probitas, ſummus candor, ſummum veri & æqui ſtudium, in iis conſpiciatur. Tantùm abeſt ut eorum *ſors*, vel *educatio*, vel *vitæ genus*, aliquem ſuſpicioni locum miniſtrent, ut hæc contrà removendæ ſuſpicioni aptiſſima ſint: Etenim, ſunt viri tenues, pauperes, inexercitati; neque

que in humanis Diſciplinis, neque in negotiis gerendis verſati; qui, ad tantam fraudem concinnandam atque promovendam, non poterant non ineptiſſimi eſſe. Tantùm abeſt ut eorum Doctrina hominibus *adiciendis* ac *demulcendis* eſſet idonea, ut contrà ab omnium ingeniis videretur abhorrere: Nam, neque præjudicatis Judæorum opinionibus, neque Ethnicorum erroribus, neque Philoſophorum placitis, neque mortalium quorumvis adfectibus, ullatenùs eſt adcommodata, ſed cum his omnibus apertiſſimè ac vividiſſimè pugnat. Tantùm abeſt ut quidquam *abſurdi* in ipſa Doctrina contineatur, ut contrà ſapientiſſima, & Deo digniſſima, adpareat, quemadmodum ſuprà oſtendimus: Et quod ad ipſa Miracula, etſi ſunt rara atque ſtupenda, adeóque creditu difficilia, niſi à teſtibus fide dignis confirmentur, tamen nihil habent quod impoſſibile, vel Deo indignum, cenſeri debeat; contrà res erat Deo digniſſima, in promovendo tam ſalubri, támque præſtanti conſilio, qualis eſt *Chriſtianiſmi* fundatio, modô quodam valdè conſpicuô potentiam ſuam exſerere. Neque verò quidquam hic occurrit, quod cum ſinceris *Hiſtoriæ monumentis* confligat; Contrà, quidquid hic ad Hiſtoriam pertinet, cum omnibus temporum illorum monumentis optimè conſentit. Sed neque etiam in *tradendi modo*, artificium ullum, aſtutia ulla deprehenditur; contrà nihil planius, nihil ſimplicius, quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt. Denique, tantùm abeſt ut Apoſtoli, ex hac Doctrina, *fructum* aliquem perceperint, vel percipere potuerint, ut nihil niſi ærumnas & cruces perferendas habuerint, quemadmodum ex tota eorum hiſtoria liquet, & ex ipſis Ethnicorum monumentis confirmatur. Itaque patet, ea omnia, quæ ſuſpicioni ingenerandæ apta nata ſunt, hinc penitùs abeſſe, & contrà circumſtantias omnes, cùm perſonarum, tum rerum, Apoſtolos à malæ fidei ſuſpicione prorsùs liberare.

XLVIII. Tria vel quatuor inſuper addemus, quibus Apoſtolorum ſinceritas non parùm confirmab.tur. Primo, ſi fuerint Impoſtores, & totum hoc commentum ad propria commoda retulerint, mirum ſanè eſt, quòd gloriam omnem tantô ſtudiô

ſtudiò à ſe amoveant, uníque DEO & CHRISTO adſerant: Et, cùm barbari quidam eos pro Diis habere vellent, mirari ſubit, eos id honoris tantoperè exſecratos eſſe. Quis non videt, quantoperè hæc agendi ratio ab Impoſtorum indole moribúſque aliena ſit? SECUNDO, ſi fuerint Impoſtores, concipi nequit, quomodo Impoſtores illi nequiſſimi, tam eximias Dei notiones tradiderint, tam eximiè de hominum officiis, virtutibúſque, ratiocinati ſint, nihil ut ſimile ab ullis Philoſophis, ulliſque mortalibus, unquam dictum fuerit. TERTIO, ſi fuerint Impoſtores, quomodo Præceptores adeò impii, tam pios, tam ſinceros Diſcipulos educârunt? Quomodo ea, quorum falſitatem noverant, tanto ſucceſſu aliis perſuaſerunt, & ita quidem perſuaſerunt, ut innumeri, omnis gentis, omnis ſexûs, omnis ætatis & conditionis, Chriſtiani, Doctrinam Chriſtianam ſua in vita mirè expreſſerint, & inter maxima tormenta defenderint? Utique, viles Impoſtores, homines ad omnem nequitiam natos, tam eximios effectus producere, vix ac ne vix quidem concipi poteſt. DENIQUE, hoc audacter adſerimus, quòd, ſi hæc impoſtura fuerit, nulla unquam impoſtura tam ſingularis viſa ſit; nulla videlicèt, neque à talibus auctoribus, miſeris piſcatoribus, opificibus Judææ; neque tam malè conſuta, contra Gentium omnium opiniones, hominúmque adfectus; neque quæ tam infeliciter auctoribus ipſis ceſſerit, utpote qui nihil niſi cruces atque ærumnas exinde lucrati ſunt; neque poſtremò, quæ tam ſtupendum ſucceſſum in Orbe obtinuerit, ita ut, paucorum annorum ſpatio, abſque armis, abſque opibus, abſque ullo humano præſidio, univerſum Orbem pervaſerit. Hæc omnia certè ita ſunt mira, ita ſingularia, ita ab omni probabilitate & ſimilitudine veri aliena, ut hinc ſinceritas Apoſtolorum, ipſiúſque adeò CHRISTIANÆ RELIGIONIS veritas ac divinitas, luculentiſſimum in modum confirmentur.

XLIX. Nam, quod adtinet ad quintam Hypotheſim, quæ ſtatuit, *Miracula omnia à Novi Teſtamenti Libris primùm abfuiſſe, nec niſi procedente tempore alienâ manu inſerta eſſe*, ea certè

certè ita inepta eſt, ut refelli vix mereatur. Nec enim hîc agitur de paucis quibuſdam, minimíque momenti, locis; ſed de multa, imò longè maxima horum Librorum parte; & tali quidem parte, quæ cum cæteris omnibus arctiſſimè connectitur, neque ab iis ullô pactô divelli poteſt. Quid enim eſt hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum, niſi perpetua Miraculorum ſeries? Et quis non videt, Miracula illa, cæteris omnibus ita implicari, in tota Doctrina ita ſupponi, totámque Doctrinam ita comprehendere, ut, iis demptis atque erafis, cætera evaneſcant, & nihil ferè ſignificent? Adhæc, ſi liceat, abſque ulla ratione, abſque ulla Codicum auctoritate, abſque ullis Scriptorum æqualium, aut vicinorum, teſtimoniis, quæcunque non arrident ſtatim diſpungere, atque atro carbone notare, quid tandem certi atque explorati, in Veterum Libris exſtabit? Quæ quidem audacia, ſi in nullis Libris, omnium minimè in iſtis admittenda eſt; ſiquidem nulli unquam Libri tantæ fuerunt celebritatis, nulli tanta reverentia excepti, nullorum exemplaria tam latè diſperſa; proindéque, ut fingi atque ſupponi, ita nec adulterari atque immutari, in maxima ſaltem & momentoſiſſima ipſorum parte, vix ac ne vix quidem potuiſſent. Rursùs, ſi inſerta ſunt alienâ manu Miracula, vel id factum *ſtatim*, vel *longo pòſt tempore*. Non *ſtatim*; nam Factorum teſtes, imò & Librorum Auctores, fraudem detexiſſent: Non *longo pòſt tempore*; nam quicumque Libros illos viderant, atque in manibus habebant (habebant autem, dubio procul, pleríque omnes Chriſtiani) adſumenta illa ſtatim agnoviſſent, neque apud eos fidem impetrâſſent. Poſtremò, id certò conſtat, multos ſtatim Chriſtianos fuiſſe: Quid verò eos ad Chriſtum adduxerat, niſi fides Miraculorum & Reſurrectionis Chriſti? Proindéque hanc Doctrinæ partem, inde ab ipſo ſtatim initio, divulgatam eſſe neceſſe eſt.

L. Sola ergo ſupereſt Hypotheſis ſexta, quintæ quadantenùs adfinis, ſed aliter tamen diſpoſita. Dicunt nimirùm, *totam hanc Hiſtoriam, ea in primis quæ ad Miracula ſpectant, ex meris vulgi rumoribus ortum duxiſſe; ita ut non ſimul ac ſemel, ſed*

variis gradibus, variisque auctoribus, fabricata hæc fuerint; quemadmodum innumeræ Fabulæ, speciatim circa res miras atque prodigia, & fabricatæ olim fuerunt, & quotidie etiam fabricantur atque augentur. Hæc Hypothesis, primo statim adspectu, colorem aliquem habere videtur: At, si penitiùs introspexeris, non minoribus, quàm eæ quæ antecesserunt, premi absurdis deprehendetur. Ac sanè, vagi rumores nihil certi habent; ignoratur eorum ortus, ignorantur auctores, & quò plus inspiciuntur atque expenduntur, eò minùs fundamenti in iis apparet: Hic alia omnia occurrunt; noscitur tempus, noscitur locus, noscuntur auctores & promotores rei Christianæ; & quò plus expenditur, eò plura credendi fundamenta reperiuntur. Ad hæc, vagi rumores sibi non constant, variè à variis referuntur; quo fit ut res manifestè falsas, imò & secum pugnantes, plerumque contineant: At verò nihil hîc simile; Nihil habet Christianum Systema, quod non sit optimè compactum, quod secum optimè non consentiat. Præterea, grati quidem rumores, Populorúmque ingenio congrui, facilè finguntur & disseminantur: At, si agatur de rebus ingratis, de rebus hominum opinionibus commodísque adversis, quarum proinde falsitatem demonstrari multorum interest, utique, talibus in casibus, non ita facilè, innumeris hominum myriadibus, omnis gentis, omnis ætatis, omnis sortis, imponi potest: Hunc verò Christianæ Religionis casum esse, nemo non videt. Rursùs (quemadmodum jam notavimus ad superiorem Hypothesim) vel rumores illi *statim* sparsi sunt, vel *longo pòst tempore*: Quorum utrumque, ob rationes adlatas, vix ac ne vix quidem statui potest. Denique id habent rumores vagi, quòd vix unquam diuturni sint; Cùm fundamento destituantur, ex se ipsis statim corruunt, & ventorum in morem diffluntur. Contrà verò hæc Christi Historia, utut à multis oppugnata, multorúmque studiis contraria, mirè tamen per Orbem invaluit, & longè latéque disseminata est. ATQUE sic patet, quocunque se vertant, quæcunque imaginentur & comminiscantur Increduli, nihil eorum stare posse; ea omnia sexcentis incommo-

modis, ſexcentis abſurdis ſcatere; proindéque, non aliam Hypotheſim, quàm quæ *Facta Evangelica* ſtatuit, ipſiúſque adeò *Chriſtianæ Religionis veritatem* agnoſcit, à Viris ſapientibus, & veri ſtudioſis, admitti poſſe. Quod erat demonſtrandum.

LI. Unum & alterum adjungi par eſt, quibus veritas *Miraculorum Evangelicorum*, ipſiúſque adeò *Chriſtianiſmi*, non mediocriter confirmabitur. Primo quidem dignum notatu eſt, Miraculorum Chriſti veritatem, ab infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus, non ſemel agnitam eſſe. Judæi certè, ſicut ipſo Chriſti tempore, ita & ſequentibus ætatibus, Chriſti Miracula negare auſi non ſunt; ea tantùm Magicis artibus, quas dixerunt eum in Ægypto didiciſſe, vel aliis ejuſmodi nugis, accepta retulerunt; quemadmodum conſtat ex non uno *Talmudis* loco, aliiſque ipſorum Libris. Pariter Celsus, non negabat quidem, Miracula Chriſtum edidiſſe, ſed ea etiam Magicis artibus adſcribebat, teſte *Origene*, Lib I. cont. Celſ. pag. 7. Sic etiam Julianus Apoſtata, Chriſti ſanationes non inficiatur; eas tantùm verbis deprimit; *Niſi quis*, ait, *claudos & cæcos curare, & dæmonio correptos adjurare, in pagis Bethſaida & Bethania, magni alicujus facinoris loco habeat.* Julian. ap. Cyril. Alex. Lib. VI. Addi & alii Scriptores Ethnici poſſent; v. g. Phlegon Trallianus, Hadriani Imp. Libertus, qui defectioni Solis, quæ tempore mortis Chriſti accidit, teſtimonium perhibuerat, ut refert *Euſebius* in Chronico; qui etiam nonnulla de vaticiniis Chriſti dixerat, teſte *Origene* Lib II. cont. Celſ. * Quanti verò ſit ponderis, confeſſio Adverſariorum, Chriſtianæ rei ita infenſorum, ſimúlque tantæ doctrinæ, tantíque ingenii, quales fuére *Celſus*, *Julianus*, aliique, nec non & totius *Gentis Judaïcæ*, prædicari ſatis non poteſt.

* Imò & plures Philoſophi, Chriſtiano nomini infenſiſſimi, Philostratus, Hierocles, aliique, qui, in æmulationem Miraculorum Chriſti, paria Miracula *Apollonio Tyaneo*, aliiſque ſuis Heroibus, adfinxerunt, eó ipſô Miraculorum Chriſti veritatem, ſi non aperte, ſaltem tacitè, agnoviſſe dici poſſunt. Etenim, ſi veritatem Factorum Evangelicorum convellere potuiſſent, eâ ratione, procul dubio, tanquam breviore atque certiore, Chriſtianiſmum adorti eſſent. Legi meretur, hanc in materiam, Viri Celeberrimi, Jo. Franc. Buddei, Diſſert. Hiſt. Theol. VI. de *Veritate Religionis Chriſtianæ Philoſophorum Gentilium obtrectationibus confirmata*, p. 500.

LII. ALTERUM, quod hic adjungimus, hoc est; scilicèt, Miracula quidem, in seipsis tantùm spectata, parùm verisimilia esse: At, si cum cæteris Factis, quæ indubitatæ veritatis sunt, connectantur, tantùm abest ut verisimilitudine careant, ut contrà, ea falsa esse, ab omni verisimilitudine prorsùs abhorreat. Observationem hanc eximiè urget Celeberr. WERENFELSIUS, in Dissertatione de *Veritate Miraculorum S. Scripturæ*, digna omninò quæ legatur. Enimverò, tolle Miracula: An concipi potest, viles piscatores, quales erant Apostoli, tale consilium, qualis fuit Gentium omnium à receptis Sacris abductio, & ad Christianam fidem conversio, animo finxisse atque suscepisse? Fac Miracula meram fraudem esse: An concipi potest, fraudem illam, à tot Adversariis, adeò potentibus, adeò perspicacibus, demonstratam modo irrefragabili atque eversam non esse? Aufer Miracula: An concipi potest, universum Terrarum Orbem, absque armis, absque opibus, absque ullis humanis auxiliis, ad Christianam Fidem adductum esse? Quod ultimum, à CHRYSOSTOMO atque AUGUSTINO, jam pridem observatum est. Εἰ σημείων χωρὶς ἔπεισαν, inquit ille, πολλῷ μεῖζον τὸ θαῦμα φάνεται. *Si absque Miraculis persuaserint* Apostoli, *id longè majus Miraculum videtur.* In 1. ad Cor. cap. II. Hom. VI. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit,* (verba sunt *Augustini*) *magnum est ipse prodigium, qui Mundo credente non credit. Verùm hoc ideò dicunt, ut nec tunc illa Miracula facta fuisse credantur. Unde ergo tanta fide Christus undequaque cantatur in Cœlum sublatus? Unde temporibus eruditis, & omne quod fieri non potest respuentibus, sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit Mundus?* AUGUST. de Civ. D. Lib. XXII. cap. 8. Sed plura nos, hanc in materiam, cùm de *Evangelii propagatione* verba faciemus.

CON-

CONCLUSIO.

LIII. His, de teſtimonio Apoſtolorum, circa Miracula Evangelica, & argumento hinc deducto; ſic poſitis atque demonſtratis, adpellamus iterùm conſcientiam Lectorum omnium ſapientium, & veri ſtudioſorum, utrùm major, de ullorum Teſtium fide, & veritate ullorum Factorum, evidentia haberi poſſit? Si agatur de Lite quapiam, quis Judex Teſtes ejuſmodi pro legitimis non habeat? quis Judex Facta hôc modô probata, pro legitimè probatis non admittat? Hoc conſtat, innumera pro certiſſimis quotidie haberi, neque à quoquam in dubium vocari, quæ ne dimidiam quidem partem hujus evidentiæ in ſe continent: Et tamen Increduli ipſi de iis certiſſimi ſunt; neque verentur, ſua omnia jura, fortunas, opes, vitámque ipſam, ejuſmodi perſuaſioni committere. Qui fit igitur, ut, quæ in cæteris omnibus ſufficiunt, iiſdem, in Religionis negotio, convinci nolint? Sanè id prodit animum non rectum, nec tam de vero inveſtigando, quàm de retinendis dubiis, & excutiendo Religionis jugo, cogitantem. Quòd ſi aliter diſpoſiti eſſent, longè majus Factis Evangelicis, & argumentis ea confirmantibus, pretium ponerent. Etenim, id confidenter adfirmare poſſumus, & ex antè dictis luculenter ſequi exiſtimamus, *nullum eſſe Factum in Hiſtoria Veteri*, (ne unum quidem, quodcunque tandem ſit, exceptum volumus) *quod tam inſignibus, tam fide dignis teſtimoniis nitatur.* Unde & hanc concluſionem elicere poſſumus, vel *omnia, quanta quanta ſunt, Veteris Hiſtoriæ Facta neganda, aut ſaltem in dubium vocanda*, quod nemo ſanus à ſe impetrabit, *vel hæc noſtra admittenda eſſe.* Quibus poſitis, quid, ad plenam atque omnimodam Christianæ Religionis confirmationem, deſiderari ultrà poſſit, nos quidem non perſpicimus. Optimè Nicodemus, Chriſtum adloquens: *Magiſter, ſcimus te* Doctorem a Deo profectum *eſſe; Nemo enim ea Signa poteſt facere, quæ tu facis, niſi* Deus sit cum eo.

Joh. III. 2. Sapientiſſimè etiam CÆCUS ille, quem Chriſtus luce donaverat: *Scimus Deum peccatores non exaudire; ſed, ſi quis Dei cultor ſit, ejúſque voluntatem faciat, ipſum exaudit. Ab omni ævo auditum non eſt, quenquam oculos cæci nati aperuiſſe: Si* HIC A DEO NON ESSET, *tale quidquam facere non potuiſſet.* Joh. IX. 31. 32. 33.

PRÆSES RESPONDENTI.

Macte animo, JUVENIS PRÆSTANS; *tua perfice cæpta:*
Nobiſque & Patriæ, ſi pote, reddito AVUM.
Multa domi tibi ſunt Virtutum exempla ſequenda:
Hæc ſequere; & factis, ſi pote, reddito AVUM.
Illum jam ſtudiis, illum jam nomine reddis:
Doctrina & meritis, Tu quoque reddito AVUM.
Dum PATER *ad Patriæ clavum ſedet, omine fauſto,*
Tu interea in Sacris, ſi pote, reddito AVUM.
Id vovi, id cecini, ſeptennis cùm puer eſſes;
Nunc magis id repeto, SI POTE, REDDITO AVUM.

FINIS.

DISSER.

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Habita eſt diſputatio, reſpondente HORATIO BENEDICTO MALLET *Genevenſi.*

SECTIO SEXTA.

Quâ veritas & divinitas CRISTIANÆ RELIGIONIS, *argumento é* PROPHETIIS *ducto, confirmatur.*

THESIS PRIMA.

INter admiranda illa Opera, quibus DEUS Opt. Max. traditis à ſe Revelationibus, auctoritatem apud homines fidémque conciliavit, haud infimum locum obtinent PROPHETIÆ, ſeu futurorum Prædictiones: Quæ pro Judaica Religione quantùm faciant, ſuo loco oſtendimus; pro CHRISTIA-

TIANA quantùm militent, nunc pariter demonſtrandum eſt.

II. Certè, futurorum notitia, eorum ſaltem quæ, ex naturalibus indiciis, arte quadam aut conjecturâ, minimè dignoſcuntur, Enti Supremo, rerum omnium Cauſſæ atque Arbitro, ita propria eſt ac peculiaris, ut in aliud nullum Ens cadere poſſit. Propterea DEUS non alio magis charactere ſe à falſis Diis diſtinguit. *Annuntiate quæ eventura ſunt, & cognoſcemus quòd Dii eſtis.* Eſai. XLI. 23. *Quis ſicut ego, qui vocet & annuntiet iliud?* &c. *Quæ futura ſunt, & quæ eventura, nuncient illis.* Ibid. cap. XLIV. 6. *Priora jam olim annuntiavi, & ex ore meo exierunt, audire feci ea: repentè feci, & evenerunt. Annuntiavi tibi jam olim; antequàm eveniret, prædixi tibi: ne fortè diceres, Idolum meum fecit hæc, & ſculptile meum præcepit ea.* Ibid. Cap. XLVIII. 3. 5.

III. Neque verò id Ethnicis ignotum: apud quos *Divinatio*, ſicut ipſa vox indicat, pro re *divina* habebatur: neque ipſorum Vates, Augures, Aruſpices, Arioli, aliunde quàm ab ipſis Diis futurorum præſenſionem ſibi contingere exiſtimabant. Nam, ad Homines quidem quod adtinet.

Neſcia mens hominum fati, ſortíſque futuræ.

Sed, quod ad Deos, *nota eſt illis*, inquit SENECA, *operis ſui ſeries. Omnium illis rerum per manus ſuas iturarum ſcientia in aperto ſemper eſt nobis ex abdito ſubit. Et quæ repentina putamus, illis proviſa veniunt ac familiaria.* SENEC. de Benef. Lib. IV. Cap. 32.

IV. Antequàm verò ad rem accedamus, revocandum eſt in mentem, quod alio jam loco monuimus, dum Religionem Judaïcam ex Prophetiis demonſtraremus: Tria nimirùm requiri, ut argumentum aliquod é Prophetiis ductum valeat. *Primum*, ut conſtet, Prophetias illas ante eventum prolatas eſſe. *Alterum*, ut conſtet, Prophetiis illis eventum reſpondiſſe. *Tertium*, ut de eo rerum genere agatur, quæ humana arte ac ſagacitate prænoſci non potuerint. Quibus & hoc quoque addidimus, eò illuſtriores eſſe Prophetias, eóque validius argumentum ex iis duci, quò longiore intervallo eventum antecefſëre, quò plures rei circumſtantiæ prænuntiatæ ſunt, quò circum-

cumſtantiæ illæ magis ſunt ſingulares, magis ſtupendæ, minùs veriſimiles, in primis verò quò res prædictæ ab hominum arbitrio magis pendere deprehenduntur. Hæc ubi adſunt, ibi Dei virtutem luculentiſſimè ſe exſerere, nemo eſt qui non videat.

V. Sunt & alia quædam, ad hoc argumentum rectè intelligendum, præmittenda. *Primum*; non eam quærendam in Vaticiniis perſpicuitatem, quæ in rerum præteritarum narratione reperitur. Semper aliquid habent caliginis, ſeu quòd generalia tantùm proferant, ſeu quòd locutionibus obſcurioribus ac figuratis concipiantur, ſeu quòd res diverſas inter ſe miſceant, rerúmque ordinem non ſemper ſequantur. *Alterum*; non ſemper unum ac ſimplicem Prophetiarum ſcopum eſſe, ſed eas non rarò ad varia reſpicere, quæ, nonniſi per partes, & variis quaſi gradibus, adimplentur. *Tertium*; in Vaticiniis, ut cæteris omnibus ſermonibus, ad vim vocum, ad Scriptorum indolem, & cæteras Critices regulas, ſedulò adtendendum eſſe. Quamobrem, ſi ad certa facta adtendendo, vel nullus, vel debilis admodum ac imperfectus ſenſus exſurgat, in ſenſu illo adquieſcere non licet. Si verò alii Eventus occurrant, quibus Vaticinia illa longè pleniùs ac perfectiùs conveniant, ea utique ad poſteriores hoſce Eventus potiſſimùm referri par eſt. Verbo dicam; Sunt Prophetiæ velut *Ænigmata* quædam, quibus ſi quid non plenè conveniat, non ea cenſenda eſt, ſaltem plena atque perfecta, Ænigmatum illorum interpretatio: At, cùm omnia aptiſſimè quadrant, eam eſſe veram clavem, verúmque ſenſum, pro certo ſtatuendum eſt. *Poſtremò*, quò plures ſunt, quò clariores ac illuſtriores rei ejuſdem prædictiones, eò plenior, de vero earundem ſcopo, veráque interpretatione, perſuaſio haberi poteſt.

VI. His poſitis, duo ſunt Prophetiarum genera, pro Chriſtiana Religione militantia: Prophetiæ *Veteris Teſtamenti*, in Novo impletæ: Et Prophetiæ à *Chriſto* ipſo & *Apoſtolis* prolatæ, quæ eventum jam ſortitæ ſunt. Ut verò Prophetias omnes, utriuſque illius generis, adducceremus atque urgeremus, id compendii noſtri rationem excederet. Ergo, ut argumenti hu-

jus robur demonſtremus, ſimúlque brevitati conſulamus, placet uni atque alteri Exemplo, ſed illuſtriſſimo, omníque exceptione majori, in præſentia immorari. Et ex Prophetiis quidem V. T. ſub Evangelio impletis, ſeligimus eas Prophetias, quæ de *Vocatione Gentium* agunt, quæ re verâ frequentiſſimæ ſunt, & ſub Evangelio luculentiſſimè ſunt adimpletæ. Inter Prophetias verò N. T., ea Chriſti Vaticinia ſeligimus, quibus *Judaïcæ Gentis Excidium* prænuntiavit; quorum veritas, eventu triſtiſſimo, nimio plus comprobata eſt. De duplici illo Prophetiarum ordine breviter dicemus, & ex utroque Chriſtianæ Religionis veritatem non parùm confirmabimus.

§ I.

Ex Oraculis V. T., quæ de Vocatione Gentium *agunt, Chriſtianæ Religionis veritas adſeritur.*

VII. Igitur, ut ab iis V. T. Oraculis, quæ de *Vocatione Gentium* agunt, initium faciamus, nemo neſcit, Dei Fœdus, ſub V. T., intra unam familiam primùm, deinde intra unam Gentem, ex familia illa derivatam, reſtrictum fuiſſe: Ita ut ſola illa Gens Dei Populus κατ' ἐξοχὴν diceretur; ſola, veri Dei cognitione, adcurarâ ſaltem, gauderet; ſola, ejus Oracula acciperet; ſola, Cultum ab eo præſcriptum exhiberet; ſola, ejus favore ac promiſſis recrearetur; ſola denique, Deum ipſum Regem ac Principem veluti agnoſceret: Etenim has fuiſſe, primùm quidem Abrahami Familiæ, deinde Populi Iſraëlitici prærogativas, nemo niſi in Veteri Codice planè hoſpes ignorare poteſt.

VIII. At verò prærogativas illas aliquando ad Gentes omnes, nullo diſcrimine, extendi debuiſſe, innumera V. T. loca prænuntiant. Nos præcipua tantùm, maximéque illuſtria, hîc referemus.

IX. Et inter iſta quidem agmen ducet NOACHI Oraculum, quod Gen. IX. 27. exſtat; ubi, Filiorum fata prænuntians, de *Ja-*

Japheto sic loquitur; יפת אלהים ליפת (quæ est elegans paronomasia) *Alliciet*, vel *dilatabit Deus Japhetum, ut habitet in tentoriis Semi.* Quamvis enim Oraculum illud, de numerosa Japeti prole, ampliandisque illius sedibus, per eas etiam regiones quæ Semi familiæ primùm obtigerant, * quodammodo exponi possit, aliquid tamen ulteriùs promitti, ad Religionem quod adtinet, antecedentia non obscurè innuunt. Dixerat enim Patriarcha de Semo, *Benedictus Jehova Deus Semi*; quô innuebatur, Deum aliquanto tempore Semi familiæ Deum peculiari quadam ratione futurum, cæteros verò Populos eâdem prærogativâ non fruituros. Mox addit, fore ut *Deus alliciat Japhetum, ut habitet in tentoriis Semi*, hoc est, effecturum Deum, Vocationis suæ potentiâ & suavitate, ut Gentes é Japeto ortæ in Ecclesiam adducantur, quæ antea Semi familiæ veluti inclusa fuerat. Hæc certè est *Jonathanis*, Chaldæi Paraphrastæ, interpretatio: *Condecorabit Dominus terminos Japheti, & proselyti fient Filii ejus, & habitabunt in Schola Semi.* Quæ est etiam *Chrysostomi, Hieronymi, Augustini*, aliorúmque Christianorum Interpretum, sententia.

X. Verùm nihil clarius, nihil apertius, quàm eximiæ illæ Promissiones, ABRAHAMO Fidelium parenti, semel atque iterùm, imò verò & tertiùm factæ, de *Gentibus omnibus* ac *familiis terræ, in ipso & ejus semine benedicendis.* Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. Quæ Promissiones, ISAACO iterùm atque JACOBO, à Deo confirmatæ sunt. Gen. XXVI. 4. XXVIII. 14. Quod quomodo impleri posset, nisi Gentes omnes ad veri Dei cognitionem adducerentur, & in ejus fœdus admitterentur, in mentem cadere nequit.

XI. Sequitur nobilissimum illud JACOBI Vaticinium, Gen. XLIX. 10. ubi de *Schilo*, hoc est Messia, agens, (quæ quidem est, Paraphrastarum Chaldæorum, & celeberrimorum Rabbinorum, interpretatio) addit, ולו יקהת עמים, *Populorum adgregationem*, vel *expectationem*, vel *obedientiam, ad ipsum pertinere.* Quod, quomodocumque intelligatur, evidentissimè

* Vid. BOCHART. Phaleg. Lib. III. cap. 1.

notat, Meſſiæ regnum, non ad ſolos Iſraëlitas, ſed & ad reliquos Populos extendendum eſſe.

XII. Occurrit poſtea illuſtriſſimum MOSIS, vel Dei potiùs Oraculum, Deuter. XXXII. 21., quô, inter alias minas Iſraëlico Populo intentatas, hæc habentur notatu digniſſima; *Commoverunt me ad zelotypiam eô quod non eſt Deus, irritaverunt me vanitatibus ſuis: Et ego quoque eorum zelotypiam excitabo, eô qui non eſt Populus, & Gente ſtultâ irritabo eos.* Quibus verbis, Judæorum rejectionem, & Populorum Ethnicorum in Dei fœdus admiſſionem, unâ eadémque operà prædici, nemo eſt qui non videat.

XIII. Sed & plurima in PSALMIS exſtant, de Gentibus omnibus ad Dei cognitionem & cultum adducendis, Oracula. Sic Pſalmo II. Deus dicit Meſſiæ, cujus nonniſi Typus imperfectus fuerat David, *Poſtula à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Sic Pſ. XXI. 18. *Recordabuntur, & convertentur ad Jehovam omnes fines terræ; & inclinabunt ſe coram te univerſæ familiæ Gentium.* Pariter Pſ. LXXII. 8. & ſeq., ſub typo Salomonis, Meſſiæ regnum deſcribitur; *Dominabitur à mari uno uſque ad alterum, & à flumine uſque ad terminos terræ. Coram eo procident habitatores deſerti* &c. *Et incurvabunt ſe ei omnes Reges, & Gentes omnes ſervient ei.* Quæ omnia cùm in Salomone haudquaquam impleta fuerint, neceſſariò ſequitur in alio implenda fuiſſe. Neque omittendus Pſ. LXXXVII. 4. 5. *Memorabo Ægyptum & Babylonem inter eos qui me noſcunt: Ecce Palæſtina & Tyrus cum Æthiopia; Iſte natus eſt ibi. Et de Sione dicetur, Hic & ille natus eſt in ea.* Ut jam mittamus alia innummera Pſalmorum loca, quibus Gentes omnes ad Deum laudandum excitantur, imò & Deum adoraturæ, ejúſque imperio ſe ſubdituræ prænuntiantur.

XIV. Verùm illa Gentium vocatio ab inſequentibus Prophetis clariùs adhuc prænuntiata eſt. Pauca de multis loca adducemus. Certè ESAIAS, ordine primus, notabilem illum eventum quamplurimis in locis prædicit. Sic cap. II. 2. 3. *Et hoc*

eve-

niet in noviſſimis diebus; conſtituetur Mons Domûs Jehovæ in vertice montium, & elevabit ſe præ collibus, & confluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt Populi multi, & dicent, Venite, adſcendamus ad montem Jehovæ, ad domum Dei Jacobi, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus; quia è Sione exibit Lex, & verbum Jehovæ ex Jeruſalem. Sic cap. XI. 9. 10. dicitur *repletam fore terram cognitione Jehovæ, adinſtar aquarum mare operientium; & radicem Iſaï, quæ ſtabit in vexillum Populorum, Gentes quæſituras* &c. Et cap. XIX. 18. 19. 20. 21. prædicitur, *Urbes Ægyptias ſermone Chananæorum uſuras, & juraturas per Jehovam exercituum*; & fore *altare Jehovæ in medio terræ Ægypti*; & *clamaturos ad Jehovam, qui Servatorem ipſis mittet*; & *Ægyptios agnituros Jehovam, & allaturos ſacrificium, & oblationem, & vota Jehovæ nuncupaturos atque ſoluturos.* Quo fit, ut, in fine ejuſdem capitis, *Ægyptii* & *Aſſyrii* Iſraëlitis adjungantur, tanquam ejuſdem benedictionis divinæ participes; *Benedictus populus meus Ægypti, & Aſſur opus manuum mearum, & hæreditas mea Iſraël.* ℣. 25. Hinc cap. XLII. 1. & ſeq. de Meſſia dicitur, eum *judicium Gentibus prolaturum, & Legem ejus Inſulas exſpectaturas*; Deum *ipſum daturum in fœdus Populi, & in lucem Gentium; ut aperiat oculos cæcorum, ut educat è carcere vinctum*, &c. Unde & mox, Gentes omnes terræ, ad *Deo pſallendum, laudéſque ejus celebrandas*, excitantur. Paria habentur capp. XLIII. XLIV. XLV. Et rursùs cap. XLIX. 6. *Parùm eſt, ut ſis mihi ſervus, ad ſuſcitandas tribus Jacobi, & ad reducendas deſolationes Iſraëlis: Etiam dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Et cap. LIV. 1. 2. 3. *Lætare, ſterilis, quæ non pariebas; prorumpe in laudem, & exulta, quæ non parturiebas: quia plures ſunt filii deſertæ, quàm ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tabernaculi tui, & cortinas tentoriorum tuorum*, &c. *Ad dexteram enim & ſiniſtram dilataberis; & ſemen tuum Gentes hæreditate accipiet, & civitates deſolatas inhabitabit.* Sic etiam cap. LV. 4. 5. *Ecce teſtem Populis dedi eum, ducem & præceptorem Gentibus. Ecce Gentem quam neſ-*

ciebas, vocabis; & Gentes quæ non noverant te, ad te current, propter Jehovam Deum tuum, & ſanctum Iſraëlis, quia glorificabit te. Et cap. LX. 1. &c. *Surge, illuminare: quia venit lumen tuum, & gloria Jehovæ ſuper te orta eſt.... Et ambulabunt Gentes ad lumen tuum, & Reges ad ſplendorem ortûs tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt ad te: Filii tui é longinquo venient, & filiæ tuæ ad latus nutrientur.* Pariter cap. LXV. 1. *Quæſitus ſum ab iis qui antea non interrogabant, inventus ſum ab iis qui non quærebant me: Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad Gentem non vocatam nomine meo.* Et rursùs cap. LXVI. 18. & ſeq. *Veniet tempus, quô congregabo omnes Gentes, & linguas; veniéntque & videbunt gloriam meam: Ponámque in eis ſignum, & mittam ex iis qui ſalvati fuerint, in Tarſis, in Africam, in Lydiam, ad Jubal & Javan* (Vulgatus habet, *in Italiam & Græciam*) *& Inſulas remotas, quæ non audierunt famam meam, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam in Gentibus. Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus, donum Jehovæ*, &c. Hæc aliáque benè multa exſtant apud Eſaïam Vaticinia, ad hanc materiam pertinentia: De cæteris Prophetis ſtrictiùs dicemus.

XV. Apud JEREMIAM, ſic legitur cap. III. 17. *In tempore illo vocabunt Jeruſalem, ſolium Jehovæ; & congregabunt ſe ad eam omnes Gentes, in nomine Jehovæ habitantis in Jeruſalem; neque ambulabunt ultrà poſt duritiem cordis ſui mali.* Et cap. XVI. 19. & ſeq. *Jehova fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die afflictionis: Ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent, Verè mendacium poſſederunt Patres noſtri, vanitatem quæ eis non profuit. Numquid faciet ſibi homo Deos, & ipſi non ſunt Dii. Idcircò ecce oſtendam eis hac vice, oſtendam eis manum meam, & fortitudinem meam; & ſcient quòd nomen meum eſt Jehova.* Apud DANIELEM, cap. VII. 13. 14. dicitur, *Filio hominis*, hoc eſt Meſſiæ, *datum iri poteſtatem, & gloriam, & regnum; omnésque populos, tribus, & linguas, ei ſervituros.* Apud OSEAM dicitur de Iſraële fideli, cap. I. 10.

10. quòd *numerus eorum erit ſicut arena maris, quæ nec numeratur, nec menſuratur; & cùm antea diceretur eis, Vos non eſtis Populus meus, dicetur eis, Filii Dei viventis.* Joel prædicit, cap. II. 28. fore ut Deus *effundat Spiritum ſuum ſuper omnem carnem.* Micheas cap. IV. ea repetit, quæ apud Eſaïam cap. II. jam vidimus. Sophonias, cap. II. 11. prænuntiat, quòd *Jehova attenuabit Deos omnes terræ; & adorabunt eum quiſque de loco ſuo, & omnes Inſulæ gentium.* Ejuſdem eſt egregium Oraculum, cap. III. 9. Deum *mutaturum Populorum labia*, eísque daturum *labium purum, ut invocent omnes nomen Jehovæ, eique ſerviant humero uno.* Apud Aggæum, vocatur Meſſias *deſiderium omnium Gentium*, dicuntúrque Gentes omnes eâ occaſione *commovendæ*; cap. II. 8.

XVI. Sunt & præclaræ apud Zachariam ejuſdem eventûs prædictiones. Cap. II. 10. 11. *Lætare, filia Sion, quia ecce veniam, & habitabo in medio tui, ait Jehova. Et congregabuntur Gentes multæ ad Jehovam in die illa, erúntque mihi in populum, & habitabo in medio tui*; &c. Cap. VIII. 20. & ſeq. *Sic ait Jehova exercituum, adhuc erit tempus, quô venient Populi, & habitatores Urbium magnarum. Ibúntque habitatores unius ad alteram, & dicent, Eamus ut deprecemur faciem Jehovæ, & quæramus Jehovam exercituum; dicéntque ſinguli, Vadam etiam ego. Venient itaque Populi multi, & Gentes robuſtæ ad quærendum Jehovam exercituum in Jeruſalem, & ad deprecandum faciem Jehovæ. Sic dicit Jehova exercituum, In diebus illis apprehendent decem viri ex omnibus linguis earum Gentium, apprehendent, inquam, fimbriam viri Judæi, dicendo, Ibimus vobiſcum; audivimus enim Deum vobiſcum eſſe.* Et cap. IX. 10. de Meſſia dicitur, quòd *loquetur pacem Gentibus; & dominium ejus extendet ſe à mari uſque ad mare, & à fluvio uſque ad terminos terræ.* Iterùm cap. XIV. 8. 9. *Et hoc erit in die illa; egredientur aquæ vivæ de Jeruſalem, media pars ad Mare Orientale, & media pars ad Mare noviſſimum*, &c. *Et erit Jehova Rex ſuper univerſam terram; nam in die illa erit Jehova unus, & nomen ejus unum.* Mox & ℣. 16.

16. *Quotquot reſidui fuerint de univerſis illis Gentibus, quæ venturæ ſunt contra Jeruſalem, aſcendent ſingulis annis, ut adorent Regem Jehovam exercituum*, &c. Poſtremò, hîc omittendum non eſt eximium MALACHIÆ Oraculum, cap. I. 11. *Ab ortu Solis uſque ad occaſum ejus, magnum erit nomen meum inter Gentes, & in omni loco incenſum offeretur nomini meo, & oblatio munda: Certè magnum erit nomen meum inter Gentes, dicit Jehova exercituum.* Et hæc quidem ſunt præcipua V. T. Oracula, ad *Vocationem Gentium* pertinentia: Alia non pauca ejuſdem generis, brevitati ſtudentes omittimus.

XVII. Nunc, ut robur Oraculorum illorum pateat, quatuor demonſtranda ſunt. *Primum*; Oracula illa ante tempus Evangelii prolata, non verò pòſt fabricata eſſe. *Secundum*; in Oraculis illis re verâ prædici, Gentium univerſarum, ad verum Deum cognoſcendum, cúmque purè colendum, Vocationem. *Tertium*; Vocationem illam ſub Evangelio re ipſâ contigiſſe, adeóque Prophetias illas cum eventu optimè conſentire. *Quartum*; De eo rerum genere hîc agi, quæ humanâ arte & ſagacitate prænoſci non poterant. Quatuor illa, breviter, & nullo negotio, demonſtrari queunt.

XVIII. I. Et primò quidem *Oracula iſta ante tempus Evangelii prolata eſſe*, ita certum eſt ut nihil certius. Quis enim neſcit, Veteris Teſtamenti Libros, quibus ea continentur, longè ante Chriſti & Apoſtolorum tempora, ſcripto conſignatos eſſe? Quis neſcit, eos, jam in Græcum ſermonem verſos, jam ubique ſparſos, jam à Judæis omnibus receptos, atque in manibus omnium verſatos eſſe? Quamobrem, nec de *vetuſtate* Librorum ipſorum, nec de Oraculis iſtis recentiori manu inſertis, vel minima ſuſpicio oriri poteſt.

XIX. II. Secundum non minùs certum eſt; nempe, *in Oraculis illis re verâ prædici, Gentium omnium, nullo diſcrimine, ad verum Deum cognoſcendum, eíque purè ſerviendum, Vocationem.* Id certè ex ipſa locorum inſpectione plus ſatis liquet. Verùm, ut de eo pleniùs conſtet, ſequentia notari velimus. *Primò*, longè plurima eſſe, ea Oracula de quibus jam agitur, eandémque

que rem magnâ locutionum atque idearum varietate deſcribere. Si unus tantùm aut alter locus occurrerent, eludi forſan poſſent, & in alienum ſenſum detorqueri. Sed, cùm innumera ſint Oracula illa, utlque nullus dubio, nullus hæſitationi locus ſupereſt. *Secundò*, obſervandum, Gentes vocandas, variis nominibus titulisque deſignari: Dicuntur aliquando *Gentes omnes*, *omnes Populi*, *Familiæ omnes terræ*: Aliquando deſignantur *Ægyptii*, *Arabes*, *Æthiopes*, *Aſſyrii*, *Babylonii*, nec non *& Inſulæ*, quâ voce Populi Europæi in V. T. perſæpe notantur: Aliquando adſeritur, id eventurum *ab ortu Solis uſque ad occaſum ejus*, hoc eſt, per totum Terrarum Orbem: Nonnunquam deſcribitur vocandarum Gentium ſtatus, earum ignorantia, idololatria, vitia, ſcelera, averſio à Deo; Ii dicuntur, qui *non erant Populus Dei*, qui *Deum non cognoſcebant*, qui Deum *non quærebant*; qui erant *cæci*, qui erant *captivi*, qui verſabantur *in regione umbræ mortis*, &c. Quæ omnia Gentibus Ethnicis, antequàm iis illuceſceret Evangelium, nimio plus conveniebant. *Tertiò* notandum, Gentium illarum Vocationem graphicè hîc deſcribi. Dicuntur *cognituri* Deum, eum *adoraturi*, ei *obtemperaturi*: Dicitur, *nomen Dei magnum fore* inter illos: Dicitur, *labia illorum fore pura*: Dicitur, illos *non ampliùs ambulaturos ſecundùm duritiem cordis ſui mali*: Dicuntur à Deo *illuminandi*, à Deo *benedicendi*, eorum *peccata condonanda*, eos evaſuros in *Populum Dei*, &c. *Quartò*, indicatur tempus, quô hæc ſunt eventura; poſt Captivitatem Babylonicam, *noviſſimis diebus*, tempore *Meſſiæ*, cui egregia hæc Facta accepta referuntur; iis temporibus, quibus maxima corruptio fuerit, iis temporibus, quibus Judæi rejicientur. *Quintò* denique notabile eſt, non nos tantùm Chriſtianos, ſed & Judæorum doctiſſimos, pleraque ex his Oraculis ad Meſſiæ tempora referre, qui Gentes omnes ſibi ſubditurus, eásque ad veri Dei cognitionem adducturus ſit.

XX. Erunt tamen qui his opponant, per *totam Terram* & *Gentes omnes*, nonniſi Palæſtinam intelligi; quæ eſt locutio Scriptoribus Sacris, Prophetis potiſſimùm, familiaris. Fa-

temur nos, multis in locis rem ita esse; sed non in Oraculis istis, quibus reliquæ Gentes disertissimè notantur, imò & à Judæis apertè distinguuntur.

XXI. Opponi etiam poterit, nihil aliud hìc prænuntiari, nisi *multos fore Religionis Judaïcæ Proselytos*; quod re verâ non uno tempore accidit, speciatim post Captivitatem Babylonicam. R. Id etiam confitemur; nec negamus, eas Prophetias, de quibus hìc agitur, jam tum impleri cœpisse. Sed profectò hæc minora erant, quàm ut verbis tam magnificis, totiésque iteratis Vaticiniis, prænuntiarentur. Aliquid longè amplius ac illustrius hìc subest: siquidem, non de paucis quibusdam hominibus, sed de Populis integris, imò & Populis universis, hìc agitur.

XXII Dicent, esse tantùm *spes quasdam magnificas*, ad extollendam ac recreandam Gentem Judaïcam comparatas; velut cùm Poëtæ, sui temporis Principibus atque hominibus adulaturi, Aurei Sæculi reditum augurabantur. R. Verùm ipsa verba nimis diserta sunt, nimis prægnantia, nimis multiplicia, quàm ut de inani quadam rei chimæricæ, neque unquam eventuræ, designatione intelligantur. His accedit, quòd hæc non semel, ad Judæorum contumeliam, non laudem, referuntur; ut v. g. Deuter. XXXII. Malac. I. & alibi passim videre est. Quòd si verò dicant, in locis istis *increpationes & minas esse*, haudquaquam repugnabimus, dummodò simul agnoscatur, veras etiam Prophetias esse; siquidem eventus illi, tam diserté, tam præcisè, tótque adjunctis circumstantiis, notantur; ipsóque facto, ut jamjam videbimus, abundè confirmati sunt.

XXIII. Unum erit insuper, quod nobis objiciant; nempe Gentes de quibus hìc agitur, *Judaïcam Religionem amplexuras*, Deóque juxta legem Mosaïcam servituras; Dicuntur quippe *in Templum Hierosolymitanum venturæ, & incensum* ac *oblationes* allaturæ, &c. R. Verùm hæ sunt Cultûs divini descriptiones, ad literæ rigorem non exigendæ, sed ex ipsa rei natura, & aliorum locorum collatione, interpretandæ. Exempli gratiâ, cùm dicitur Es. II. & Mich. IV. *montem domûs Jehovæ exaltatum*

tum iri ſupra verticem reliquorum montium, quis non videt, id ſenſu literali exponi non poſſe? Et cùm additur, *Gentes omnes eò confluxuras*, quis etiam non intelligit, id juxta literam fieri non poſſe, adeóque figuratè exponendum eſſe? Unde apud Malachiam dicitur, *in omni loco* ſuffimentum & oblationes Domino allatum iri. Ergo, ſub cortice Cultûs Moſaïci, & locutionibus ex eo deſumptis, Cultus perfectior à Prophetis deſignabatur; quemadmodum aliô locô pleniùs à nobis oſtendetur.

XXIV. III. Sequitur tertium demonſtrationis noſtræ caput, nempe *Vocationem illam, quæ à Prophetis prænuntiata eſt, ſub Evangelio re verâ accidiſſe, & Gentes omnes, nullo diſcrimine, ad Dei cognitionem atque Cultum adductas eſſe*: Quod quidem, inſtitutô Chriſtianiſmô, ita ſplendidè, ac in omnium oculis, factum eſt, ut longo ad id demonſtrandum ſermone opus non ſit. Quis enim neſcit, CHRISTUM Dominum noſtrum, antequàm in Cœlum adſcenderet, Diſcipulis ſuis in mandatis dediſſe, μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη, *Gentes omnes docere*, vel, ut eſt apud Marcum, *Euntes in univerſum mundum, prædicare Evangelium omni creaturæ*. Matt. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Quod ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, incredibili diligentia ac zelo peractum eſt; Ita ut, paucorum intervallo annorum, univerſum Romanum Imperium, ſeu, quod idem eſt, Orbis univerſus, Evangelii præconio perſonuerit.

XXV. Nec dicendum, *non omnes Gentes ad Evangelium vocatas eſſe*. R. Nam *primò*, Populorum diſtinctio ſublata eſt; Omnes indiſcriminatim vocati. *Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem, omni credenti, Judæo primùm, deinde & Græco*. Rom. I. 16. In Chriſto, *non eſt Græcus & Judæus; circumciſio & præputium; Barbarus, Scytha; ſervus, liber; ſed omnia & in omnibus* CHRISTUS. Coloſ. III. 11. *Secundò*, re verâ Evangelium longè latéque diſſeminatum eſt, ipſo jam tempore Apoſtolorum, ut ex eorum Scriptis adparet. *Sonus eorum in omnem terram exivit, & ad extrema Orbis verba eorum*. Rom. X. 18. Unde & dicitur *prædicatum Evangelium omni*

creaturæ quæ ſub Cœlo eſt. Coloſ. I. 23. Inde ab Apoſtolis, magis ac magis ſalutaris Doctrina diſſeminata eſt: Ita ut nulla hodie notari regio poſſit, ad quam illa non pervenerit.

XXVI. Fruſtrà etiam objiceretur, *nonniſi minimam Terrarum Orbis partem Evangelium re vera admiſiſſe*; adeò ut, * ſi in triginta partes Terra hactenus cognita dividatur, nonniſi quinque vel ſex Chriſto nomen dediſſe perhibeantur. Sc. At verò nihil refert. Sufficit, Evangelium Populis univerſis, nullô excluſô, promulgatum eſſe. Deinde longè plures Populi, quàm ſub Veteri Fœdere, ad veram Religionem adducti ſunt; longè plures verum Deum invocant, eique, ut par eſt, ſerviunt. Nec dubitandum, quin, ante Mundi conſummationem, nova incrementa Chriſti Regnum capiat, ſicque ea Oracula, de quibus hic dicimus, pleniorem exſecutionem ſortiantur.

XXVII. IV. Nihil jam ſupereſt, niſi quartum diſtributionis noſtræ caput; quòd ſcilicèt *ejus ſint naturæ Eventus iſti, ut humanâ arte & ſagacitate prænoſci non potuerint.* Quod quidem ita evidens eſt, ut nihil evidentius. Ac ſanè, ſive non ſupponatur Religio Judaïca, ſive ſupponatur, illa Gentium Vocatio ab omni prorsùs veri ſpecie abhorrebat. Si tollas Religionis Judaïcæ veritatem, quis credidiſſet Judæorum Deum (quæ Gens erat obſcuriſſima & contemptiſſima) ubique annuntiatum iri? Quis credidiſſet, everſis potentiſſimarum Gentium Numinibus, antiquatis Sacris toto Orbe receptis, Religionem novam, ignotam, nihili habitam, nullo ſplendore ſeſe commendantem, nullis humanis præſidiis adjutam, quaquaversùm prævaliturum? Si ponas Religionem Judaïcam, res non minùs ſtupenda eſt, & à veri ſpecie aliena. Etenim videbatur Dei favor ei uni Genti adligatus; Omnia promiſſa, omnia fœdera, ei Genti propria erant: Quo factum, ut à cæterarum omnium commercio abhorrerent, eáſque non ſine ſumma averſatione & contemptu intuerentur. Unde igitur, tot Judæis hominibus, illa, de cæteris omnibus Gentibus ad Dei communionem adducen-

* Vid. BREREWOOD, *Recherches curieuſes ſur la diverſité des Langues & Religions*, Chap. XIV. pag. 203.

ducendis, cogitatio? Unde tam firma, rei tam parùm verisimilis, & ab ideis Judaicis tantoperè alienæ, fiducia? Unde, tot Sæculis antecedentibus, atque à tanta Prophetarum sibi mutuò succedentium caterva, rei tam miræ prænuntiationes? Sanè hæc, non aliunde quàm ab Ente omniscio, simúlque omnipotente, oriri potuêre; non aliunde, quàm ab Eo, qui *ea quæ non sunt, tanquam si essent, vocat*, eáque existere facit: Proindéque luculentissimum inde emergit, atque omni exceptione majus, pro veritate Christianæ Religionis, argumentum.

XXVIII. Summa huc redit; Insignem hîc Eventum occurrere, &, si humana spectentur, planè incredibilem; sed, positâ Dei Providentiâ, Sapientiâ, & Bonitate, Deo dignissimum. Cùm igitur tot Oracula, tanto antè tempore prolata, huc manifestò spectent, & ad Oracula illa mirè responderit Eventus, profectò causa nulla est, cur alii quàm Deo ipsi, & Oracula, & Eventus, & ipsa proinde Doctrina, cui confirmandæ inserviunt, accepta referantur.

§. II.

E Christi *Vaticiniis*, de Judaïcæ Gentis Excidio, *veritas Christianæ Religionis ulteriùs adstruitur.*

XXIX. Cùm Christus, non Rex modò Ecclesiæ suæ, nec summus modò Sacerdos, sed & Prophetarum maximus fuerit, ideò non tantùm plurima *de Ipso*, apud veteres Prophetas, sed & multa *ab Ipso*, dum in terris esset, prænuntiata sunt, quæ ab eventu adcuratissimè sunt confirmata. Varii autem generis Prophetiæ Christi fuêre: Quædam de rebus non multò pòst eventuris; velut cùm prædixit suam ipsius mortem, cum variis circumstantiis, deinde & suam resurrectionem, Judæ proditionem, abnegationem Petri, aliáque, quæ in Evangeliis narrantur: Aliæ de rebus remotioribus, quæ nonnisi multis pòst annis, imò quædam multis pòst Sæculis, contingere

debuerunt; ut, de Doctrina ſua longè latéque diſſeminanda, de eadem à Judæis pleriſque rejicienda, ab extraneis verò admittenda, de falſis Prophetis & falſis Doctoribus ſubinde orituris, de excidio Gentis Judaïcæ, Hieroſolymorum & Templi everſione, denique de rerum conſummatione, ultimóque Judicio. Priores, convincendis Apoſtolis, aliiſque illorum temporum hominibus, poſteriores nobis præcipuè convincendis aptæ natæ ſunt, dum eas quæ jam impletæ ſunt, cum eventu comparamus, mirámque ipſas inter & eventum convenientiam deprehendimus.

XXX. Inter iſtas autem CHRISTI Prophetias, nullæ illuſtriores occurrunt, nullæ tam notabilibus circumſtantiis veſtitæ, nullæ ab eventu tam luculenter confirmatæ, quàm eæ, quas *de Judaïcæ Gentis Excidio, & Hieroſolymorum ac Templi everſione*, protulit Chriſtus, quæque potiſſimùm Matt. XXIV., Marc. XIII., Luc. XIX. & XXI. occurrunt: Quibus & adjungenda alia loca, ſpeciatim verò quædam Parabolæ, quibus eædem prædictiones confirmantur. Has igitur Chriſti Prophetias præ cæteris eligimus, utpote quæ luculentiſſimam Veritatis Evangelicæ demonſtrationem efficiunt: Nam profectò, nihil evidentiùs demonſtrare poteſt, vim Divinam in Chriſto fuiſſe, quàm cùm videmus, quadraginta plùs minùs annis ante Excidium Hieroſolymitanum, totam illam cladem ita adcuratè ab ipſo prædictam, ut non tam Prophetia quàm Hiſtoria legi videatur. Imò verò non ſine Numine factum putamus, ut Hiſtoria cladis illius, ab homine Judæo, & eo quidem magni nominis, exarata exſtet; à *Flavio Joſepho* nimirùm, oculato teſte, & cujus non ignobiles in hoc bello partes fuerunt: Quæ Hiſtoria proinde haudquaquam ſuſpecta eſſe poteſt; ſed & cum Chriſti Vaticiniis ad amuſſim ita convenit, ut ad eorum veritatem demonſtrandam datâ operâ ſcripta videatur.

XXXI. Ut argumenti è Prophetiis illis ducti robur adpareat, quatuor breviter à nobis fient. *Statim* præclaras illas Prophetias compendiosè referemus. *Deinde*, quàm fidè & adcuratè

ratè ab Eventu impletæ ſint, oſtendemus. *Tertiò*, ſuſpicionem omnem, de fictis poſt eventum Prophetiis illis, amovebimus. *Poſtremò*, hæc omnia, neque caſu, neque humanâ ullâ arte ac ſagacitate, prænoſci potuiſſe, manifeſtum faciemus. Quatuor hæc, non pro rei dignitate, quæ ampliorem tractatum requireret, ſed pro compendii noſtri modulo, Lectoribus piis, & veri ſtudioſis, expendenda proponemus.

XXXII. I. Prædictiones Christi, de ultimo Judæorum excidio, tria in primis complectuntur; 1. Signa antecedentia illius Excidii; 2. Ejuſdem modum & circumſtantias; 3. Quæ exinde ſecuta ſunt.

XXXIII. *Signa antecedentia* hæc ſunt: 1. Multos orituros Pſeudo-Prophetas & Pſeudo Chriſtos. 2. Seditiones, bella, Gentis contra Gentem commotiones. 3. Fames, peſtes, terræ-motus, ſigna de Cœlo, quæ terrorem incutiant. 4. Perſecutiones adversùs Chriſtianos excitandæ. 5. Multorum Chriſtianorum apoſtaſia. 6. Evangelium paſſim prædicatum. 7. Ingens morum depravatio, negleſtúsque caritatis. Matt. XXIV. 3. —— 14. Marc. XIII. 3. —— 13. XXI. 7. —— 19.

XXXIV. *Modum & circumſtantias* triſtiſſimi illius Excidii non minùs graphicè depingit Chriſtus. 1. notatur Tempus; Non hæc ſtatim eventura erant, ſed nec etiam multò pòſt; putà, antequàm prætetiret ea ætas quæ tum agebatur. Matt. XXIV. 34. 2. expreſsè docetur, cladem illam Bello eventuram, exercitúmque adverſus Judæos proceſſurum. Luc. XXI. 20. 3. innuitur, Gentem Ethnicam, & ſigna Ethniciſmi proferentem, bellum hoc contra Judæos geſturam; Id notat *abominatio deſolationis*, Matt. XXIV. 15. Hinc etiam dicitur Hieroſolyma *calcanda à Gentibus*, Luc. XXI. 24. Imò verò proverbio illo, *Ubi cadaver, ibi Aquilæ*, Matt. XXIV. 28. ſubobſcurè notantur Romani. 4. Obſidionis Hieroſolymitanæ aperta fit mentio, Luc. XIX. 43. XXI. 20. 5. Prædicit Chriſtus, fore ut Templum penitùs deſtruatur, & ſolo æquetur; *Non relinquetur*, ait, *lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*; Matt. XXIV. 2. Marc. XIII. 2. Luc XXI. 6. 6. Eadem uti-

tur

tur locutione, ut notet, Urbem ipſam pariter everſum iri; Luc. XIX. 44. 7. Addit, magnam ſtragem futuram, plurimos *acie gladii caſuros*, Luc. XXI. 24. 8. Plurimos etiam *captivos abducendos*; Luc. ibid. 9. Declarat, tantam fore horum temporum calamitatem, ut major concipi nequeat; *Tunc erit*, inquit, *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hunc uſque diem, neque poſtmodùm erit.* Matt. XXIV. 21. Marc. XIII. 19. 10. Denique adſerit, evidentem iræ divinæ ſignificationem in tota hac clade conſpectum iri; Dicuntur *dies ultionis*; Dicitur, magnam fore *iram adverſus Populum hunc*; Luc. XXI. 22. 23. Quod & in aliis multis ſermonibus, multíſque Parabolis, confirmat Chriſtus; velut in his Matt. XXIII. *venturum ſuper eos ſanguinem omnem juſtum, ab Abele uſque ad Zachariam* &c. Unde in hæc verba admodum pathetica deſinit Chriſtus, *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas*, &c. *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*; &c. Matt. XXIII. 32....39.

XXXV. Quæ *cladem illam ſequi debuerunt*, hæc ſubjunguntur. 1. Judæi é patria fugere coacti, Matt. XXIV. 16. 2. Eorum diſperſio per omnes Gentes; quarum ſubditi, imò & captivi futuri ſunt; Luc. XXI. 24. 3. Reipublicæ Judaïcæ everſio, quæ quidem ſtylo Prophetis uſitato exprimitur, dicendo, † *Solem obſcuratum iri, Lunam lumen ſuum non daturam, Stellas de cælo caſuras*, &c. Matt. XXIV. 29. Marc. XIII. 24. 25. 4. Judæorum rejectio, & Gentium vocatio; Qua de re Chriſtus in multis Parabolis, *Regnum Dei vobis auferetur, & transferetur ad Gentem, quæ ejus fructus feret*; Matt. XXI. 43. &c. 5. Iterùm Pſeudo-Prophetæ, & Pſeudo-Meſſiæ, Matt. XXIV. 23.—26. Marc XIII. 21. 22. 6. Duratio infortuniorum illorum Gentis Judaïcæ, Luc. XXI. 24. non tamen ſine ſpe futuri reditûs, quemadmodum Rom. XI. 25.—32. prænuntiatur. 7. Evaſio Chriſtianorum ab excidio Judaïco;

† Hunc eſſe ſenſum locutionum illarum, ex variis Prophetarum locis colligitur; Eſai. XIII. 10. de *Babylonis* excidio: Eſai. XXIV. 23. XXXIV. 4. LI. 6. Ezech. XXXII. 7. de *Ægypti* vaſtatione; Joël. II. 10. atque alibi paſſim.

co; Matt. XXIV. 13. Unde & dicuntur *dies illi propter electos*, hoc eſt, Chriſtianos, *contracti*, Matt. XXIV. 22. Marc. XIII. 20. 8. Denique Evangelium per totum Terrarum Orbem prædicatum ac diſſeminatum, Deíque Eccleſia é Gentibus omnibus collecta. Matt. XXIV. 31. Marc. XIII. 27.

XXXVI. II. Et hæc quidem ſunt, de excidio Gentis Judaïcæ, Christi Domini noſtri Vaticinia. Ea verò omnia, ita luculenter, ita adcuratè, ab Eventu confirmata ſunt, nihil ut deſiderari ultrà poſſit. Nam primò, quod ad *Signa antecedentia*, quis neſcit, ante excidium Hieroſolymitanum, multos exortos Seductores & Pſeudo-Prophetas, qui ingentem Judæorum multitudinem poſt ſe traherent, eóſque inani obtinendæ libertatis ſpe deciperent? Multos certè, ad ea tempora, memorat Josephus. * *Impoſtores*, inquit, *& Magi, turbas illectas poſt ſe trahebant in ſolitudines, dicentes ſe eis oſtenſuros manifeſta prodigia & ſigna: Multi verò ex iis quos perſuaſerant, mox dementiæ pœnas dederunt; Eos quippe retractos Felix ſupplicio affecit.* Talis fuit *Ægyptius* ille, cujus hiſtoria ibidem refertur, qui plebem à ſe ſeductam in montem Olivarum duxit, dicens, mœnia Hieroſolymorum ſuo juſſu caſura eſſe. Talis *Theudas*, qui ſe etiam Prophetam jactabat, pollicebatúrque ſe Jordanis aquas verbo ſciſſurum, ſed à *Cuſpio Fado* repreſſus eſt. Ut de *Simone Mago*, *Doſitheo*, aliíſque Chriſtianorum falſis Doctoribus, jam ſileamus. Fuiſſe etiam ſeditiones, bella, commotiones Gentis contra Gentem, cædes Judæorum variis in locis, Cæſareæ, Alexandriæ, circa Babylonem, &c. jurgia inter Judæos & Samaritas; nec non inter Judæos, & cæteros Populos, qui in iiſdem Urbibus commorabantur; hæc omnia notiora ſunt, ex *Joſepho* præſertim & *Philone*, Judæis Scriptoribus, quàm ut in iis recitandis tempus teratur. Sed nec defuerunt fames, qualis illa quæ ab *Agabo* prædicta eſt; peſtilentiæ, terræ-motus, prodigia cœleſtia, quæ non tantùm à *Joſepho*, ſed & à *Tacito*, Ethnico Scriptore, memorantur.

* Joseph. *Antiquit. Judaïc.* Lib. XX. cap. VII. §. 6. Edit. Hudſ. Oxon. 1720. Et *de Bello Judaico*, Lib. VI. cap. V. §. 2. 3.

Evenerunt prodigia, inquit, † *quæ neque hoſtiis neque votis piare fas habet gens ſuperſtitioni obnoxia. Viſæ per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & ſubito nubium igne collucere templum. Expaſſæ repente delubri fores, & audita major humana vox, Excedere Deos* &c. Judæos interea, non ſecùs ac Ethnicos, perpetuas adversùs Chriſtianos perſecutiones excitâſſe; & multos quidem, in procellis illis, fidei naufragium feciſſe; ſed Evangelium nihilominùs longè latéque prædicatum eſſe, ex Scriptis Apoſtolicis, exteriſque illorum temporum monumentis, abundè conſtat. Poſtremò quanta fuerit, temporibus illis, morum depravatio, quantæ iræ, quanta diſſidia, ſpeciatim inter Judæos, qui, inteſtinis illis diſcordiis, ultimam ſibi pernicem creârunt, ita clarum ex *Joſepho* eſt, nemini ut poſſit ignotum eſſe.

XXXVII. Ut verò ſigna antecedentia, ita & *modus ac circumſtantiæ* illius Excidii, tales planè fuerunt, quales Chriſtus prænuntiaverat. Res notato tempore contigit, antequàm ea ætas, quæ tum agebatur, præteriret; 36. vel 37., poſtquàm hæc Chriſtus loqueretur, annis. Judæi, Romanorum Præſidum vexationibus preſſi, propterea̓que tumultuantes, ſimul & inteſtinis diſcerpti factionibus, miſerè in ſe bellum concitârunt. Romani, gens Ethnica, quorum vexilla Aquilæ erant haſtis inſertæ, quique ſua illa Signa militaria Numinum inſtar venerabantur, ea per Judæam paſſim erexerunt, imò & Templi ruïnis intulerunt, ubi milites *Signis litâſſe* * notat Joſephus. Sic βδέλυγμα ἐρημώσεως, *abominatio deſolationis*, ſeu, Idolum vaſtitatem inferens, *in loco ſancto collocata eſt*. Hieroſolyma ſemeſtri cincta obſidione. Templum, invitô Titô, incenſum, atque ſolo æquatum. Urbs ipſa, tribus ſolùm relictis turribus, funditùs deleta; juſſùque Titi ita complanata, ut, qui ad eam accederent, habitatam aliquando fuiſſe vix crederent **. Quo quidem tempore, horrenda, ac penè incredibilis, miſeræ Gentis ſtra-

† TACIT. *Hiſtor.* Lib. V. cap. 13. Conf. cum JOSEPHO *de Bello Jud.* Lib. VI. cap. V. §. 3.
* JOSEPH. *de Bello Jud.* Lib. VI. cap. VI. §. 1.
** JOSEPH. *de Bell. Jud.* Lib. VII. cap. I. §. 1.

ſtrages fuit; ſiquidem, obſidionis tempore *, cùm gladio, tum fame, perierunt XI. centena millia; capta verò ac vendita XCVII millia: Quibus ſi & illi adjungantur, qui antea jam hoc in bello occubuerant, ſumma ad XIII. centena ac triginta ſeptem millia, cum quadringentis nonaginta, adſcendiſſe deprehenditur.

XXXVIII. Atque ſic patuit, quanta cum ratione à Chriſto prædictum fuiſſet, *tantam fore tribulationem illam, ut ſimilis ab initio mundi non fuerit, neque pòſt futura ſit*, Matt. XXVI. 21. Quod quidem à Joſepho, totidem ferè verbis, confirmatur; *Omnium*, inquit, † *poſt condita ſæcula, res adverſæ, ſi cum iis conferantur quæ Judæis contigerunt, longè ab illis ſuperari mihi videntur.* Idque ex tota ejus Hiſtoria, non ſine miſeratione legenda, nimio plus colligitur.

XXXIX. Quòd verò totum illud negotium, non tam hominibus, quàm Deo ipſi, Judæorum peccatis irato, acceptum ferendum eſſet, id non à *Joſepho* tantùm, multis in locis, affirmatur, ſed & TITUS ipſe Excidii auctor non ſemel teſtatus eſt. Hinc, conſpectâ turrium ac murorum altitudine, lapidúmque magnitudine & adcuratâ compage, ‡ *Deo*, inquit, *favente, bellum geſſimus; Deus eſt, qui Judæos ab iſtis munimentis detraxit: Nam quid manus hominum vel machinæ adverſus has turres valeant?* Cúmque finitimæ gentes, ob victoriam, coronare ipſum vellent ‡ ipſe *tali honore indignum ſe eſſe* reſpondit; *non enim ſe eſſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Judæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe.* Et ſanè, quiſquis ſeriem omnem & circumſtantias Belli Judaïci ponderabit, expendétque, quomodo miſera illa Gens extremam ſibi perniciem creaverit, omnésque ſalutis vias quaſi datâ operâ ſibi præcluſerit, non poterit non vindicem Dei manum in his omnibus agnoſcere, Chriſtíque Vaticiniorum veritatem prædicare.

* Ibid. Lib. VI. cap IX. §. 3.
† JOSEPH. in Proœmio Lib. *de Bell. Jud.* §. 4.
‡ Ibid. Lib. VI. cap. IX. §. 1.
‡ PHILOSTRAT. de vita Apoll. Tyan. Lib. VI. cap. 14.

XL. Postremò, ut Excidium ipsum, ita & ejusdem *Consectaria*, cum Christi Vaticiniis aptissimè conveniunt. Judæi certè, patria extorres, huc illuc dispersi sunt; earúmque Gentium, apud quas vivunt, imperio subjiciuntur. Eversa est eorum Respublica. Vivunt sine Rege, sine lare, sine ullis Populi liberi insignibus. Quinimò, & Templo, & Sacrificiis, & Divini favoris indiciis, manifestò exuti cernuntur; dum interim Gentes, à Dei fœdere priùs alienæ, in illud admissæ sunt.

Exiliis vagus huc illuc fluctantibus errat
Judæus, postquàm, patria de sede revulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique necati
Sanguine respersus, commissa piacula solvit.

Quot porrò, secutis temporibus, Pseudo-Messiæ *, quot falsi Prophetæ, quot falsi Doctores, cùm inter Judæos, tum inter Christianos ipsos, excitati sint, (velut ille *Jonathas*, qui apud Cyrenem turbas excitavit, haud multò post Excidium Hierosolymitanum; & *Barchochebas*, Hadriani temporibus; & alii postmodùm innumeri) hæc abundè nota sunt, nec ea diducere per tempus licet. Cùm verò cæteræ Judæorum calamitates atque servitutes brevis ævi fuissent, Ægyptiaca nonnisi 200. circiter annorum; Philistæorum, tempore Judicum, non ultra 20. vel 40. annos; Babylonica, haud plurium quàm 70.; Antiochi furores nonnisi trium annorum; contrà à novissimo isto Excidio, jam inde à septendecim Sæculis, resurgere nondum valuêre. Sed &, quod mirum prorsùs fuit, Deique digitum apertè monstravit, dum ira Dei Judæos plecteret, ejusdem clementia Christianos Hierosolymitanos servavit; utpote qui, Oraculo moniti, *Pellam* se receperunt, sicque ab iis calamitatibus, quibus Judæi premebantur, servati sunt. Atque hinc factum, ut Christi Doctrina, quæ jam ante cladem illam longè latéque dispersa fuerat, nova postmodùm incrementa ceperit, & ad remotissimas usque Orbis Terrarum partes penetraverit. Cæterùm, quæ hic compendiosè de Vaticiniorum Christi impletione pro-

* Vid. JOH. A LENT *Schediasma Historico-Philologicum, de Judæorum Pseudo-Messiis*; Nec non & celeberrimi BASNAGE *Historiam Judæorum* gallice scriptam.

protulimus, ſi quis copioſiùs diducta velit, adeat celeberrimos illos noviſſimi temporis Criticos, *Grotium*, *Hammondum*, *Lightfootium*, *Cericum*, *Whitby*, aliósque; vel potiùs legat ac relegat Josephum ipſum, cujus hiſtoriam *Belli Judaïci* non alio fine ſcriptam diceres, niſi ut nobiliſſimus eſſet in Vaticinia Chriſti Commentarius, eorúmque veritatem in aperta luce collocaret.

XLI. III. Complemento adeò illuſtri, adeò manifeſto, quid opponi poſſit non videmus. Hæc una fortè oriri ſuſpicio poterit, *Vaticinia illa poſt eventum demùm ficta eſſe.* Verùm evaneſcet hoc quidquid eſt dubii, poſtquàm duo conſtituta fuerint: Primum, *Libros Evangeliorum, quibus Oracula illa continentur, ante excidium Hieroſolymitanum ſcriptos eſſe*: Alterum, *Oracula illa recentiori manu Evangeliis inſerta non eſſe.*

XLII. Ad prius quod adtinet, *Libros Evangeliorum*, (Matthæi nempe, Marci, & Lucæ) *quibus Oracula illa continentur, ante Excidium Hieroſolymitanum ſcripto conſignatos eſſe*, id quidem argumentis mathematicis demonſtrari nequit: Sed tamen indicia ſunt adeò prægnantia, ut, ſi quid certum ſit in eo rerum genere, hoc pro certo haberi debeat. Nam 1. cùm Apoſtoli mandatum accepiſſent, de docendis univerſis Gentibus, neque fieri poſſet, ut præſentes & viva voce mandatum illud exſequerentur, dubitari nequit, quin aliqui ſaltem ex illis, eorúmque diſcipulis, res à Chriſto geſtas, ejúſque ſermones, maturè ſcripto conſignaverint, antequàm memoria eorum excideret, utque faciliùs ac ſinceriùs per Orbem diſpergerentur. 2. Id, ab iis Evangeliſtis, de quibus jam agitur, re verâ factum eſſe, unanimi Scriptorum Eccleſiaſticorum conſenſu conſtat. Incertum quidem eſt, quonam præcisè anno unuſquiſque Evangeliſta ſcripſerit: Sed in eo tamen conſpirant, quotquot nobis hodie ſuppetunt earum rerum monumenta, Evangelia hæc ante excidium Hieroſolymitanum ſcripta eſſe. *Euſebius* quidem, qui vetera omnia monumenta excuſſerat, narrat * „Mat„thæum, poſtquàm Hebræis primùm prædicâſſet, ad alias Gen-

* Euseb. Hiſt. Eccleſ. Lib. III. cap. 24.

„tes profecturum, Evangelium ſuum ſcripſiſſe; poſtea verò Mar„cum & Lucam ſua ſeorſim ſingulos edidiſſe. *Irenæus*, † ab „Apoſtolis non multùm remotus, docet Matthæum inter He„bræos ſcripturam edidiſſe Evangelii, cùm Petrus & Paulus „Romæ evangelizarent, & fundarent Eccleſiam. *Chronicon Alexandrinum* [a] Matthæi ſcriptionem collocat in anno Æræ Chriſtianæ 46., hoc eſt, 12. vel 13. poſt Chriſti adſcenſionem annis. *Theophylactus* [b] dicit, Matthæum quidem 8., Marcum 10., Lucam 15., poſt aſſumptum in Cœlos Chriſtum, ſcripſiſſe. *Nicephorus*, *Calliſtus* [c], Matthæum 15. poſt adſcenſionem annis ſcripſiſſe docet. Subſcriptiones variis Codicibus M S S. ſubjectæ, [d] varias illas epochas ſequuntur. Annus incertus eſt, non diffitemur: Sed in eo tamen, ut dixi, monumenta omnia conſentiunt, longè ante cladem Hieroſolymitanam Evangelia hæc ſcripta eſſe. 3. Idem confirmatur ex cæteris Novi Teſtamenti Libris. V. g. quisquis *Actus Apoſtolicos* ſine præconceptis opinionibus legit, non poteſt non pro certo ſtatuere, quô tempore Liber ille ſcriberetur, floruiſſe Hieroſolyma, ſtetiſſe Templum, Feſta ſolemnia more ſolito agitata eſſe. Etenim plurima eò tendunt, ut ſuperbia Judæorum retundatur, ut eorum animus à Cæremoniis Legalibus avocetur, ut ipſis perſuadeatur, Gentiles ad Dei fœdus vocari, proindéque ab iis contemni ac odio haberi non debuiſſe. Jam verò illa omnia inutilia propemodùm erant, poſt excidium Hieroſolymitanum; vel ſaltem aliud argumentum longè potentius occurrebat, ductum nempe ex deſtructione Templi, & Reipublicæ Judaïcæ everſione. Imò verò plusquàm probabile eſt, Lucam hujus Hiſtoriæ auctorem, ſcripſiſſe non multò poſt illud tempus in quo deſinit, hoc eſt, biennalem Pauli Apoſtoli in Urbe Roma detentionem; Etenim ſi ſeriùs ſcripſiſſet, liberationem Pauli à vinculis, ſequentiáque illius facta, hauddubiè addidiſſet. Atqui, priusquàm Lucas Actus Apoſtolicos ſcriberet, Evangelium ſuum ſcripſerat, prout ipſe

† IREN. adv. Hær. Lib. III. cap. 1.

[a] CHRON. PASCH. ſeu ALEXANDR. pag. 233. Edit. Reg. ann. 1688. [b] THEOPHYL. Præf. Enarrat. in Matth. [c] NICEPH. CALLIST. Eccl. Hiſt. Lib. II. cap. 45. [d] Variæ illæ Subſcriptiones videri poſſunt in Edit. N. T. Milliana.

ipſe in limine teſtatur: Et priusquàm Evangelium ſuum ſcriberet, alii Evangelia ſcripſerant, in primis verò Matthæus: Proindéque Evangelia illa longè ante cladem Hieroſolymitanam ſcripta fuerant. 4. Rursùs, ex hiſtoria Apoſtolica colligitur, quo tempore variæ *Pauli Epiſtolæ* ſcriptæ fuerint, & ſcriptæ quidem longè ante Excidium Hieroſolymitanum. Sic v. g. conſtat, duas Epiſtolas ad Theſſalonicenſes, quæ ſunt omnium antiquiſſimæ, duas ad Corinthios, Epiſtolam ad Galatas, & Epiſtolam ad Romanos, ante prima Pauli vincula ſcriptas eſſe, alias quidem Corinthi, alias Philippis in Macedonia, alias in aliis locis, dum per regiones illas iter faceret Paulus; Quod iter, ab anno Chriſti LII. ad LVIII., adcuratiſſimi Chronologi * conſtituunt. Quis verò dubitet, ante illas Epiſtolas, ſcripta fuiſſe Evangelia, ſaltem aliquod ex illis? cùm Paulus ubique ſupponat hiſtoriam Chriſti tanquam notiſſimam, imò & ex ea pericopas quaſdam evidenter deſumat, prout in Epiſtolis ad Theſſalonicenſes, & ad Corinthios, obſervare eſt. 5. Ex ipſis Ethnicorum Scriptoribus, *Suetonio* nempe & *Tacito*, conſtat, ingentem Chriſtianorum multitudinem ſub Nerone fuiſſe, proindéque ante Excidium Hieroſolymitanum. Annon verò Chriſtiani illi aliquam Chriſti hiſtoriam habebant? Annon in eorum gratiam ſcripta fuerat? Quis hoc credat? Si verò aliquam habuerint, quis dubitet, quin ea ipſa fuerit, quæ à Chriſtianis poſtmodùm magno conſenſu recepta eſt. 6. Denique, ne plura hic congeramus, vel hæc ipſa Chriſti Vaticinia, de quibus jam agitur, potentiſſimum præbent, pro ſcriptis ante cladem Hieroſolymitanam Evangeliis, argumentum. Etenim, ſi hæc Vaticinia poſt eventum demùm ſcripta eſſent, ſanè finis Mundi cum Excidio Hieroſolymitano ita coniunctus non fuiſſet, ut videretur uterque ille eventus unô côdémque tempore accidere debuiſſe. Nam, quòd Chriſtus vaticinans hæc inter ſe quaſi miſcuerit, in eo Prophetarum morem, & Prophetiarum indolem ſecutus eſt, quas ſemper aliquid caliginis habere, & res diſſitas nonnunquam connectere, ſuperiùs monuimus. His accedit, quòd

* Vid. Pearson, Annales Paulinos.

quòd hæc erat recepta apud Judæos notio, ſuam Rempublicam nonniſi ipſo cum Orbe interituram: Quæ fuit ratio, cur duo iſta, ſua in quæſtione, conjunxerint Apoſtoli; neque id plenè elucidare neceſſarium Chriſto viſum eſt. At verò, quòd Apoſtoli, vel inſequentium temporum Chriſtiani, iſta poſt eventum eô modô finxerint, vel ficta in tabulas retulerint, résque tantoperè inter ſe diſtantes hac ratione copulaverint, illud eſt quod in mentem cadere nequit.

XLIII. Alterum Principium à nobis poſitum, nempe *Oracula illa, poſt cladem Hieroſolymitanam, Evangeliis inſerta non eſſe*, tale quoque eſt, ut, citra temeritatem, in dubium vocari nequeat. Etenim 1. non hìc agitur de uno tantùm capite, de uno tantum vel altero loco, ſed de plurimis ſermonum Chriſti locis, de Parabolis benè multis: Quæ quidem cæteris ſermonibus ita mixta ſunt, ac veluti intertexta, ut veritas ac ſinceritas locorum illorum abundè ſe prodat. 2. Cùm ingens eſſet Chriſtianorum multitudo ante Excidium Hieroſolymitanum, & plurimæ Eccleſiæ Chriſtianæ, tum in Palæſtina atque Syrìa, tum in Græcia, tum in Italia, & alibi paſſim, utique diſperſa erant, apud Eccleſias illas, Evangeliorum exemplaria, ac proinde depravatio adeò momentoſa fieri neutiquam potuit. 3. Id ulteriùs confirmatur, ex eo quòd non hìc agitur de Libro aliquo vulgari, ad quem parùm adtenderetur, & cui proinde multa clàm inſeri poſſent; ſed de Libro momentoſiſſimo, de Libro qui pro norma Religionis habebatur, de Libro cujus Doctrina ita altè animis inſidebat, ut inter crudeliſſima tormenta, & omnis generis perſecutiones, defenderetur. Tali Libro, pericopas adeò momentoſas, tantóque numero, inſeri potuiſſe, nemo ſanæ mentis exiſtimaverit. 4. Id etiam notatu dignum eſt, quòd inter Oracula illa multa occurunt, Chriſtianæ rei parùm faventia; qualia illa ſunt, de futuris Perſecutionibus, & orituris Pſeudo-Prophetis, &c. Quæ quidem ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, datâ operâ ficta fuiſſe, & veris Chriſtianiſimi monumentis inſerta, neutiquam probabile eſt. 5. Ex Hiſtoria Apoſtolica liquet, iſta Chriſti Vaticinia, de Judaïcæ Gentis

tis Excidio, animis Christianorum, jam inde ab ipso Ecclesiæ primordio, altè impressa fuisse. Sic Act. VI. 13. 14. inter accusationes contra Stephanum prolatas, hæc occurrit, quòd dixisset, *Jesum Nazarenum, locum illum sanctum*, hoc est, Hierosolyma & Templum, *destructurum*. Sic etiam ex Epistolis ad Thessalonicenses, speciatim verò ex secunda, liquet, Vaticinia illa Christianorum animis eo tempore obversata esse, imò & non paucos Christianos iis abusos fuisse, quasi finis Mundi jam proximus esset: Unde Paulus necesse habet, eorum errorem arguere, & ostendere alios quosdam eventus notabiles diem Domini antecessuros. 6. Si Oracula illa recentiori manu inserta essent, eodem modo, & absque ullo discrimine, singulis Evangeliis essent inserta. Diversitas quidem, quæ hìc inter varia Evangelia occurrit, exigui momenti est, neque quidquam facit contra fidem Historiæ: Sed tamen, ab iis qui Oracula illa finxissent, procul dubio vitata esset. 7. Denique huc iterùm referenda est ultima Thesis superioris observatio; eum falsarium, qui Oracula ista fabricâsset, finem mundi à fine Hierosolymorum studiosiùs separaturum fuisse.

XLIV. Quibus omnibus, duo vel tria insuper adjungimus, quæ veritatem & antiquitatem Vaticiniorum istorum potentissimè confirmant, & extra omnem dubitationis aleam ponunt. *Primum*; rem esse planè incredibilem, quæque in mentem cadere nequeat, Apostolos, vel eorum discipulos, quorum doctrina omnis ad pietatis & virtutis commendationem tendit, & quorum vita singulari sanctitate insignis fuit, Vaticinia hæc post eventum fabricâsse, séque impudentissimæ fraudis reos peregisse, non alio fine quàm ut homines probos & veraces efficerent. *Alterum*, Veteres Christianos, Apostolorum coævos, vel tempore proximos, qui gravissimas vexationes, mortémque ipsam, pro Evangelii veritate perferre non dubitabant, dubio procul non ita socordes, suæque salutis incuriosos fuisse, ut Vaticinia dubia, & post eventum ficta, sine adcurato examine admitterent; eô præsertim tempore, quô veritas facillimè dignosci potuit. *Tertium*; Inter tot hostes Christianæ Religonis, cùm

Judæos, tum Ethnicos, qui adverſus eam ſtylum ſtrinxerunt, neminem, qui quidem adpareat, veritatem ac antiquitatem Vaticiniorum iſtorum vel minimùm ſollicitâſſe, Evangeliſtisque dicam ſcripſiſſe, quaſi nonniſi poſt eventum Vaticinia iſta protulerint. Quod ſilentium Adverſariorum, *Celſi*, v. g. *Porphyrii*, *Juliani*, &c. quibus, nec odium, nec eruditio, nec ingenii acumen defuit, quanti ſit, ad ſuſpicionem omnem eluendam, momenti, nemo eſt qui non videat.

XLV. IV. Quæ cùm ita ſint, unum tantùm ſupereſt, quô huic noſtro argumento, é Vaticiniis Chriſti deſumpto, ſua omnis perfectio conſtet; ut addamus nempe, iſta *neque caſu, neque arte ulla ac ſagacitate, prænoſci potuiſſe*: Quod quidem facili negotio oſtendi poteſt. Ac ſanè, dum Chriſtus in terris eſſet, nihil planè erat, quod ejuſmodi cladem portenderet. Nam Romanis quidem ſatis erat, Judæam in Provinciæ formam redegiſſe; & Judæorum Reges, ex Herodis familia, Romanis utplurimùm acceptiſſimi erant. Judæi viciſſim, non multùm cauſſæ habere videbantur, cur in Romanos rebellarent: ſiquidem, quod ad Religionem, ſuis legibus vivere permittebantur, neque vexatio ulla immodica tum temporis adparet. Tantùm verò abeſt, ut Judæorum Primores ad rebellionem propenderent, ut contrà ex Hiſtoria Evangelica pateat, eos iram Romanorum quammaximè timuiſſe: Unde illæ voces, *Nolumus alium Regem præter Cæſarem*; Et, *præſtat hominem mori, ut populus ſalvus fiat*, &c.

XLVI. Verùm demus, ex cognitione ingenii Judaïci, libertatis ſupra modum cupidi, futuros tumultus, & ſecuturam cladem, quodammodo provideri potuiſſe. Sed quomodo circumſtantiæ omnes ſuprà notatæ, tam multiplices, tam ſingulares, prænoſci potuerunt? Unde prænoſci potuit, id eâ ipſâ ætate eventurum? Unde prænoſci potuit, ante hanc cladem, tot Eventus interceſſuros, tot bella, tot tumultus, famem, peſtem, terræ motus, tot ſigna, tot prodigia, Pſeudo-Prophetas, Perſecutiones? Unde prænoſci potuit, Evangelium, inter tot hoſtes, inter tot perſecutiones, tamen per totam Terram annuntia-

tiatum iri? Nonne vero longè ſimilius erat, (ſi ex humanis conjecturis judicatum eſſet) fore ut Doctrina illa ſubitò opprimeretur? Rursùs, unde prænoſci potuit modus omnis Excidii illius, obſidendam Hieroſolymam, magnam ſtragem futuram, tantam fore calamitatem, ut ſimilis nunquam fuerit, neque pòſt futura ſit, denique magnificum illud ædificium Templi (quod Titus ipſe conſervare omni ope conatus eſt) tamen incenſum à militibus, & funditùs deletum iri? Poſtremò, unde Conſectaria, tam triſtia, tam ſtupenda, & cum Dei promiſſis (externè ſaltem) adeò pugnantia? Certè, nulla eſt ingenii acies, nulla conjectandi peritia, quæ, ad hæc omnia tam adcuratè, providenda ac prænuntianda, poſſet adſurgere.

XLVII. Igitur, ex his omnibus meridiana luce clariùs adparet, Christum iſta vaticinantem divina virture præditum fuiſſe, adeóque verum Prophetam, & veræ Doctrinæ promulgatorem eſſe. Etenim Deum tam inſignes Revelationes Impoſtori conceſſiſſe (abſit dictis blaſphemia) nemo ſanæ mentis concipere queat. Proindéque argumento illo, é Christi Prophetiis ducto, Chriſtianæ Religionis veritas non parùm confirmatur.

XLVIII. Coronidis loco, non poſſumus non, quædam obſervatu digniſſima, & ad rem adprimè facientia, hìc adjungere: nempe in Excidio Judæorum, (etiam ſepoſitis Chriſti Vaticiniis) nonnulla occurrere, quæ mira admodum ſunt, & ad confirmandam Evangelii veritatem non parùm faciunt. Primo quidem mirus eſt conſenſus, non modò Prophetiarum Chriſti, ſed & Veterum Prophetiarum, cum hoc Eventu: Etenim, quæ minatus fuerat Moſes, in multis Levitici & Deuteronomii locis, & quæ Prophetæ reliqui habent, de rejectione Judæorum, & Gentium Vocatione, complementum hìc habere deprehenduntur. Secundo, in hac calamitate, evidentes Judicii Divini characteres ſe undique produnt: Nec enim Romani Duces, Vespasianus ſaltem ac Titus, Judæorum exitium quærebant: ſed ipſi ſibi propriæ ruïnæ auctores fuerunt: quemadmodum vividâ ac patheticâ oratione ipſis expro-

brat TITUS, apud *Josephum*, de Bell. Jud. Lib. VI. cap. VI. §. 2.

XLIX. TERTIO, mirum prorsùs est, Judæos ab hac clade resurgere nunquam valuisse. Nam, si humana tantùm spectentur, quàm facilè poterant Judæi, placatâ Romanorum irâ, in patriam redire, & pristinam quietem recuperare? Sed ipsi contrà semper rebellabant, & novam sibi perniciem creabant, quemadmodum patuit sub HADRIANO Imp., & sequentibus temporibus. Si verò ad Deum adsurgas, concipi nequit, quî fiat ut Gens illa, per annos bis mille supremo Numini adeò cara, à Dei favore postmodùm exciderit, & sub ejus judicio ac virga tot Sæculis detineatur. Quid enim? An sunt pejores suis Majoribus, qui ab Ægyptiaca & Babylonica Captivitate redempti sunt? Contrà, nunquam fuerunt in sua fide magis constantes; nunquam ab omni Idololatriæ contagio magis alieni. Quid igitur illos Deo ita exosos præstat? Sine dubio, gravis quædam culpa, Messiæ nempe rejectio & crucifixio, quemadmodum Christus, variis in Parabolis, ipsis prænuntiaverat, & Apostoli ipsis exprobrârunt, atque ex misero ipsorum statu nimio plus perspicitur.

L. QUARTO denique, hoc simul mirum est, in tantis ipsorum malis, tamen ipsos semper conservari, ab aliis omnibus Gentibus separatos atque disjunctos. Nam id profectò singulare est, & absque ullo exemplo, Gentem dispersam, contemptam, errantem ac palantem apud reliquos Populos, idque per annos mille sexcentos, & quod excurrit, tamen sejunctam ab aliis semper vivere, peculiaréque ritus ac mores sibi etiamnum retinere. Unde id, nisi 1. ut Gens illa, à Christianis distincta, iisque inimicissima, Veteris Testamenti auctoritatem, adeóque veterum Oraculorum sinceritatem confirmaret, & extra omnem dubitationis aleam collocaret: 2. ut illustre hoc Dei Judicium, in ipsos exercitum, ob oculos omnium semper versetur, sitque perenne monumentum Justitiæ Divinæ, & veritatis CHRISTIANÆ RELIGIONIS: 3. ut eadem illa Gens, *propter Patres Deo etiamnum cara*, ad

ad ſalutem tandem adducatur, poſtquam *plenitudo Gentium ingreſſa fuerit.* Rom. XI. 25. 26. Quam quidem Judæorum, cæterarúmque omnium Gentium, ad Christi fidem & obſequium, Converſionem, precibus ac ſtudiis ſuis maturare, pios omnes Chriſtianos decet.

FINIS.

DISSERTATIO IX.

DE

VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Habita eſt diſputatio, reſpondente JACOBO VERNET *Genevenſi.*

SECTIO SEPTIMA.

Quâ, ex mira Chriſtianæ Religionis PROPAGATIONE, *novum pro ejus veritate & divinitate, argumentum deſumitur.*

THESIS PRIMA.

QUamvis Chriſtiana Religio non tantos fecerit progreſſus, quantos facere jure debuiſſet, ſi eam, quâ par eſt, reverentiâ, excepiſſet Humanum Genus, maximos tamen fecit, imò tantos támque ſtupendos, ut novum hinc ac potentiſſimum, pro cœleſti ejus origine, argumentum deducatur.

II.

II. Verum quidem eſt, proſperos exitus bonæ cauſſæ non ſemper indicia eſſe. Unde illud Poëtæ;

careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Quænam Religio latiùs diffuſa eſt, quàm *Ethnica*? Quænam celeriùs, quàm *Muhammedana?* Quænam é contrario intra proprios fines diutiùs ſe continuit, quàm *Judaïca?* Neque tamen hinc, vel hujus veritati, vel illarum falſitati, quidquam decedit. At verò, longè diverſam propagati Christianismi rationem eſſe, eámque hic circumſtantiarum congeriem occurrere, quæ Dei digitum manifeſtò prodat, quiſquis ſeriò ad rem adverterit, facile perſpiciet.

III. Ut huic argumento ſua vis conſtet, multis ambagibus opus non eſt. Nuda ac ſimplex Facti expoſitio, & circumſtantiarum deſignatio, abundè ſufficit. Igitur ſequentia hic occurrunt notatu digniſſima. Primum, quando cœperit res Chriſtiana. Secundum, quàm citò diſſeminata ſit. Tertium, quòd longè latéque, & ad ultimos uſque Mundi fines, ſeſe extenderit. Quartum, quòd ex omni hominum genere, docti, & ignari, rudes & moribus exculti, magno numero ad Chriſtum adducti ſint. Quintum, Doctrinam Chriſtianam, ut tanta caperet incrementa, nullis humanis auxiliis munitam fuiſſe. Sextum, nullos non Adverſarios, nulla non obſtacula, expertam eſſe. Septimum, rem Chriſtianam non ad breve tempus durâſſe, ſed altas in Orbe radices egiſſe, & ad hunc uſque diem, non obſtantibus Hoſtium ſuorum conatibus, conſervari. Octavum denique, his omnibus nominibus, nullam eſſe Religionem, nullam Sectam, nullam Diſciplinam, quæ cum Chriſtiana Doctrina vel minimùm comparari queat. Hæc omnia quiſquis attentè conſideraverit atque expenderit, non poterit quin hinc colligat, eam Doctrinam quæ tam mirabili ratione propagata eſt, non Hominum, ſed Dei opus fuiſſe.

IV. I. Replicantibus antiquitatis memoriam, omniáque, tum Judæorum, tum Ethnicorum, tum ipſorum etiam Chriſtianorum,

norum, monumenta excutientibus, adparet, uſque ad TIBERII Imp. tempora, ne minimam quidem Chriſtiani nominis mentionem occurrere. Quinimò conſtat inter omnes, eum qui Chriſtianæ rei ortum dedit, ſub Tiberio vixiſſe, in Judæa docuiſſe, & ſupplicio adfectum eſſe. De eo nulla controverſia eſt. Id Judæi, Ethnici, Chriſtiani, uno ore confitentur. *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat*; verba ſunt TACITI, Ethnici Scriptoris, Annal. Lib. XV. cap. 44.

V. II. Si jam ad ſequentia tempora pergimus, patebit, non modò non oppreſſam Magiſtri ſupplicio Doctrinam illam, ſed maxima contrà ac rapidiſſima incrementa ſtatim cepiſſe; ſícque impletum quod ipſe prædixerat, ſe, *poſtquàm é terra ſublatus eſſet, homines omnes ad ſe tracturum.* Joh. XII. 32. Certè incredibili diligentia Magiſtri ſui doctrinam diſſeminârunt Apoſtoli, eíque innumeros, pauciſſimis annis, non per Judæam modò & Syriam, ſed & per totum Romanum Imperium, diſcipulos pepererunt. Neque verò id ex ſolis Chriſtianorum monumentis, quæ ſuſpecta fortè eſſent, accipimus; ſed & ab Ethnicis Scriptoribus, *Suetonio* * & *Tacito* †, luculenter confirmatur; qui referunt, ingentem Chriſtianorum multitudinem ſub NERONE Romæ fuiſſe, in quos ille immanem crudelitatem exercuit, devolutâ in eos patrati à ſe incendii invidiâ, iíſque acerbiſſimo ſupplicio adfectis; quorum tamen innocentiam agnoſcit *Tacitus*. Sic videmus, non intra plures quàm 20. vel 30. à Chriſti adſcenſione annos, Romanum Imperium, ipſámque Romam, Chriſtianis abundâſſe. Poſtmodùm, imperante TRAIANO, hoc eſt, ſub finem Sæculi I., conſtat ex *Plinio* Bithyniæ Proconſule, innumerabiles Chriſtianos in ea Provincia (adeóque & in cæteris) ſuo tempore fuiſſe, quibuſcum quomodo agendum eſſet, Imperatorem interrogat. ‡ *Viſa eſt enim*, inquit, *mihi res conſultatione digniſſima, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis,*

* SUET. in Nerone, cap. 16. † TACIT. Annal. Lib. XV. cap. 44.
‡ PLIN. Epiſt. Lib. X. Ep. 97.

ordinis, utriuſque ſexûs etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt, &c. Et hæc ad finem Sæculi I., hoc eſt, non plures quàm 65. vel 66. poſt Chriſti mortem annis. Sæculo ſequente ad finem vergente, quamvis graviſſimæ adverſus Chriſtianos perſecutiones exiſterent, in immenſum nihilominùs eorum numerus creſcebat; quemadmodum vel ex his Tertulliani ad Romanos vocibus adparet: * *Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum; ſola vobis relinquimus Templa.* Tandémque, interjectô iterùm Sæculô, poſt novas, eáſque ſæviſſimas, toleratas perſecutiones, Doctrina hæc ipſos domitores Orbis domuit; ſiquidem Romani Imperatores, ipſúmque adeò Romanum Imperium, Chriſti regno ſe ſubdiderunt. Talis fuit, per tria Sæcula, Chriſtianiſmi propagatio, antequàm Principum favore ac Edictis ſuſtentaretur. Quæ ſecuta ſunt, utut per ſe magna, minùs prodigii in ſe continent.

VI. III. Quemadmodum verò celerrimè, ita & longè latéque, ac per totum Terrarum Orbem, ſe extendit Chriſti Doctrina. In Asia certè, non *Palæſtinam* modò & *Syriam*, unde initium habuerat, ſed & omnes *Aſiæ minoris* Provincias, & *Babyloniam*, & *Parthiam*, & *Indiam*, & *Scythiam*, mira celeritate pervaſit, prout à Scriptoribus antiquiſſimis memoriæ proditum eſt. In Africa etiam, non *Ægyptus* modò, & *Lybia*, & *Mauritania*, ſed & ipſi *Æthiopes*, ſalutari hac Doctrina imbuti ſunt. Et in noſtra denique Europa, non *Græcia* tantùm & *Macedonia*, ſed *Illyricum*, *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania*, *Britannia*, ipſaque tandem *Germania*, ne exceptis quidem remotiſſimis *Septentrionis* finibus, Evangelii lumine colluſtratæ ſunt. De Novo Orbe jam non dicimus; ſed, cùm primùm innotuit, nemo neſcit Evangelium cò etiam perlatum eſſe.

VII. Verùm, ne hæc temerè & ſine auctoribus dici videan-

* Tertull. Apologet. cap. 37.

tur, placet selecta quædam vetustissimorum Scriptorum testimonia hîc adducere. Igitur CLEMENS Romanus, Apostolorum coævus, Epist. ad Corinthios, docet § „Paulum Apostolum, in „Oriente & Occidente verbi præconem factum, Mundum uni„versum in justitia instituisse, & ad Occidentis terminos ve„nisse:„ Quâ voce, alii quidem nonnisi *Italiam*, sed & alii *Hispaniam* intelligunt. Sequitur JUSTINUS MARTYR, qui mediô Sæculô II. vixit; Is, in *Dialogo cum Tryphone*, adserit, * „nullum esse genus hominum, sive barbarorum, sive „Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque appel„lentur nomine, vel in plaustris degentium, vel domo caren„tium, vel in tentoriis viventium, & pecoribus vitam tole„rantium, inter quos non fiant preces & gratiarum actiones „Patri & Creatori omnium, per nomen Jesu crucifixi.„ Alibi confirmat, † „Christum nulla in gente ignoratum esse.„ Accedit BARDESANES Syrus, Justini Martyris coætaneus, qui testatur, ‡ „Sectatores Christianæ institutionis, licèt in variis „Terræ partibus existentes, & apud Gentes omnes, & om„nia Climata, tamen omnes uno nomine appellatos esse.„ Mox memorat eos qui in *Parthia*, & *Media*, & *Persîde*, & *Ægypto*, & apud *Bactros*, & *Gallos*, versabantur. Verùm, quàm lata essent Christianæ rei incrementa, sub finem Sæculi II. non aliunde meliùs cognoscere licet, quàm ab IRENÆO, Episcopo Lugdunensi, qui eo tempore vixit. Is, postquàm summam Doctrinæ Christianæ proposuisset, ⸸ quam *Ecclesia per universum Orbem usque ad fines terræ seminata accepit*, addit; *Neque hæ quæ in* Germania *sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in* Hiberis *sunt, neque hæ quæ in* Celtis, *neque hæ quæ in* Oriente, *neque hæ quæ in* Ægypto, *neque hæ quæ in* Lybia, *neque hæ quæ in medio Mundi sunt constitutæ*; (hoc est, *Hierosolymis* & in *Palæstina*,

§ CLEM. Rom. 1. Epist. ad Corinth. cap. 5. * JUSTIN. MART. Dialog. cum Tryph. p. 341. 342. Edit. Lond. an. 1719. † Ibid. p. 353. ‡ Apud EUSEB. de Præpar. Evang. Lib. VI. cap. 10. ⸸ IRAN. adv. Hæres. Lib. I. cap. 3. in Edit. vulgar. cap. 10. in Edit. Massuet.

læſtina, juxta vulgarem temporum illorum opinionem) *ſed ſicut Sol, creatura Dei*, &c. Paria habet Tertullianus, * Irenæo non multùm recentior. Enumeratis quippe iis Gentibus, quarum mentio fit Act. II. 9. 10. addit; *ut jam* Getulorum *varietates*, & Maurorum *multi fines*, Hiſpaniarum *omnes termini*, & Galliarum *diverſæ nationes*, & Britannorum *inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita*; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & *additarum multarum gentium*, & *provinciarum*, & *inſularum multarum nobis ignotarum*, & *quæ enumerare minùs poſſumus.* Paria loca ſequentium Scriptorum, putà *Clementis Alex.*, *Origenis*, *Minutii Felicis*, *Arnobii*, *Lactantii*, *Euſebii*, *Athanaſii*, *Chryſoſtomi*, *Auguſtini*, *Theodoreti*, aliorúmque, brevitati ſtudentes omittimus.

VIII. IV. Addidimus, omne genus hominum, cùm rudes ac illiteratos, tum etiam doctrina inſignes, moribúſque excultos, ad Chriſtum acceſſiſſe. Et id etiam notatu digniſſimum eſt. Nam, ſi nonniſi Viri Docti Chriſtianam fidem amplexi eſſent, crederetur illa humanæ eruditionis fœtus eſſe. Contrà, ſi nonniſi Viri rudes, & literarum neſcii, Chriſto nomen dediſſent, id eorum ignorantiæ & ruditati adſcriberetur. At, cùm videmus omne genus hominum, doctos pariter atque indoctos, ad Chriſtum accedentes, id ſuſpicionem omnem & calumniam diluit. Quinimò, Chriſtum, datâ operâ, Mundô Scientiis excultô, veniſſe, *ne quis impoſturam ſimplicitati factam eſſe poſſet ſuſpicari*, ſcitè obſervatum à Lud. Vive, † aliiſque. Quòd autem multi rudes atque ignari ad Chriſtum acceſſerint, id probatione non indiget, ſiquidem hoſtes Chriſtianorum id abundè confitentur, eáque de cauſſa ipſos deridenf. Quòd verò non pauci Viri Docti Eccleſiæ ſeſe adjunxerint, jam inde à Sæc. II. III. IV. & ſequentibus, demonſtratu facillimum eſt. Etenim, vel ſi non alii fuiſſent, quàm ii quorum Scripta habemus, quíque Apologias pro Chriſtiana Fide adornârunt,

* Tertullian. adv. Judæos, cap. 7. † Lud. Vives, de Verit. Fid. Lib. II.

nârunt, id abundè sufficeret. Quis enim legens *Justini M.*, *Athenagoræ*, *Tatiani*, *Theophili* Antiocheni, *Irenæi*, *Tertulliani*, *Clementis* Alex., *Origenis*, *Cypriani*, *Minutii Felicis*, *Arnobii*, *Lactantii*, aliorúmque qui secuti sunt, libros, non fateatur eos quammaxima eruditione conspicuos esse? Certè, vel unus ORIGENES tanta erat doctrinæ fama, ut non Christiani modò, sed & Philosophi Ethnici ad ejus Scholam accederent, ei Libros dedicarent, eúmque tanquam arbitrum in dissidiis suis eligerent, prout narrat *Eusebius*. * Quamobrem patet, vanissimam fuisse illam Christianis inustam notam, quòd nonnisi homines ignari, & viles mulierculæ, inter ipsos reperirentur: siquidem vel ii soli, quorum ad nos Scripta pervenerunt (fuerunt autem plures hauddubiè, quorum nullum monumentum exstat) calumniæ illi refellendæ abundè sufficiunt. Optimè hanc in rem HIERONYMUS, † unus ipse ex eruditissimis: *Discant igitur* Celsus, Porphyrius, Julianus, *rabidi adversus Christum canes, discant eorum Sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos & eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti & quales Viri eam fundaverint, exstruxerint, ornaverint; & desinant fidem nostram rusticæ tantùm simplicitatis arguere, suámque potiùs imperitiam agnoscant.*

IX. V. Et hactenus quidem Factum exposuimus; putà, quando cœperit Christiana Fides, quàm citò diffusa sit, quàm latè sese extenderit, & quomodo omne hominum genus, docti & indocti, rudes & exculti, magno numero ad eam confluxerint. Nunc in causas miri illius Phænomeni inquirendum est. Certè hoc quidquid est, humanis auxiliis, viis merè naturalibus, factum non esse, ita clarum est ut nihil clarius. Quid enim? An rei Christianæ fundatores fuerunt *Viri nobiles atque potentes, Reges, Principes, Magnates, qui suâ potentiâ ac auctoritate negotium hoc perfecerint?* Nihil minùs. Erant ex Gente contemptissima; & in illa ipsa Gente, erant ex vilissima plebe, fabri, piscatores, publicani, quemadmodum suprà ostendimus.

An

* EUSEB. Hist. Eccles. Lib. VI. cap. 18. 19. † HIERON. Præf. in Catal. Script. Eccles.

An *arma ſumpſerunt*, an *Exercitus conſcripſerunt*, *quibus Doctrinam ſuam diffunderent?* Ne id quidem. Nulla ipſis arma, nulla ſatellitia, nulla Principum ac Magiſtratuum præſidia, nihil unô verbô, quô vim Populis facerent, eóſque ad adſenſum & obſequium cogerent. Hâc quidem viâ, inter ſuos Arabas, prævaluit *Muhammedes*, ſuámque Religionem unà cum Imperio extendit: Sed nihil ſimile à CHRISTO & Apoſtolis factum videmus. Dices, ſi non vi & armis, fortè *ingenii dotibus eminuiſſe Apoſtolos*, *quibus Doctrinam ſuam excogitarent ac promoverent.* Nihil hujuſmodi in ipſis adparet, nec philoſophicum acumen, nec eruditio, nec facundia: Quod quidem ab ipſis agnoſcitur, v. g. 1. Cor. I. & II.; Idque innuunt eorum ſermones, in quibus nihil non planum, nihil non populare, nihil quod mundanam eloquentiam aut ſapientiam redoleat. Quinimò, ne quis hac de re dubiret, id fatentur eorum hoſtes, atque ipſis vitio vertunt; Etenim una ex præcipuis criminationibus, quibus Apoſtoli & primi Chriſtiani premebantur, hæc fuit, quòd eſſent rudes ac illiterati, nullóque eruditionis ac ſapientiæ apparatu conſpicui; Quæ accuſatio apud *Celſum*, *Porphyrium*, *Julianum*, frequentiſſimè occurrit. Denique & hoc quoque adjungendum, *nullam artem adhibuiſſe Apoſtolos*, *eorúmque ſucceſſores*, *quâ Principum vel Populorum gratiam ſibi conciliarent*: Contrà, omnium errores ac vitia liberè impugnabant, neque ulla adulatione aut ſimulatione utebantur: Quæ tamen artes, cùm omnibus novarum Doctrinarum auctoribus, tum iis præſertim qui cæteris auxiliis deſtituti ſunt, neceſſariæ admodum videntur. Sic ergo liquet, Chriſtianam Doctrinam, cùm in lucem prolata eſt ac propagata, nullis humanis præſidiis munitam fuiſſe. Si verò humana aberant, utique divina adfuiſſe neceſſe eſt. Si aberant *arma carnalis militiæ*, fuerunt *arma potentia* DEO, vis Veritatis, Doctrinæ præſtantia, Miracula, Prophetiæ, DEUS, Deus ipſe, ut verbo dicamus; qui ſolus, tantam rerum converſionem, per organa adeò imbecilla, exſequi potuit. Hinc Paulus, *Habemus hunc theſaurum in vaſis teſtaceis*, *ut excellentia virtutis hujus ſit* DEI, *& non ex nobis.* 2. Cor. IV. 7.

X. VI. Verùm enimverò, Chriſtianæ rei non ſolùm deerant humana Auxilia, ſed & Obſtacula potentiſſima ab omni parte occurrebant; & hæc quidem præ cæteris. PRIMO quidem, Gentes illæ omnes, apud quas prædicatum eſt Evangelium, aliis planè, imò contrariis, Religionibus imbutæ erant. Jam verò, nemo neſcit, quantoperè Homines iis Sacris adhæreant, quæ à Majoribus accepêre, & quibus à puero innutriti ſunt. *Judæi* certè, ſaltem poſt Captivitatem Babylonicam, Sacris ſuis conſtantiſſimè adhærebant, prout ex Hiſtoria Maccabæorum, & Bello Judaïco, colligere licet: Et, ſi vel minima proponeretur immutatio, etiam cum capitis diſcrimine obluctabantur. *Ethnici* etiam, veterum conſuetudinum retinentiſſimi erant, & novarum Religionum (earum ſaltem quæ priores damnarent) hoſtes acerrimi: Unde, cùm Paulus Athenienſibus prædicaret, illud ipſi præ cæteris vitio datum eſt, quòd *peregrinorum Deorum* annuntiator eſſet; Act. XVII. 18.

XI. SECUNDO, præter communem illam patriis Sacris adhæſionem, aliæ erant, cùm apud Judæos, tum apud Ethnicos, præjudicatæ opiniones, quæ Chriſtianæ Religioni plurimùm adverſabantur. *Judæi* quidem, tum de temporali Meſſiæ regno, tum de Cæremoniarum Legalium præſtantia, & æterna duratione, tum de ſuæ Gentis prærogativis, aliarúmque omnium vilitate, tum de auctoritate Doctorum ſuorum, Phariſæorum, Scribarum, Legiſperitorum, ita perſuaſi erant, iiſque opinionibus ita capti atque irretiti, nihil ut contrarium audire poſſent. *Ethnici* pariter, tum de antiquitate, extenſione, ſplendore Ethnicíſmi, tum adversùs humilem Chriſti & Apoſtolorum fortunam, tum adversùs eorum ruditatem, quæ à Philoſophorum ſuorum ſapientia & ſubtilitate tantoperè diſtabat, tum adversùs multa Dogmata, Præcepta, & Promiſſa, in Evangelio propoſita, ita animati erant, ut Chriſtiana Religio *ſtultitia* ipſis videretur, prout docet Paulus 1. Cor. I. & II.

XII. TERTIO, ut præjudicatæ opiniones, ita etiam adfectus ac vitia, Chriſtianæ Religionis progreſſibus quammaximè obluctabantur. Cùm enim ſanctiſſima illa Doctrina vitia omnia ſeverè

verè damnaret, & exquiſitam puritatem requireret, eam Homines corrupti, qui maximo ſemper numero ſunt, non poterant admittere. Dicebant, *Sermo hic durus eſt; quis eum ferat?* Atque illud eſt, quod ſæpe Judæis exprobrat Chriſtus; *Quomodo poteſtis credere*, aiebat, *cùm veſtram mutuò gloriam quæratis, non verò gloriam Dei?* Joh. V. 44. Et alibi; *Hoc eſt judicium, quòd Lux in mundum venit, ſed homines tenebras maluerunt quàm lucem, quia opera eorum ſunt prava.* Joh. III. 19. Quò ſpectat & illud Pauli, *Si Evangelium noſtrum opertum eſt*, &c. 2. Cor. IV. 3. 4. Quam quidem in rem, eximius eſt apud Lactantium locus: * *Hæc noſtra*, inquit, *quæ tradimus, pravæ vitioſæque mentes, aut omninò non intelligent, aut etiam ſi intelligent, diſſimulabunt tamen, & hæc vera eſſe nolent, quia trahuntur à vitiis, & ſcientes malis ſuis favent, quorum ſuavitate capiuntur, & virtutis viam deſerunt, cujus acerbitate offenduntur*, &c.

XIII. Quarto, ex his fontibus ortum duxerunt graviſſimæ Perſecutiones, quæ Chriſtum ipſum, ejúſque Apoſtolos, ac eorum ſucceſſores, adortæ ſunt. De Christo, res nota eſt. Quo furore etiam Judæi Apoſtolos perſequerentur, quomodo eos in carceres mitterent, & compedibus vincirent, & flagris cæderent, & lapidibus obruerent, & mille modis denique eorum vitæ inſidiarentur, ex Actibus Apoſtolicis, & Scriptis Apoſtolorum, plus ſatis liquet. Neque verò ſequentibus temporibus furor ille deferbuit: Etenim obſervat *Juſtinus Martyr*, † ſuo tempore, hoc eſt, mediô Sæculô II., Judæos quaquaverſùm homines miſiſſe, qui Chriſtianos calumniis ac opprobriis onerarent, omniúmque in ipſos odia ac furores excitarent. Unde & *Tertullianus*, ſub ejuſdem Sæculi finem, *Synagogas Judæorum fontes Perſecutionum* ‡ appellat. Poſt Judæos, Ethnici etiam graviſſimas Perſecutiones contra Chriſtianos excitârunt. Nota ſunt, hanc in rem, *Neronis*, *Domitiani*, *Trajani*, *Antonino-*

* Lactant. Div. Inſt. Lib. VIII. cap. 1. † Justin. M. Dialog. cum Tryphone. ‡ Tertull. cont. Gnoſticos, cap. 12.

toninorum, aliorúmque, non crudelium duntaxat, ſed & quorundam cæteroquin mitium ac ſapientium Imperatorum geſta, à quibus Chriſtiani, inde ab ipſis Eccleſiæ primordiis, peſſimè habiti, & crudeliſſimis ſuppliciis adfecti ſunt.

XIV. POSTREMO, ut Principes Edictis ſuis, ita etiam Philoſophi, Oratores, Legumperiti, unô verbô Viri doctiſſimi & maximi habiti inter Ethnicos, Scriptis virulentiſſimis Chriſtianos impugnârunt. Cui non dictæ *Celſi*, *Porphyrii*, *Hieroclis*, *Juliani*, aliorúmque non paucorum, criminationes? Et *Domitium Ulpianum*, celebrem Juriſconſultum, *reſcripta Principum nefaria collegiſſe*, *ut doceret quibus pœnis Chriſtianos adfici oporteret*, auctor eſt LACTANTIUS. †

XV. Quibus omnibus abundè patet, nullum non Adverſariorum ordinem, nulla non Obſtaculorum genera, Chriſtianæ Religionis progreſſibus obſtitiſſe; & Judæos, & Gentiles; & præjudicatas utrorumque ſententias, & pravos utrorumque adfectus; & viros potentes, & viros doctos; & edicta ſeveriſſima, & atroces calumnias; Quinimò carceres, exſilia, flagra, vivicomburia, cruces, equuleos; verbô, quidquid humana crudelitas excogitare ferociſſimum potuit. Qui tot tantísque impedimentis à Chriſtiana Religione arcebantur, an credibile eſt, eos, ſine graviſſimis rationibus, ad eam acceſſiſſe? Quid aliud, quàm vis Veritatis, quàm evidentia Miraculorum, aliorúmque argumentorum pro Chriſtiana fide militantium, tot obſtaculis, tot periculis, præponderare potuit? Denique adversùs tot tantóſque hoſtes, quid potuiſſet CHRISTIANA RELIGIO, nuda, inermis imparata, humanis omnibus præſidiis auxiliíſque deſtituta? Quomodo ſeipſam defendere, quomodo longè latéque propagari potuiſſet, ſi fuiſſet res merè humana, ſi DEI manus & auxilia præſtò non fuiſſent?

XVI. VII. Auget miraculum, quòd, non ad tempus, & quodam velut paroxyſmo, Chriſtianiſmus invaluerit, ſed altas egerit radices, neque ullis hominum conatibus, ullis artibus, ullis calumniis, ullis perſecutionibus, per ſeptendecim Sæcula, eradi-

† LACTANT. Lib. V. cap. 11.

eradicari potuerit. Quod ſanè ita ſingulare eſt, & ab omni veri ſpecie ita alienum, ut in eo etiam non obſcurum divinitatis indicium deprehendatur. Nam, ut humana quædam Doctrina, imò Doctrina falſa, ſeu ob novitatem ſuam, ſeu ob certam ingeniorum temperiem, ſeu ob felices quaſdam circumſtantias, per aliquod tempus invaleſcat, id fieri quidem poteſt, & quotidie cernitur. At verò, quòd ea Doctrina, quæ nullis humanis præſidiis munita eſt, quæ innumeris contrà obſtaculis eſt obnoxia, quæ ab univerſo Orbe oppugnatur, à Judæis, à Gentibus, à Regibus, à Sacerdotibus, à Philoſophis, ab ipſa plebe, quòd ea, inquam, Doctrina, toto ſeptendecim Sæculorum ſpatio, non modò non deſtruatur, ſed & fidem ubique obtineat, & quotidie magis extendatur, & à Populis diſſitiſſimis, quique in cæteris omnibus quammaximè inter ſe diſcrepant, uno ore recipiatur, id verò eſt, quod non alii cauſſæ, preterquàm veritatis robori, præterquàm vi Divinæ pro Doctrina illa militanti, adſcribere licet.

XVII. VIII. Denique, his omnibus confirmandis, addidimus, nullam unquam Sectam, nullam Religionem, nullam Philoſophiam, eô modô propagatam eſſe. Certè Ethnicismus, cujus tam lata támque diuturna videtur extenſio, *unum* quidem *nomen* eſt, (ut ſcitè obſervat Grotius) ſed *non religio una. Nam nec idem adorabant; alii enim Aſtra, alii elementa, alii pecudes, alii res non ſubſiſtentes; nec eadem ex lege, nec ullo communi Magiſtro.* Muhammedismus, non diffitemur, per ampliſſima Terrarum ſpatia, celeritate haud vulgari ſeſe diffudit: Sed qua ratione, omnes nôrunt; nimirùm, armorum vi, & ſubdolis Magiſtri artibus. Ipſa verò Judæorum Religio, utut vera atque divina, tamen intra unius populi & regionis terminos ita ſe continuit, ut nonniſi paucos extraneos ad ſe adduceret: Et, ſi quam habeat celebritatem, eam Chriſtianis potiſſimùm debet. De Philosophorum familiis & diſciplinis quid adtinet dicere, quarum nulla eſt, quæ, cum hac Chriſtianæ Religionis propagatione, vel minimùm comparari queat. Sumite nobiliſſimos quoſque,

Thaletem, *Pythagoram*, *Zenonem*, *Socratem*, *Platonem*, *Aristotelem*, &c. Quantæ illis ingenii dotes, quanta ſagacitas, quanta eruditio, quanta facundia! Verùm quodnam, ſuis illis dotibus, operæ pretium fecerunt? Quid, niſi paucos quoſdam Diſcipulos documentis ſuis imbuerunt? Sed nullam Gentem, nullam Civitatem, (multò verò minùs plurimas Gentes) ad ſua placita, ſuámque vivendi rationem, adduxerunt: Dum interim Piſcatores noſtri, nullis doctrinæ, nullis eloquentiæ ſubſidiis inſtructi, totum Terrarum Orbem immutârunt, ſuique Magiſtri crucifixi placita quaquaversùm diſſeminârunt.

XVIII. Unum erit quod nobis objiciant; nempe *Fanaticorum* deliria, ſtupendum quandoque in modum, per Provincias & Regna, propagari atque extendi; imò & eos miram non rarò, in adeundis periculis, & perferendis cruciatibus, fortitudinem exhibere. R. Verùm hos eſſe breves paroxyſmos, ignibus fatuis non abſimiles, (ut alia jam diſcrimina omittamus) experientiâ plus ſatis conſtat; proindéque, cum ſapientiſſima & conſtantiſſima Evangelii propagatione, in comparationem venire nequeunt. Neque profectò à ratione abhorruiſſe exiſtimandum eſt, *Gamalielis* illud, de tolerandis primis Chriſtianis, conſilium; *quia*, inquiebat, *ſi ab hominibus conſilium hoc proceſſit*, *diſſolvetur*; *Sin ex Deo eſt*, *non poteritis illud diſſolvere*; *quare & cavendum*, *ne cum* DEO *pugnare comperiamini*. Act. V. 38. 39.

XIX. Dictorum SUMMAM hîc reſumere juvat, & Lectorum meditationi denuò commendare. Igitur, quòd Religio nova, ab iis omnibus quæ obtinebant plurimùm abhorrens; Religio, quæ Crucifixum pro ſummo Domino, & Felicitatis auctore, proponit; Religio, quæ Præceptis adcuratiſſimis, & carni duriſſimis, Homines adſtringit; Religio, quæ nonniſi Bona inviſibilia, imò quædam parùm veriſimilia, qualis eſt Corporum reſurrectio, pollicetur; Quòd talis Religio, ab hominibus viliſſimis & ignariſſimis, piſcatoribus, artificibus, prædicata; nullis armis, nullis opibus, nulla eloquentia, nullis humanis præſidiis adjuta, & contrà, nulla non obſtacula, nullos non

non adverſarios experta; Quòd, inquam, talis Religio, intra paucorum annorum ſpatium latiſſimè diffuſa ſit, imò totum Romanum Imperium, hoc eſt, univerſum Orbem, impleverit, ipſóſque tandem Orbis dominos (à quibus, nullis non opprobriis, nullis non ſuppliciis adflicta fuerat) ſibi ſubjecerit; neque modò ad breve tempus, ſed per ſeptendecim jam Sæcula, in Orbe viguerit; neque ulla ſit regio, nulla Gens, nullus Terræ angulus, in quam illa non penetraverit, & plurimos ſibi diſcipulos pepererit; Hoc profectò tale eſt, ut inter Eventus merè naturales numerari prorsùs nequeat, Deique digitus, ſi alibi uſpiam, hîc manifeſtò conſpiciatur.

XX. Atque ſic breviter diximus de Argumento, ex *Evangelii propagatione* deſumpto: Quod, ut in ſe validiſſimum eſt, omníque exceptione majus, ita & planum, facile, omnium captui maximè eſt adcommodatum. Qua de cauſſa, à veteribus Apologiſtis, frequentiſſimè, nec ſine maximo ſucceſſu, adhibetur. Inſtar omnium erit ARNOBIUS *, qui, poſtquàm dixit, Factorum Evangelicorum dari *teſtes optimos, certiſſimóſque auctores, qui & crediderunt hæc ipſi, & credenda poſteris tradiderunt*, addit; *Quinam iſti ſint, fortaſſe quæritis? Gentes*, reſpondet, *Populi, Nationes, & incredulum illud Genus Humanum. Quòd niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, quemadmodum dicitur, clarior, nunquam rebus hujuſmodi credulitatis ſuæ commodarent aſſenſum.* Et mox. *Quòd ſi falſa, ut dicitis, hiſtoria illa rerum eſt, unde tam brevi tempore totus Mundus iſta religione completus eſt? aut in unam coïre quî potuerunt mentem Gentes regionibus diſſitæ, ventis, Cæli convexionibúſque dimotæ? Aſſeverationibus illectæ ſunt nudis, inductæ in ſpes caſſas, & in pericula capitis immittere ſe ſponte temeraria deſperatione voluerunt, cùm nihil tale vidiſſent, quod eas in hos cultus novitatis ſuæ poſſit excitare miraculo.* His paria rursùs habet Lib. II., ubi hoc urget inter alia, quòd *magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Conſulti Juris ac Medici, Philoſophiæ*

* ARNOB. adversùs Gentes, Lib. I.

etiam ſecreta rimantes, magiſteria hæc (hoc eſt, Chriſtianiſmum) *expetunt, ſpretis quibus paulò antè fidebant.* Verùm in eo arcem cauſſæ collocat, idque maxima cum ratione, quòd, *cùm genera pœnarum tanta eſſent propoſita religionis hujus ſequentibus leges, augeretur res magis, & contra omnes minas atque interdicta formidinum animoſiùs populus obniteretur*; &c. Sed de his aliiſque non exigui momenti, ulterior erit dicendi locus, cùm de *Efficacia Chriſtianiſmi* (quæ una pars cœpti noſtri abſolvenda ſupereſt) primâ datâ occaſione verba faciemus.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO X.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Habita eſt diſputatio, reſpondente JACOBO EYNARD *Genevenſi.*

SECTIO OCTAVA,

Quâ, ex EFFICACIA Chriſtianiſmi, *ejuſdem veritas & divinitas colligitur.*

THESIS PRIMA.

NOn mirabili tantùm ratione propagata eſt CHRISTI Religio; ſed & ſtupendos, planéque divinos, inde ab ortu, effectus peperit. Quod argumentum ſi ſuperioribus adjungatur, eorum robur non parum augebit; præſtantiſſimæque illius Doctrinæ veritati ac divinitati, tot jam rationibus demonſtratæ, haud exiguam confirmationem adjiciet.

II. Ac ſanè, ſi in humanis utplurimùm valeat hæc regula, *Ex opere cognoſci Artificem*; ſíque Dei majeſtati & ſapientiæ conſentaneum ſit, eam Doctrinam quæ ab eo profecta fuerit, non modò fructu non carere, ſed & uberrimos ac ſaluberrimos fructus proferre, quis, ex mira illa rerum converſione, quæ Chriſtianiſmi adventum ſecuta eſt, ex præclaris illis effectibus, quos Chriſtiana Doctrina protulit, verè divinam eſſe non colligat? Poſitô, Deum hic fuiſſe; Quonam ſalubriore inſtituto, quanam feliciore rerum mutatione, ſuam demonſtrare efficaciam potuit?

III. Efficacia illa Chriſtianiſmi, jam inde à primis Eccleſiæ temporibus, in tribus potiſſimùm ſe exſeruit; *Primùm*, in debellanda Idololatria, verique Dei cognitione & cultu paſſim inſtituendis ac diſſeminandis; *Secundò*, in moribus hominum, ſi non quantùm par erat, certè notabili admodum ratione, ad pietatem & ſanctitatem informandis; *Tertiò*, in mira conſtantia & fortitudine, quâ Chriſtiani innumerabiles, Evangelii profeſſionem, inter graviſſimos cruciatus, & diriſſima ſupplicia, retinuerunt ac defenderunt. Tria illa ſi ſeriò adtendantur & ponderentur, fieri non poterit quin luculentiſſima divinæ virtutis indicia in iis deprehendantur.

IV. PRIMO igitur Idololatriam, quâ univerſus Terrarum Orbis, unâ exceptâ Judæorum gente, infectus erat, Chriſtianiſmi beneficio longè latéque everſam eſſe, & veri Dei Creatoris cultum fauſtis auſpiciis inſtitutum, ita clarum apertúmque eſt, ut in controverſiam vocari nequeat. Fuit hic unus ex præcipuis Chriſtianæ Doctrinæ finibus: Neque aliud magis curârunt Apoſtoli, dum inter Gentes prædicabant, quàm ut eas ab Idolis mortuis ad unum verum Deum reducerent. *Vobis nuntiamus*, inquiebant, *ut à vanis illis convertamini ad Deum, vivum, qui fecit Cœlum, & Terram, & Mare, & quæcunque in eis ſunt.* Act. XIV. 15. Quæ quidem Apoſtolorum, eórumque qui ipſis ſucceſſerunt, Conciones, tanti ponderis fuerunt, tantæ efficaciæ, ut Idola paſſim corruerint, verúſque Deus omnium conditor, per univerſum Terrarum Orbem, agnitus ſit atque adoratus.

V.

V. Quanti fuerit momenti, quantæque ſimul difficultatis, everſio illa Idololatriæ, ex ſequentibus obſervationibus facile eſt exiſtimare. Nam 1. nemo non videt, Idololatriam, & Deo maximè injuriam, & hominum generi probroſiſſimam fuiſſe; ſiquidem Creator cum rebus creatis, imò & cum viliſſimis Entibus, confundebatur; ritúſque ſtultitiæ ac impietatis pleniſſimi exercebantur. 2. Erant in primis exſecrandæ quædam Idololatriæ ſpecies, apud Gentes, non rudes modò, ſed & excultiſſimas, uſitatæ: Qualis fuit Victimarum humanarum mactatio, non apud veteres modò Palæſtinos, ſed & apud Carthaginenſes, Cretenſes, Gallos, Germanos, Græcos ipſos atque Romanos, Peruanos, Mexicanos, & quos non? frequentata. Quales & fuerunt ſpurcitiæ innumeræ, ſtupra, adulteria, proſtitutiones, in ſacris Veneris, Bacchi, Priapi, aliorúmque Deorum, admitti ſolitæ. Quem in cenſum etiam referendæ ſunt Artes Magicæ, incantationes, fraudes Sacerdotum, in Oraculis & Sacrificiis. De quibus omnibus Ethnicorum Sapientes querebantur: Sed quæ Doctrina iis mederetur, præterquàm Chriſtiana, nulla reperta eſt.

VI. 3. Enimverò, non obſtante fœditate omni ac iniquitate Sacrorum illorum, tamen, jam inde ab antiquiſſimis temporibus prævaluerant; univerſóſque Terræ Populos, (vix exceptis Judæis, quos Divina Revelatio adflaverat, quíque nihilominus ad vicinorum Idololatriam non rarò delabebantur) invaſerant atque infecerant; Adeò ut Idololatria, & antiquitate, & extenſione, cum ipſo propemodùm Orbe certaret. 4. Nec mirum; favebat quippe Idololatriæ ipſa hominis natura, ad res ſenſibiles propenſiſſima, & præjudicatæ infantiæ opiniones, & adfectus vividiſſimi & communiſſimi, avaritia, libido, pompæ ſtudium, &c. 5. Pro ea ſtabat, eámque ſuo tegebat patrocinio, quicquid maximum & potentiſſimum in rebus humanis erat; Reges ipſi atque Magiſtratus, Pontificum & Sacerdotum collegia, Plebs quinetiam atque Artifices, qui ex praxi Idololatriæ non rarò lucrum faciebant; cujus rei exemplum notabile in Dianæ Epheſiæ cultoribus, Act. XIX. videre eſt.

VII. 6. Multi quidem Ethnicorum Philoſophi, receptarum ſuperſ-

ſuperſtitionum inſaniam agnoverant; Verùm ad eas emendandas nihil valuerant, imò ne id quidem tentare auſi fuerant. Certè ipſi illi, qui patria Numina, receptóſque Cultus, inter privatos parietes irridebant, publicè tamen nihil audebant proloqui; ipſíſque illis Cultibus ſe adcommodare haud verébantur. *Socrates* ipſe, omnium ſapientiſſimus, quíque ob irriſas vulgares de Diis fabulas, impietatis accuſatus eſt & morte mulctatus, Deos tamen νόμῳ πόλεως, * *ritu cujuſque Civitatis*, colendos adfirmabat: Quæ & cæterorum Philoſophorum ſententia & praxis fuit.

VIII. 7. Quid, quòd ipſa Judæorum Religio, ad unicum Deum docendum, & Idololatriam profligandam, comparata, tamen intra fines Populi illius ita ſe continebat, ut alios non multùm juvaret. Quinimò &, interdicto cum reliquis commercio, hinc factum eſt, ut ad emendandam reliquarum Gentium Idololatriam, per annos pluſquàm mille & quingentos, qui à data Lege uſque ad Chriſtum effluxerunt, vix quidquam operæ contulerit.

IX. Quî fit igitur, ut Morbo adeò inveterato, adeò univerſali, in ipſa veluti hominis natura, ejuſque propenſionibus, hærenti; Morbo, tot tantíſque præſidiis ſulto & firmato; Morbo, cujus ſanationem ne ſapientiſſimi quidem mortalium adgredi auſi fuerant; Quî fit, inquam, ut tali Morbo, medicinam adeò aptam, adeò efficacem, repererint Apoſtoli noſtri, de plebe homines, rudes, literarum neſcii, piſcatores, publicani, tentoriorum artifices? Quis tantam ipſis ſapientiam, quis tantam audaciam infudit, ut id tentarent atque perficerent, quod ante ipſos cogitaverat & tentaverat nemo? Certè, ut conſilium illud evertendæ Idololatriæ, ſupra vulgarem hominum mentem erat, talium præſertim hominum, quales erant Apoſtoli; ita & efficacia, in eo ad exitum perducendo, verè divina exiſtimanda eſt.

X. Dices, *magnam Terrarum partem in Idololatria etiamnum immerſam eſſe*, adeóque gloriæ illi everſorum Idolorum, quam Chriſtianiſmo tribuimus, non parùm adhuc deeſſe. R. Verùm, ſi non omnes, certè longè plurimi Orbis terrarum Populi, receptô

* XENOPHON. Memorabil. Lib. IV. cap. III. §. 16. & cap. VI. §. 2. 3. 4.

ceptô Christianismô, Idolis nuntium miserunt: Quod quidem ad gloriam Christiani nominis abundè sufficit. Quinimò & cæteros etiam Populos, ante Mundi finem, ejusdem felicitatis compotes fore, Prophetarum Oracula * sperare nos jubent.

XI. Erunt etiam qui nobis objiciant, tantùm abesse ut Idololatria beneficio Christianismi sit profligata, ut *magna pars Christianorum in novam Idololatriam Ethnicâ ipsâ crassiorem delapsa sit.* 32. Verùm, licèt negari nequeat deflenda illa Christianorum benè multorum à primæva Cultûs puritate & simplicitate defectio, illud tamen optimum remansit, quòd omnes, etiam corruptissimi, unum verum Deum agnoscant, & Idola Gentilium detestentur. Adhæc, si qua sint in ipsorum Cultu, quæ Idololatriam sapiant, (multa autem esse non diffitemur) ferunt tamen ipsi, ut ita dicamus, suæ condemnationis tabulas; Habent, quo refellantur atque arguantur, sicque ad saniorem mentem (quidni enim id sperare liceat?) aliquando revocentur.

XII. Alter Doctrinæ Christianæ fructus, eximius oppidò & Deo dignissimus, fuit ea morum immutatio, & ad veram pietatem & sanctitatem conversio, quæ in Christianis benè multis, initio præsertim Christianismi, conspecta est. Quàm perditi fuerint, & in omne nefas projecti, plerorumque, cùm Gentilium, tum Judæorum, mores, ex eorum Scriptoribus plus satis constat. Verùm hæc omnia, si non ut par erat, (quod ingenuè agnoscendum est) notabili tamen ratione, & ad gradum usque provectissimum, adventu Christianismi emendata sunt. Qui ad Christianam fidem accedebant, in novos veluti homines mutabantur. Fuit quasi *nova creatio; novi Cœli & nova Terra;* eórumque, qui in vitiis mortui erant, *resurrectio. Et hæc eratis nonnulli*, (nempe *scortatores*, *mœchi*, *molles*, *masculorum amatores*, *fures*, *avari*, *ebriosi*, &c.) *Sed abluti estis*, *sanctificati*, *justificati*, *in nomine Domini Jesu*, *& per Spiritum Dei nostri.* 1. Cor. VI. 11. Prætereo laudes, in Fideles *Romanos*, *Thessalonicenses*, *Philippenses*, &c. ab Apostolis collatas; adu-

* Vid. Isai. II. 17. & seq. XVII. 7. 8. & alia plurima loca.

lationis haudquaquam ſuſpectas habendas, cùm eodem tempore Chriſtianos inordinatè ſe gerentes vividè arguant; cúmque re verâ valdè ſit credibile, temporibus illis aleæ plenis, & quibus nonniſi cruces & ſupplicia Chriſtianis exſpectanda erant, pleroſque nominis illius profeſſores ſinceros fuiſſe, eámque pietatem quam præ ſe ferebant verè coluiſſe. Dicimus *pleroſque*; nec enim negamus, multos malos bonis permixtos: At verò Perſecutiones adinſtar cribrorum erant, quibus palea à tritico ſecernebatur, & ex area Dominica magnam partem ejiciebatur.

XIII. Neque verò minor eluxit pietas, minor caritas, minor ſanctitas, in proximi temporis Fidelibus: Cujus rei lucu'entiſſima, apud Scriptores illius ævi, documenta exſtant. Omnium antiquiſſimus eſt CLEMENS Romanus, Apoſtolorum coævus, qui, primâ ſuâ ad Corinthios Epiſtolâ, eximium hoc eorum virtutibus teſtimonium perhibet. * *Quis apud vos diverſatus, virtute omni plenam, firmámque fidem veſtram non probavit? modeſtam ac decentem in Chriſto pietatem non eſt admiratus? magnificentiam hoſpitalitatis veſtræ non prædicavit? perfectam ſtabilémque cognitionem non judicavit beatam? Nam ſine perſonarum acceptione cuncta faciebatis, & in Dei legibus ambulabatis; ſubditi Præpoſitis veſtris, & honorem debitum ſenioribus veſtris tribuentes: Juvenibus, ut moderata & honeſta cogitarent, mandabatis: Mulieribus denuntiabatis, ut in inculpata, & honeſta, & caſta conſcientia, peragerent omnia; diligerent pro officio maritos ſuos, atque in obedientiæ regula conſtitutæ, res domeſticas honoratè adminiſtrarent*; &c. Sic ille cap. 1. Quod & proſequitur capite ſequenti: *Omnes*, inquit, *humili animo eratis, nullatenùs ſuperbientes, magis ſubjecti quàm ſubjicientes, dantes potiùs quàm accipientes; Dei viatico contenti, & accuratè attendentes ſermonibus ejus: Dilatati eratis in viſceribus, & paſſiones illius præ oculis veſtris erant. Sic pax alta & præclara omnibus dabatur, inſatiabile benefaciendi deſiderium, & plena Spiritûs ſancti ſuper omnes effuſio erat: Atque pleni ſanctæ voluntatis, bona alacritate cum*

* CLEMENS Rom. I. Epiſt. ad Corint. cap. 1. & 2.

tum pia confidentia extendebatis manus veſtras ad Deum, ſupplicantes ut propitius eſſet, ſi quid inviti peccaſſetis. Vobis, dies & noctes, ſollicitudo erat pro univerſa fraternitate, ut ſalvaretur numerus electorum Dei. Sinceri & ſimplices eratis, atque injuriarum immemores. Omnis ſeditio & ſciſſura vobis erat abominationi; de proximorum delictis lugebatis; eorum defectus, veſtros judicabatis. Parati eratis ad omne opus bonum: Veneranda & virtutum omnium referta converſatione, cuncta in timore Domini peragebatis; Mandata ejus ſcripta erant in cordis veſtri tabulis. Verum quidem eſt, Clementem poſtea, diſſenſiones, aliósque nævos, Corinthiis exprobrare: Sed hæc fuit humana imbecillitas; *egregio velut adſperſi corpore nævi.*

XIV. Veteres Apologiſtæ, de innocentia Chriſtianorum ſui temporis, eorúmque vitæ puritate & ſanctitate, prægnantiſſimis verbis loquuntur: Exindéque, non modò calumnias adversùs Chriſtianos proferri ſolitas diluunt, ſed & argumentum validiſſimum pro Chriſtianæ Religionis veritate & divinitate colligunt. Pauca de multis loca excerpemus. Sic JUSTINUS MARTYR, Apologiâ, quæ vulgò ſecunda inſcribitur, ſed prima re vera eſt; *Nos*, inquit, * *à Verbo perſuaſi, ab illis quidem deſcivimus* (nempe Dæmonibus, quos colebant Ethnici) *ſolum verò ingenitum Deum per Filium ſequimur. Et qui olim ſtupris gaudebamus, nunc caſtitatem ſolam complectimur: Qui magicis artibus utebamur, bono & ingenito Deo nos conſecramus: Qui pecuniarum & poſſeſſionum quæſtus præ rebus omnibus adamabamus, nunc ea etiam quæ habemus in commune conferimus, & cum indigentibus quibuſque communicamus: Qui odiis & cædibus mutuis inter nos graſſabamur, & cum eis qui tribules noſtri non eſſent communem focum non habebamus, nunc poſt Chriſti adventum convictores ſumus, & pro inimicis oramus, quíque nos iniquo proſequuntur odio, eos ſuaſione flectere conamur, ut ſecundùm Chriſti præcepta vitam agentes, ſpem habeant, ſe eadem nobiſcum à Deo omnium dominatore conſecuturos.* Idem & alibi

* JUSTINUS M. Apol. vulgò II. ſed revera I. §. 17.

profitetur, * NON IN DICTIS, SED IN FACTIS, Christianorum *pietatem positam fuisse.* Pariter docet ATHENAGORAS, † Christianos „nihil mali patrâsse, contrà omnium piissimè & „justissimè, cùm erga Deum, tum erga Imperantes, se gessisse: „ *Quòd si quis* ‡, addit, *vel parvi, vel magni alicujus criminis nos convicerit, non deprecamur supplicium, sed vel crudelissimum illud tolerare parati sumus. Quin potiùs*, repetit, ⸸ *sistamur judiciis, ut à criminibus illis quæ nobis intentant, aut absolvamur, aut, si convicti fuerimus, puniamur:* Οὐδεὶς γὰρ χριστιανὸς πονηρὸς, εἰ μὴ ὑποκρίνεται τὸν λόγον. NEMO CHRISTIANUS MALUS, *nisi qui professionem mentitus fuerit. Apud nos*, ait idem aliô locô, § *homines etiam plebeii, quique ex manuum labore victum sibi parant, & vetulæ, si sermonibus utilitatem professionis nostræ ostendere nequeant,* REBUS IPSIS ET OPERIBUS *eam declarant. Nec enim orationes compositas recitant, aut annumerant verba, sed actiones honestas & virtutum exempla de se præbent; dum percussi non repercutiunt, spoliantibus dicam non scribunt, petentibus largiuntur, proximos quosque ut seipsos amant*; &c.

XV. In eundem modum TERTULLIANUS Ethnicos ipsos testes adpellat, quòd inter sceleratos, qui Præsidum judiciis quotidie damnabantur, Christianus nullus occurreret. ** *Vestros contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis præsidetis. Tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur: Quis illic sicarius, quis manicularius, quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo, idem etiam Christianus adscribitur? Aut, cùm Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer: de vestris semper metalla suspirant: De vestris semper bestiæ saginantur: De vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi hoc tantùm: Aut si & aliud, jam non Christianus.* Idem alibi testatur, Christianorum probitatem ab Ethnicis ipsis agni-

* Idem, Parænn. ad Græcos. † ATHENAGORAS, Legat. pro Christ. p. 6. 7. Edit. Oxon. 1682. ‡ p. 8. 9. ⸸ p. 12. 13. § p. 44. 45. ** TERTULLIAN. Apolog. cap. 44.

agnitam esse: * *Bonus vir Caïus Seïus; tantùm quòd Christianus. Ego miror Lucium Titium sapientem virum, repentè factum Christianum!* Origenes multus etiam est in describenda morum sanctitate, quam adtulit Christi disciplina, hincque illius divinitatem passim colligit. Memorat † *multitudinem credentium, liberatorum à vitiorum colluvie, in qua priùs volutabantur.* Adserit, *non sine Deo fieri potuisse, ut Jesus tot hominum animas sanaverit & converterit, melioresque redditas pendere fecerit à Deo universorum, docueritque suas omnes actiones ad illius voluntatem referre*, &c. Vult inquiri in vitas eorum qui Christo nomen dedêre; Vult conferri ‡ *pristinam eorum vivendi rationem*, cum ea quam postea amplexi sunt; *in quantis impuritatibus, in quantis iniquitatibus & cupiditatibus fuerint singuli*, priusquàm Christiani fierent; *ex quo autem tempore Verbum receperunt, quanto æquiores sint redditi, graviores, constantiores, puritatis studiosiores*, &c. *Hæc qui secum reputaverit*, concludit Origenes, *intelliget Jesum ausum majora humanis viribus, & quod aggressus est perfecisse.* Alibi ‖ Christianas Ecclesias cum popularibus Ethnicorum concionibus confert, & quantoperè illæ his præstantiores & pacatiores essent, demonstrat. Neque aliter *Octavius* apud Minucium Felicem; ** *Si vobiscum comparemur*, inquit, *quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multò tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis, & facitis; nos uxoribus nostris solummodò viri nascimur. Vos scelera admissa punitis; apud nos, & cogitare peccare est: Vos conscios timetis; nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus. Denique de vestro numero carcer exæstuat; Christianus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus.* Et alibi: †† *Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros novimus, & tyrannos, & semper adversùs sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus:* NON ELOQUIMUR MAGNA, SED VIVIMUS:

* Ibid. cap. 3. † Origen. cont. Celf. Lib. I. p. 9. Edit. Cantab. ‡ Ibid. p. 11. ‖ Ibid. Lib. III. p. 128, 129. ** Minuc. Fæl. §. 35. p. 194. Edit. Davis. †† Ibid. §. 38. p. 203.

MUS: *Gloriamur nos conſecutos, quod illi ſumma intentione quæſiverunt, nec invenire potuerunt.* Denique eximia, eandem in rem, apud LACTANTIUM leguntur. * *Quod ipſi facere non potuerunt* (nempe Ethicorum Philoſophi) *ſola hoc efficit Doctrina cœleſtis, quia ſola ſapientia eſt. Illi ſcilicèt perſuadere cuiquam potuerunt, qui nihil perſuadent etiam ſibi; aut cujuſquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coërcebunt, cùm & ipſi cedant vitiis, & fateantur plus valere naturam. Dei autem præcepta, quia & ſimplicia & vera ſunt, quantùm valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effræenatus; pauciſſimis Dei verbis, tam placidum quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: jam cruces, & ignes, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem: Jam ſobrium, caſtum, continentem, videbis. Da crudelem & ſanguinis appetentem: Jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem: Continuò & æquus, & prudens, & innocens erit. Tanta divinæ ſapientiæ vis eſt, ut, in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat.* Tandem in hæc verba concludit Lactantius: *Itaque ſapientia eorum, ut plurimùm efficiat, non exſcindit vitia, ſed abſcondit. Pauca verò Dei præcepta ſic totum hominem immutant, ut non cognoſcas eundem eſſe.* Paria loca, ingenti numero, brevitati ſtudentes omittimus.

XVI. Cùm ea teſtimonia ipſorum ſint Chriſtianorum, erunt fortaſſe, quibus ſuſpecta videantur. Verumtamen, non parùm roboris iis ineſſe, quisquis circumſtantias omnes ponderaverit, facilè perſpiciet. 1. Non unus aut alter é trivio Scriptor eo modo loquitur; ſed plurimi, magnæ famæ, magnæ eruditionis Viri, uno ore idem confirmant. 2. Hæc dicunt in Scriptis publicis, ad Imperatores, ad Senatum, ad infenſiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, directis; quorum conſcientiam adpellant; quos ipſos

* LACTANT. Divin. Inſt. Lib. III. cap. 26.

ſos in teſtimonium vocant. 3. Rogant, in ſuos inquiri mores; eóſque puniri, qui rei comperti fuerint. 4. Non in genere tantùm Chriſtianorum vitam commendant, ſed in ſpecie docent, quàm pii eſſent in Deum, quàm fidi imperantibus, quàm manſueti, quàm pacis amantes, quàm benevoli ac benefici erga ſe invicem, quàm contemptores voluptatum, divitiarum, honorum, quàm alieni non à malo tantùm, ſed & ab omni mali ſpecie. Quid facilius, quàm eos falſi convincere, ſi in his mentiti eſſent? 5. Qui ſecùs agerent, ſeu Hæretici, ſeu corrupti aliàs Chriſtiani, (nec enim tales ſibi permixtos diſſimulant) eos declarant, ſui nominis ſimulatores ac uſurpatores eſſe: Imò & eos à ſuis Cœtibus, juxta Diſciplinæ Chriſtianæ leges, ſtudiosè removebant. 6. Opponunt Chriſtianos Ethnicis Populis, imò verò & Ethnicis Sapientibus; & quantoperè iis præſtarent, clarè demonſtrant. 7. Docent quinetiam, ſuam hanc vivendi rationem, Principiorum ſuorum naturalem ſequelam eſſe; cùm é contrario mirum non eſſet, Deorum flagitiis vitia incendi. 8. Denique, in ſuæ confirmationem innocentiæ, varia adducunt Romanorum Præſidum judicia, imò & Imperatorum ipſorum Reſcripta; v. g. celebrem illam *Plinii* ad *Trajanum* Epiſtolam, & *Sereni Graniani* ad *Hadrianum*, & literas *Antoninorum* ad *Civitates Græciæ*, & *Commune Aſiæ*; &c. Quæ omnia qui ponderaverit, utique innocentiæ & ſanctitati Chriſtianorum, tot monumentis confirmatæ, fidem habere haudquaquam gravabitur.

XVII. Jam quærimus, Unde mira illa, tantæ hominum multitudinis, ad pietatem & virtutem converſio? Unde nova illa Societas, cæteris omnibus Societatibus tanto intervallo præſtantior? Societas, humanis quidem adfectibus, & receptis moribus, contraria; ſed Dei ſanctitati & ſapientiæ convenientiſſima? Societas, non opibus quidem ac pompâ, ſed pietate, caritate, modeſtiâ, manſuetudine, vitiorum omnium fugâ, virtutum omnium praxi, conſpicua? Societas, quam, non ſors naſcendi, non Principum Edicta, non commodorum temporalium intuïtus; ſed ſola Dei gloria, ſolum veri & æqui ſtudium, ſolus terrenorum bonorum contemptus, ſola Immortalitatis exſpec-

ſpectatio, in lucem produxit? Unde, inquam, admiranda illa, neque ulli ſimilis, Societas? Certè, vel ex ſola ſanctiſſimæ illius Societatis inſpectione liquet, hanc verè DEI ECCLESIAM eſſe, proindéque non alium quàm DEUM ipſum, auctorem & fundatorem agnoſcere.

XVIII. Quænam Religio, quænam Philoſophia, quænam Juris & Legum Doctrina, tale quid unquam adgreſſa eſt, tale quid unquam ad exitum perduxit? Nam Ethnicæ quidem RELIGIONES nihil habebant quod proficeret ad mores excolendos, vitámque formandam, quemadmodum à * *Lactantio* & † *Auguſtino* ſapienter obſervatum eſt, nóſque alibi jam monuimus. Imò contrà, ipſorum exemplo Deorum, fovebatur licentia, nulláque non vitia incendebantur. LEGES humanæ, etiam optimæ, non paucis tamen, nec exiguis, laborabant defectibus; nil præter craſſiora ſcelera cohibebant, imò ne illa quidem ſæpiſſimè; adeóque horrendæ illi depravationi morum, quæ per univerſum Orbem cernebatur, frænum injicere haudquaquam poterant. PHILOSOPHI verò, licèt egregia, in Scholis ſuis, de moribus præcepta traderent, tamen ea vix paucis quibuſdam diſcipulis perſuadebant: Quamobrem, non magnum, quotquot fuêre, ad Homines emendandos operæ pretium fecerunt. Certè, nulla regio memorari poteſt, nulla Provincia, nulla Civitas, imò ne unus quidem vicus, qui, Philoſophiæ præceptis, ad ſaniorem vivendi rationem adductus ſit. Quî fit igitur, ut APOSTOLI, eorúmque Succeſſores, barbari homines atque idiotæ, ſi cum Philoſophis illis conferantur, iis omnibus, in momentoſiſſimo hoc negotio, tanto ſint valentiores? Quî fit, ut innumeros Homines, non in una Urbe, non in uno Regno, ſed per totum Terrarum Orbem, à vitiis ad virtutem, ab iniquitate ad juſtitiam, ab impudicitia ad caſtitatem, à fraude ad candorem, à violentia ad manſuetudinem, ab improbitate ad ſanctitatem, incomptis ſuis ſermonibus transferant? Quis tantùm auctoritatis, quis tantùm efficaciæ, rudibus iſtis Magiſtris indidit? Sanè

* LACTANT. Div. Inſt. Lib. IV. cap. 3.
† AUGUSTIN. de Civit. Dei Lib. II. cap. 4. 6. 12.

Digitized by Google

Sanè non alius quàm Deus ipſe; Non alia virtus quàm Divina, tam ſanctum, tam divinum opus, perficere unquam potuiſſet.

XIX. Tertium ſpecimen divinæ prorsùs Chriſtianiſmi efficaciæ, quod ſuperioribus cumulum addit, fuit mira illa conſtantia, invicta illa fortitudo, quam Chriſtiani innumerabiles, cujuſcunque ſexûs, ætatis, ordinis, conditionis, in defendenda Fidei profeſſione, inter graviſſimas Perſecutiones, & crudeliſſima ſupplicia, demonſtrârunt. Quanta fuerit; quámque mira conſtantia illa, ex circumſtantiarum notatione colligere licet. Nec enim levia duntaxat fuerunt, quæ Chriſtiani patiebantur; ſed cruciatus omnis generis, flagra, ſuſpendia, vivicomburia, cruces, unci, equulei, beſtiarum laniatus, & ſi qua ſunt his tetriora, de quibus integri ſcripti ſunt Libri, qui ſine horrore legi nequeunt. Neque paucæ ac raræ fuerunt ejuſmodi Perſecutiones, ſed continuæ propemodùm; nec niſi breviſſima, tribus primis Sæculis, inter eas Pacis intervalla. Nec pauci Chriſtiani martyrium paſſi *, ſed eorum millia, imò myriades; adeò ut nulla fame, nullo bello, nulla peſtilentia, plus hominum abſumptum eſſe, ipſi eorum temporum Scriptores teſtentur. Neque ſolùm homines robuſti, aut ingenio exculti, aut ad conſtantiam arte quadam ac exercitatione firmati, ſed innumeri de plebe homines, artifices, ruſtici, ſervi, anus decrepitæ, teneræ virgines, adoleſcentes, imò & pueri. Denique, in Martyribus illis, tanta utplurimùm eluxit ſapientia, tanta manſuetudo, tanta pax, tanta ſerenitas; animus Dei laudibus celebrandis ita intentus; preces pro omnibus, etiam Perſecutoribus, tanta pietate & caritate conceptæ; ut in ſui admirationem ipſos etiam tortores raperent; plurimæque, his viſis exemplis, Converſiones ſequerentur.

XX. Iterùm quærimus; Unde mira illa conſtantia? Unde

* Oſtendit quidem Henr. Dodwellus, Vir doctiſſimus, Diſſ. Cypr. XI. *de paucitate Martyrum*, non tot fuiſſe, in quibuſdam perſecutionibus, quot vulgò exiſtimantur: Sed ipſum contrà eorum numerum nimis contraxiſſe, non levibus argumentis probatum eſt, præſertim ab Ant. Pagi, in *critica Baronianâ*, & Theod. Ruinart, Præf. ad *Acta primorum Martyrum ſincera*.

ſtupenda illa fortitudo? An ex mera *inſipientia*, *fatuitate*, *furore*? Sic *Epictetus* * apud Arrianum, pro ſua rerum Chriſtianarum ignorantia. Sed quis capiat, tanto numero fatuos, & in omni quidem hominum genere? Nec enim Viri graviſſimi & ſapientiſſimi inter Chriſtianos Martyres deſiderabantur, quales *Juſtinus M.*, *Cyprianus*, aliique. Ad hæc, quî fit, ut fatui illi tam ſapienter de rebus divinis differant, tam eximiam Doctrinam profiteantur? An ex mero *gloriæ ſtudio*, & proferendi nominis cupidine? Caderet fortè ſuſpicio ejuſmodi, in Viros quoſdam conſpicuos, Philoſophos, Senatores, aliósque idgenus: Sed plebeïos homines, ruſticos, pueros, mulierculas, anus, cogitationem illam ſubiiſſe, nemo ſanus exiſtimaverit. Meræ *pervicaciæ*, *obſtinationi*, *animo inconſiderato*, hanc Chriſtianorum patientiam adſcribebant † *Plinius Secundus*, & ‡ *M. Aurelius*: Sed temerè prorsùs, eáque judicii præcipitantiâ, quæ tantis Philoſophis indigna erat; ſiquidem graviſſima rationum pondera ad ejuſmodi conſtantiam Chriſtianos impellebant; quas rationes ipſi haud tacebant, eáſque adſtantibus non rarò perſuadebant. Rursùs, tanta erant pericula, tanta damna Chriſtianorum, ut meram pertinaciam (ſi nihil fuiſſet aliud) facili negotio vincere potuerint: Neque capi poteſt, tantam multitudinem, ad tanta ſubeunda mala, merâ pertinaciâ impulſam eſſe. Quamobrem ſupereſt, ut magna aliqua, imò plus quàm humana, tantæ conſtantiæ cauſſa exſtiterit. Verbo dicam; Non aliud quàm lux veritatis, non aliud quàm vis Divina, id operis perficere poterat.

XXI. Et hoc etiam argumento Veteres Apologiſtæ non rarò utuntur. TERTULLIANUS oſtendit, crudelitates adversùs Chriſtianos exercitas, non modò Chriſtianæ rei non nocuiſſe, ſed eam contrà ampliâſſe, ejúſque veritatem ac divinitatem demonſtrâſſe. ‖ *Nec quicquam proficit exquiſitior quæque crudelitas*

* Epict. Arrîa. Lib. IV. cap. 7. † Plin. Epiſt. Lib. X. Ep. 97. ‡ M. Aurel. Lib. XI. §. 3. Criminationes illas *Plinii*, *Epicteti*, *M. Aurelii*, optimè diluit Vir clariſſimus, I. Clericus, in *Hiſtoria Eccleſiaſtica duor. prim. Sæculor.* ad An. CIV. CXI. & CLXV. ‖ Tertullia. Apolog. cap. 50.

tas vestra; illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis: Semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur; &c. . . . . *Nec tamen tantos efficiunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo;* &c. Arnobius quoque, * inter *argumenta credendi*, quæ Ethnicis proponit, hoc annumerat, *quòd*, inquit, *cùm genera pœnarum tanta sint à vobis proposita Religionis hujus sequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atque interdicta formidinum animosius populus obnitatur, & ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur. An numquid*, addit, *hæc fieri passim & inaniter creditis? Fortuitis incursibus adsumi has mentes? Itane istud non divinum & sacrum, aut sine* Deo, *eorum tantas animorum fieri conversiones, ut cùm carnifices unci, aliique innumeri cruciatus, impendeant crediturís, veluti quadam dulcedine atque omnium virtutum amore correpti, cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus præponant amicitias Christi?*

XXII. Atque sic diximus de tribus præcipuis Christianæ Doctrinæ effectibus, ineunte Christianismo singulari quodam modo conspicuis, ejúsque divinitatem haud obscurè demonstrantibus. In genere, magna est virtus, magna efficacia Christianæ Doctrinæ, ad quinque hæc præsertim, quæ nonnisi breviter notabimus. Primò, *ad Deum notum faciendum, ejus perfectiones revelandas, ejus voluntatem manifestandam*: Quæ omnia ita luculenter in sacris Christianorum Libris docentur, nihil ut desiderari ultrà possit: Adeò ut mulierculæ nostræ, artifices, rustici, pueri, clariùs, pleniùs, certiùs, faciliùs, hæc omnia perspecta habeant, quàm quidquid Philosophorum acutissimorum & Virorum doctissimorum antea fuerat. Secundò, *ad pietatem & virtutes omnes commendandas atque instillandas*: Quem in finem, tot tantáque proponit incitamenta, ita valida, ita urgentia, ita nobis movendis idonea, tum ex præstantia Virtutum ipsarum, tum ex Dei auctoritate, tum ex ejusdem exemplo, tum ex grato animo beneficiis divinis debito, tum ex Pœnis ac Præmiis

* Arnob. adv. Gentes, Lib. II.

post hanc vitam distribuendis, ut ferreus sit omninò, propriæque felicitatis inimicus, qui his non tangatur. Tertiò, *ad pacandam conscientiam, Deúmque homini conciliandum*: Quam ad rem, nonnisi vanissima subsidia, in Ethnicorum ablutionibus, expiationibus, sacrificiis, reperiebantur; nec nisi umbræ ac typi in Tabernaculo Levitico; in Christiana verò Disciplina amplissima & salubertima remedia exstant. Hic Deus ipse, quâ est clementiâ, nos peccatores ad se vocat. Hic Filius Dei unigenitus, se Mediatorem & Victimam pro nobis offert. Hic pacis leges, ita æquæ, ita benignæ, statuuntur, iis ut animus mirè recreetur, & conscientia plenè adquiescat. Quartò, *ad animum, in quibuslibet vitæ ærumnis, confirmandum atque erigendum, suavissimisque solatiis imbuendum*: Dum nempe docemur, omnia divinæ Providentiæ subesse, ne passerculum quidem sine Dei voluntate in terram cadere; Deum in primis paternam nostrî curam suscipere; diligentibus Deum, omnia in bonum cedere; bonum esse, à Deo adfligi; disciplinam illam acerbam initio, mox fructum justitiæ dulcissimum proferre; transitorias hasce perpessiones, supra modum excellens gloriæ pondus producere, eásque futuræ gloriæ haudquaquam æquiparandas, &c. Quibus solatiis nihil simile, imò nihil quod ad ea accedat, apud Ethnicorum sapientissimos reperire est. Quintò, *ad eximendum Mortis metum, spémque beatæ Immortalitatis ingenerandam*: Qua in re, se infirmissimam Philosophia humana probavit, siquidem nonnisi conjecturas ac suspiciones protulit de futuro post mortem statu; quemadmodum in *Socrate*, *Ciceróne*, *Seneca*, aliisque, videre est. At Evangelium *lucem ac immortalitatem in lucem emisit*; ejúsque, non dubiam ac fluctuantem, sed certissimam spem nobis fecit: Quæ spes, *anchoræ adinstar*, nos immotos præstat; Quinimò, nos jam *salutis compotes* reddit; Facit, ut jam simus cum CHRISTO Capite nostro *redivivi*, ut cum eo jam *sedeamus in locis cœlestibus*.

XXIII. Ut verò hæc omnia in Hominum animis operaretur Deus, sapientissimas ac efficacissimas rationes iniit. Salutarem quippe Doctrinam, à Christo & Apostolis traditam, fidis

lite-

literarum monumentis committi curavit, quo facilliùs dispergeretur, tutiúsque conservaretur. Neque hoc modo; sed & instituit *Ministerium Sacrum*, quô homines de rebus divinis jugiter instituuntur, ad Officia excitantur, in morbis & ærumnis eriguntur, denique nihil omittitur, quô ad sanctitatem & felicitatem adduci queant. A publicis illis Magistris peragitur *Cultus Divinus*, totus itidem ad pietatem, non exercendam modò, sed & promovendam, compositus. Ab iisdem administrantur publici Ritus, (*Sacramenta* adpellamus) qui nova iterùm ad pietatem & sanctitatem auxilia præbent. Ab iis etiam Ecclesiæ Præpositis exercetur *Disciplina*, censuræ, hortationes, quibus peccatores arguuntur; si noluerint emendari, ab Ecclesiæ albo eraduntur. Quod institutum, ut per se sanctissimum, tamen hominibus vitio deditis, quorum maximus semper numerus est, non poterat non molestissimum accidere: Quòd igitur & excogitatum & stabilitum fuerit, id profectò divinam originem, spiritum divinum, apertè innuit. Sed & vult Deus, Christianos omnes, in sua quisque statione, pro variis cujusque dotibus, *Parentes*, *Maritos*, *Dominos*, &c., Dei Regno promovendo, mutuæque ædificationi operam dare. Vult eos, *se mutuò hortari*, *ne quis ipsorum induretur fraude peccati*; Hebr. III. 13. Vult eos, *monere inordinatos*, *consolari pusillanimes*, *sublevare infirmos*, omnibus denique, cùm sermonibus, tum exemplo, prælucere. 1. Thess. V. 14. Quæ quidem omnia Auxilia si sedulò adhibeantur, (accedente quinetiam internâ vi Spiritûs sancti, quæ petentibus nunquam denegatur) non potest non Christi Doctrina saluberrimos proferre fructus, ac efficacissimam se demonstrare. An aliquid simile, imò an aliquid hisce proximum, apud Ethnicos unquam conspectum est?

XXIV. Neque verò hæ meræ ideæ sunt, prototypo omni destitutæ. Etenim visi sunt omnibus ætatibus (quamvis non tot, quot esse debuerant) at visi sunt tamen multi Viri pii, rariùs nonnunquam, aliàs frequentiùs, in quibus suam efficaciam exseruit Christianissimus. Fuerunt semper, sùntque etiamnum, inquinatissimô licèt Sæculô, qui *vestimenta sua non polluerunt*,

Apoc. III. 4.; qui *ſplendent ut luminaria in Mundo, in medio pravæ ac perverſæ nationis*; Phil. II. 15. in quibus Evangelium verè eſt *Miniſterium Spiritûs*; in quibus, *potentia & ſapientia Dei* ipſô factô eſſe demonſtratur. Quod profectò divinæ Chriſtianiſmi originis, apud æquos omnes ac ſapientes Judices, haud imbelle argumentum eſt.

XXV. Verùm enimverò, quod modò diximus, de experientia adſertionem noſtram confirmante, illud graviſſimæ contrà, ac penè invictæ Difficultati, materiam præbere videtur. Quis enim non videt, quàm pauci ſint veri illi Pii, quos modò memoravimus, quàm rarus genuinus ille Spiritus Chriſtianiſmi, quàm inefficax proinde, in parte Chriſtianorum longè maxima, Doctrina Chriſtiana deprehendatur? ℟. Reſpondemus, verum quidem, heu nimis verum, factum hoc eſſe. Sed tamen, in defenſionem Chriſtianæ Doctrinæ, non unum eſt quod obſervetur. Nam. 1. quin ſtatus Religionis longè melior ac præſtantior ſit, quàm inter Ethnicos, imò & inter Judæos erat, in dubium vocari nequit. 2. Leges Civiles, & Populorum conſuetudines, ex ſapientia Chriſtianiſmi non parùm emendatæ & perfectæ ſunt. Antiquata, in Chriſtianis regionibus, barbara non pauca; qualis expoſitio infantium, Gladiatorum cruenta ſpectacula, aliáque ejuſmodi: Multarúmque Gentium barbaries ac mores ferini, * cùm antiquitùs, tum etiam noviſſimis Sæculis, admiſſô Chriſtianiſmô non parùm emollita. 3. Multos verè pios, quemadmodum modò diximus, etiam corruptiſſimis temporibus, in Chriſti Schola educari, & Hiſtoriæ fides, & hodierna etiam experientia, Deo ſit laus, abundè teſtantur. 4. Multos etiam improbos, abſque Chriſtianiſmo pejores fore, & in omne nefas audaciùs ruïturos, admodum credibile eſt. 5. Quòd ſi verò rariora ſint, quàm par eſſet, Piorum exempla, Doctrinæ Evangelicæ haudquaquam culpa eſt. Eorum eſt culpa omnis, qui ei Doctrinæ non ſatis adtendunt, nec ei ſe morigeros præbent. Ac ſanè, quemadmodum vel optima alimenta, niſi ſumpſeris, non nutriunt; quemadmodum & præſentiſſima

* Vid. Euseb. de Præpar. Evangel. Lib. I. cap. 4.

ma ac efficaciſſima remedia, eos non juvant qui non utuntur: ita nec ii, qui Chriſtianam Doctrinam poſthabent, eâque ut par eſt non utuntur, fructum ex ea percipere poſſunt.

XXVI. Enimverò, quomodo Chriſtiana Doctrina in iis efficax eſſet, qui nullam ejus cognoſcendæ ac meditandæ curam ſuſcipiunt? quales eſſe plurimos, etiam in optimis atque puriſſimis Chriſtianorum Societatibus, experientiâ plus ſatis conſtat. Quomodo in iis efficax eſſet, qui ei fidem non habent, eámque fabulæ inſtar rejiciunt? quod genus hominum, perditâ hac ætate, nimis frequens eſt. Quomodo in iis efficax eſſet, qui falſas Chriſtianiſmi notiones ſibi fingunt; qui eum, vel in externa tantùm profeſſione, vel in cognitione certorum Dogmatum merè theoretica, vel in mero partium ſtudio, zelóque amaro adversùs diſſentientes, vel in aliis ejuſmodi, à vera Chriſtianiſmi indole quammaximè abhorrentibus, collocant? Quomodo, ſpeciatim, in iis Societatibus efficax eſſet Chriſti Doctrina, quæ eam miſerè adulterârunt, ejúſque loco, neſcio quot opiniones abſurdas, neſcio quot Superſtitiones Ethniciſmum aut Judaïſmum reducentes, neſcio quot Leges à Chriſti Legibus planè alienas, introduxerunt? Pharmaca vitiata ac adulterata, nativum effectum non producere, nemo miratur: Adulteratus Chriſtianiſmus quomodo poſſet efficax eſſe?

XXVII. Igitur culpa eſt Chriſtianorum, quòd Chriſtiana Doctrina, per ſe optima ac efficaciſſima, vel nullos, vel exiguos admodum, hac ætate, fructus proferat. *Pace veſtra liceat dixiſſe, vos Eloquentiam omnem perdidiſtis*, * Declamatoribus ſui temporis aïebat *Petronius*. Sic etiam, de imminuta ac penè perdita Chriſtianiſmi virtute, primùm quidem Chriſtianos *Doctores*, deinde & *Auditores*, haud immeritò incuſare licet. Culpa eſt Doctorum, (quidni enim liberè dicamus?) qui, locô veri ac genuini Chriſtianiſmi, qui in *facienda Patris cæleſtis voluntate* ſitus eſt, neſcio quot inania, & nullius frugis, prædicant. Culpa eſt Doctorum, qui de rebus levibus, tanquam pro

* Petron. in Satyr. init.

pro aris & focis, dimicantes, res primarias interim, juſtitiam, caritatem, manſuetudinem, modeſtiam, &c., vel omittunt penitus, vel nonniſi ſegniter urgent. Culpa eſt Doctorum, qui ſactum Miniſterium perſæpe, non aliter ac manuariam artem exercent, adeóque de fructu ab Auditoribus proferendo parùm ſunt ſolliciti. Culpa eſt Doctorum, qui inanis gloriæ ſtudio flagrant, qui plauſum quærunt potius quàm ædificationem, qui ſeipſos prædicant potius quàm Chriſtum. Culpa eſt Doctorum, qui non cogitant, quid maximè ex uſu ſit, quid Regnum Dei maximè promoveat, quid Auditores meliores & ſanctiores efficiat, ſed quid maximè ad propriam laudem ac exiſtimationem facere poſſit. Sed & culpa AUDITORUM eſt, qui optima Doctorum monita perſæpe nihili faciunt; qui in vitiis ſe confirmant ac ſibi plaudunt; qui Chriſtianorum officiis ſe bellè defunctos putant, ſi ſacros Cœtus frequentaverint; ſi orationibus recitandis vel audiendis vacaverint, ſi Domini Cœnam ſtatis temporibus uſurpaverint, ſique nonniſi craſſiores quaſdam culpas vitaverint, quæ publicæ cenſuræ obnoxiæ ſunt, quamvis interim veri ac genuini Chriſtianiſmi ne minimam quidem ſcintillam habeant. * Tales homines, dum iis ſunt imbuti principiis, eáque ratione umbram Evangelii pro corpore ſumunt, ne ipſa quidem Salus ſervare poſſet.

XXVIII. Quamobrem, ſi quo tangimur Dei zelo, ſi qua Chriſti Domini noſtri reverentia, ſi qua Religionis ab ipſo traditæ veneratione, ſi qua propriæ felicitatis & ſalutis cupidine, faciamus omnes, cùm DOCTORES, tum AUDITORES, quidquid in noſtra eſt poteſtate ſitum, ut veram ac genuinam Chriſtianiſmi efficaciam, culpâ noſtrâ imminutam atque obſcuratam, in integrum reſtituamus; ſícque uni ex validiſſimis pro ejus ve-

rirate

* Qui plura volet hanc in materiam, legat duos vel tres eximios Tractatus; putà Clariſſimi WERENFELSII *Appendicem*, in qua expendit, *Cur incitamenta ad virtutem, in S. Scriptura propoſita, non plus efficacia habeant inter Chriſtianos?* Operum collect. p. 145. Nec non & Excellentiſſimi OSTERVALDII Gallicum Librum, cui titulus, *De fontibus Corruptionis*, &c. Quibus & nuperrimè acceſſit eruditiſſimi ROQUES Gallicus Liber, quem *Paſtorem Evangelicum* inſcripſit, præſertim VIII. Tentamine, quod eſt *de cauſis exigui fructûs Concionum Sacrarum.*

ritate ac divinitate argumentis, ſuum robur adſeramus atque confirmemus: Quod quidem, non tam ſermonibus, quàm vitæ emendatione, perfici poterit.

CONCLUSIO,

Quâ Argumenta omnia à nobis prolata, pro veritate & divinitate Chriſtianæ Religionis, *in unum colliguntur, eorúmque collectorum vis oſtenditur.*

XXIX. Et hæc quidem omnia, quæ hactenus diduximus, pro veritate & divinitate Chriſtianiſmi, Argumenta, ut ſingula magni ponderis ſunt, jam ſi in unum colligantur, novum iis, ex collectione & adcumulatione, robur accedet. Cùm enim Dogmata Chriſtianæ Religionis ex ſeipſis præſtantiſſima ſint, & Deo revelante digniſſima; Cùm ejus Præcepta ſint æquiſſima, puriſſima, ſanctiſſima, naturæ noſtræ convenientiſſima, nobis beandis aptiſſima; Cùm ejus Promiſſa talis ſint naturæ, ut omnibus Mundi commodis ac deliciis longè præpolleant, noſtrorúmque deſideriorum capacitatem perfectiſſimè impleant; Cùm præſtantiſſimam illam Doctrinam Viri rudes & literarum neſcii adtulerint, eámque ſingulari pietate & probitate ornaverint, ſe à Deo adflatos declarantes, idque proprii ſanguinis effuſione confirmantes; Cùm conſtet inſuper argumentis certiſſimis, & ad fidem faciendam aptiſſimis, Prodigia humanis viribus longè majora, Deúmque auctorem manifeſtò demonſtrantia, in Chriſtianiſmi gratiam edita eſſe; Cùm conſtet etiam, ea de Chriſto & à Chriſto prædicta eſſe, quæ humanâ ſagacitate prænoſci haudquaquam poterant; Cùm his acceſſerit ſtupenda prorsùs Doctrinæ illius propagatio, abſque ullis humanis auxiliis, nulliſque non obſtaculis ab omni parte ſe offerentibus; Cùm denique efficaciſſimam, ipſò factò, hominúmque generi ſaluberrimam, ſe Doctrina illa ſtatim probaverit, debellatâ Idololatriâ,

veri Dei Cultu passim restitutô, hominibúsque ad pietatem & sanctitatem compositis; unde & plurimi, mirâ fortitudine, quævis supplicia pro Doctrinæ illius professione tolerârunt; Cùm hæc omnia, inquam, talia sint, neque quidquam par vel secundum, pro alia ulla Disciplina, aut in alia ulla Societate, unquam visum sit; quis non fateatur, eam Doctrinam, pro qua tot tantáque rationum momenta pugnant, à Deo verè profectam esse? Ea certè tanti sunt ponderis, ut plura ac majora ne fingendo quidem concipi possint: Neque putamus, Virum ullum sobrium, si modò ad ea seriò adtenderit, eáque ut par est meditatus fuerit, iis adsensum negare posse. Ponamus, Deum Doctrinæ cuidam suum adponere sigillum velle; quonam sigillo luculentiore, quibusnam notis apertioribus, fidem ei facere posset? Non hæc quidem Mathematicas demonstrationes continent, ut aliô jam locô monuimus: Neque verò id rei natura, & Religionis indoles patiebatur: Sed Argumenta Historica atque Moralia, quæ sola hic conveniunt, plura ac majora dari non posse, quisquis seriò ad rem adverterit, facilè perspiciet. Itaque, quod de Veteri Revelatione aïebat Abraham, in Parabola Epulonis, id de Christiana Religione potiori jure affirmare licet: Quisquis non crediderit CHRISTO & *Apostolis*, nec argumentis pro Doctrina eorum militantibus persuasus fuerit, eum profectò, ne illustrissima quidem Miracula, *ne mortuus quidem vitæ restitutus*, persuaderet. Vel hæc sufficiunt, ut aïebat ille, vel nihil umquam sufficerit.

XXX. Quod supereſt, versis ad DEUM animis, ab eo enixissimis votis contendimus, ut Incredulorum oculos aperiat, confirmet Credentium fidem, faciátque, ut de veritate ac divinitate Fidei Christianæ sincerè persuasi, fructus ea dignos feramus, quibus DEO gloriam demus, CHRISTI Domini nostri Regnum proferamus atque exornemus, & veram nostram atque sempiternam felicitatem promoveamus. AMEN.

FINIS.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO XI.

Quæ eſt APOLOGETICA I.

PRO

VERITATE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

Adversùs Incredulorum Difficultates.

Habita eſt diſputatio, reſpondente JOHANNE SARACENO *juniore, Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

QUamvis in adſtruenda, multiplicibus argumentis, Chriſtianæ Religionis veritate & divinitate (quæ fuit hactenùs Theſium noſtrarum materia) non paucas jam Difficultates, ab Incredulis proponi ſolitas, occupaverimus ac diluerimus, placet nihilominùs has aliáſque Difficultates paullò adtentiùs conſiderare, carúmque ſolvendarum, quantùm in nobis eſt, rationem oſtendere.

II. Ea nimirùm ætate vivimus, quæ Difficultatum, ſi alia ulla, adverſùs Religionem motarum, feraciſſima eſt. Qui ingenii laudem aucupantur, haud alia meliùs ratione ſe ad eam perventuros exiſtimant, quàm ſi fundamenta Religionis, cùm naturalis, tum revelatæ, partim dubiis atque cavillis, partim jocis atque facetiis, convellere ſtuduerint; ſe in quadam veluti arce collocantes,

† *Deſpicere unde queant alios, paſſimque videre*
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Quæ quidem induſtria, ut quod res eſt liberè dicamus, miſerrima profectò eſt, omniúmque verè ſapientium contemptu digniſſima. Quid enim miſerius, quàm res pulcherrimas ac ſalubertimas Humano Generi ereptum ire? Quidve imprudentius, quàm adverſus ea, in quibus ſumma noſtra felicitas, vel ſumma miſeria vertitur, cavillari atque jocari; ſicque in illud periculum, quo non aliud majus cogitari poteſt, nullo metu ſe conjicere? quod ſi verum deprehendatur, certiſſima exſpectanda ſit pernicies; ſin minùs, illud tamen metuiſſe, ab eóque ſibi caviſſe, haudquaquam noceret.

III. Verùm enimverò, cùm præter cavillos atque facetias, quibus impugnari nimio plus ſolet Religio, non deſint etiam veræ ac reales Difficultates, in ipſa rerum magnitudine ac perplexitate fundatæ, vel ex propria noſtra ignorantia ac imbecillitate profectæ, ſummi momenti eſt, eas ſedulò conſiderare atque expendere, cùm ne iis convellatur Credentium fides, tum ne conqueri Deïſtæ poſſint, ad ea quidem adtendi, quæ pro Religione faciunt, non verò ad ea quæ adverſantur, ſéque inauditos & indictâ cauſſâ damnatos eſſe.

IV. Antequàm verò ad rem accedamus, operæ pretium eſt, generales quaſdam Obſervationes, ſuperiùs jam à nobis poſitas, in mentem revocare; utpote quæ, ad ſanum de his ferendum judicium, maximi uſûs futuræ ſunt. PRIMA OBSERVATIO. Non in ſola Religione deprehendi Difficultates: In cæteris Scientiis atque Diſciplinis, v. g. in *Metaphyſica*, *Phyſica*, imò &

† LUCRET. Lib. II. ℣. 9, 10.

& *Matheſi*, plurimas etiam occurrere; ſed quæ tamen haudquaquam impediunt, quominùs certa atque demonſtrata Diſciplinarum illarum principia retineantur. Ea eſt nimirùm Mentis noſtræ imbecillitas, ea rerum quæ cognoſcendæ ſeſe offerunt, perplexitas & multitudo, ut rem ferè nullam perfectè noſcamus, lúxque noſtra omnis umbris non paucis obſcuretur. Sic in Phyſicis, exempli cauſſâ, quis ignorat, de natura *Materiæ* ipſius, de natura *Motûs*, ejúſque legibus atque gradibus, de natura & cauſſis plerarumque qualitatum in corporibus obſervatarum, quales ſunt *ſoliditas* & *fluiditas*, *gravitas* & *levitas*, *rigiditas* & *flexilitas*, &c. innumeras moveri difficultates, & nonnullas quidem omni Virorum Doctiſſimorum induſtria majores? Sic in Pneumatologia, quis claram & diſtinctam, omníque liberam difficultate, humanæ *Mentis*, ejúſque facultatum ac operationum, notionem habeat? Quis intelligat quid ſint *Ideæ*? Quis intelligat quid ſit *Memoria*? Neque tamen dubitant Diſciplinarum illarum cultores, ea quæ clara ac evidentia ſibi adparent, pro claris ac demonſtratis habere. Ergo nec etiam in Religione, ob obſcura quædam ac difficilia, Veritates claræ, ac idoneis argumentis confirmatæ, rejiciendæ ſunt.

V. SECUNDA OBSERVATIO: Quæcunque pertinent ad Infinitum, maximas in primis Difficultates, imò plerumque inſuperabiles, continere. Ratio in promptu eſt; Cùm enim finiti ſimus, imo & anguſtis admodum limitibus circumſcripti, Infiniti conceptus nos planè ſuperat; eo veluti obruimur atque abſorbemur: Quemadmodum, in conceptu Æternitatis, in Materiæ amplitudine, in ejuſdem diviſibilitate, unuſquiſque experiri poteſt. Unde non mirum, ſi Religio, quæ de Objecto infinito agit, putà de DEI natura atque adtributis, de ejus conſiliis atque operibus, & ſi qua ſunt iſtis adnexa, quammaximis Difficultatibus obnoxia ſit.

VI. TERTIA OBSERVATIO: Duos tamen Difficultatum ordines haudquaquam confundendos: Nam, ſi tales ſint Difficultates, ut propriè dictam contradictionem involvant, aut manifeſtam quandam abſurditatem inducant, aut quoquo modo ipſa cre-

dendi fundamenta ſubruant, iis profectò cedendum eſt, eáque Placita, quæ ab illis impugnantur, deſerenda. At, ſi illæ hoc duntaxat probent, eas Quæſtiones, de quibus agitur, in ſe ipſis perplexas eſſe, neque nos illas plenè intelligere, imo & illas Mentis noſtræ fines quodammodo excedere, (quo terminantur Difficultates penè omnes adverſus Religionem motæ, prout jamjam oſtendemus) certè tanti cenſendæ non ſunt Difficultates ejuſmodi, ut res idoneis argumentis nixas propterea rejiciamus: Quod ſi fieret, nihil fetè certum in rerum natura exiſteret.

VII. QUARTAM adjecimus Obſervationem, hac in tractatione ſummè momentoſam: Diſtinguendam nempe Religionem ipſam, qualis à Chriſto & Apoſtolis tradita eſt, ab inanibus neſcio quot ſubtilitatibus atque ineptiis, quibus illa progreſſu temporis adulterata eſt: Patet quippe, magnam partem Difficultatum, quæ adverſus Religionem proponuntur, Religionem ipſam non ferire, ſed ea ſolùm additamenta, quæ Hominum vitio ac errore ei adjuncta ſunt. Exempla ita ſunt obvia, & Viris Doctis ita perſpecta, ut, qui id neget, imperitiæ, aut inanis credulitatis, aut animi partium ſtudio planè excæcati, haud immeritò poſtulari queat.

VIII. Sed nec minoris momenti eſt QUINTA noſtra Obſervatio: Diſtinguendam pariter Religionis eſſentiam, ab iis placitis & quæſtionibus, quæ ad ejus eſſentiam minimè pertinent. Nam hoc etiam, rem expendentibus, facilè conſtabit, Difficultates bene multas, quibus Religio impugnatur, v. g. de rebus Chronologicis, de Nominibus propriis, de literarum aut numerorum apicibus, aliiſque ejuſmodi, ad Religionis eſſentiam haudquaquam ſpectare; Quo fit, ut, iis non obſtantibus, & quomodocumque de his judicetur, ſalva atque inconcuſſa Religio ipſa ſubſiſtere queat.

IX. His accedit SEXTA Obſervatio: Religionem, cùm Judaïcam, tum Chriſtianam, vetuſtis quibuſdam Libris contineri; iis Linguis ſcriptis, quæ pridem exſtinctæ ſunt; ea Methodo exaratis, quæ ab hodierna non parùm abhorret; & in quibus ad varia adluditur, mores, conſuetudines, placita, quæ hodierno die,

Digitized by Google

die, vel ignorantur prorsùs, vel imperfectè admodum noſcuntur. Quamobrem, non mirum, ſi, ex ignoratione illarum Linguarum, earúmque conſuetudinum, variæ emergant Difficultates, quæ, cognitis illis, facilè evaneſcerent. Quinimò & conſtat, Orientales, multa ſub figuris & Allegoriis propoſuiſſe, quæ, ſi ad literam intelligerentur, abſurda re verâ eſſent; at, ſi figuratè explicentur, ſenſus optimus eſt. Cujus generis, & apud Prophetas, & in cæteris Scripturæ Libris, multa occurrere, nemo niſi planè rudis earum rerum ignorare poteſt.

X. Quid, quòd plurimæ Difficultates, quibus oppugnatur Religio (quod SEPTIMO obſervandum duximus) ſi penitiùs introſpicias, debiliſſimis fundamentis nixæ adparent. Multæ, v. g. his Principiis, vel ſimilibus, ſuperſtruuntur; *Illa quæ hodie non fiunt, olim fieri non potuiſſe*; vel, *illa quæ ſunt tantiſper ſtupenda, vera eſſe non poſſe, neque iis fidem adjungendam eſſe*; vel, *nihil credendum, quod propriis oculis à nobis conſpectum non ſit*; &c. Quæ Principia quàm fallacia ſint, & quàm multis ex omni Hiſtoria experimentis refellantur, nemo eſt qui non videat.

XI. DENIQUE & hoc adfirmare licet, quòd, quantæcumque contra Religionem Difficultates proponantur, attamen credendi rationes longè ſunt potentiores; Ac proinde, qui illam rejiciunt, pluribus longè atque majoribus Difficultatibus ſeſe implicant. Nam ea quidem, quæ Increduli nobis opponunt, in id unum ferè reſolvuntur, (quemadmodum jamjam videbimus) multa eſſe quæ nos ſuperent, multa eſſe quæ nos fugiant. At ea quæ nos Incredulis objicimus, ejus ſunt naturæ, ejus ſunt ponderis, ut qui ea neget, certiſſima humanarum cognitionum, ac in primis Hiſtoriæ Veteris, fundamenta convellat, ſéque in ſummas ac ineluctabiles abſurditates conjiciat: quemadmodum ex ſuperioribus Diſſertationibus, *de Veritate Religionis*, cùm *Judaïcæ*, tum *Chriſtianæ*, abundè conſtare poteſt.

XII. Verùm hæc in genere poſita, ex præcipuarum Objectionum examine clariùs patebunt. Eas ergo breviter luſtrabimus: Cúmque, in probanda Religione, duo Argumentorum genera adhibuerimus, altera à Doctrina ipſa, altera à Factis quibuſdam illuſ-

illuſtribus, Miraculis nempe & Prophetiis, petita, pariter Difficultatum duas claſſes conſtituemus; Primam earum, quæ *Doctrinam* ipſam, & *docendi modum*, oppugnant; Alteram earum, quæ contra *Miracula* & *Prophetias* proferuntur. Non omnes adducemus, ſed eas tantùm quæ maximè ſpecioſæ nobis videntur: Fuſioríque tractatione iis relicta, qui amplis voluminibus delectantur, nonniſi digitum ad ſolutionum fontes intendemus.

PRIMA CLASSIS
DIFFICULTATUM,
earum nempe, quæ contra Revelationem *in genere, &* Doctrinam Revelatam, *præſertim* Chriſtianam, *proponuntur.*

XIII. PRIMO igitur opponunt Deïſtæ, „Naturæ Legem abun„dè ſufficere; Illam omnibus Hominibus eſſe communem; Illam „omnibus innatam ac patefactam: Quam ſi Homines ſequeren„tur, ſe invicem ſemper dilecturos, adeóque beatiſſimos fore. „Quicquid verò ſuperadditur, nonniſi ad rixas & contentiones „generandas aptum eſſe; quemadmodum experimento Religio„num omnium, omniúmque Sæculorum, abundè patuit. Ita„que ſatius eſſe, huic unicæ Legi omnibus communi adhære„re, quàm alias Leges tanquam revelatas admittere: Quæ ſi „quid boni habent, id in Lege naturali contineri; ac pro„inde reliquas eſſe inutiles: Si quid verò addant Legi illi, „id omne ſuperfluum, imò & noxium eſſe. Et hoc quidem maximum eſt Deïſtarum argumentum adverſus Revelationem; quod urget admodum quidam *Vriel Acoſta*, ex Chriſtiano Judæus, ex Judæo Deïſta factus, in Vita ſua, quam *Exemplar humanæ vitæ* inſcripſit, quámque edidit & confutavit Vir Clariſſimus *Phil. à Limborch*, ad calcem ſuæ *Collationis cum Judæo*, editæ an. 1687.

XIV.

XIV. Fatemur nos, Legem Naturalem eximium esse donum Dei, eximiam vitæ morúmque regulam, quæ omnibus est communis, quámque ut omnes sequerentur, quammaximè optandum esset. Verùm, cùm Lex illa ab Hominibus peccato mancipatis negligeretur, imò & ferè obliteraretur (quemadmodum exemplo Ethnicorum plus satis adparuit) Deo dignissimum fuit, ejúsque bonitati & sapientiæ convenientissimum, eam de novo revelare, novísque veluti sanctionibus confirmare & communire, ne memoriam ejus ac reverentiam Homines abjicerent. Quamvis enim Officia omnia, saltem maximè generalia, in Lege Naturali doceantur, tamen certum est, ea longè facilius, longè citius, longè tutius, denique modo omnium captui longè magis adcommodato, in Revelatione tradi. His accedunt nova incitamenta, nova Promissa, novæ Minæ, nova Exempla, nova Auxilia; quibus omnibus quantùm valeat excellátque Revelatio, prædicari satis non potest. Postremò, cùm Homines iram Numinis in se concitâssent, Dei quoque bonitatem decuit, Gratiæ promissis illos erigere, sícque ad saniorem mentem revocare; Quod quidem, variis modis, ac per varios gradus, juxta Sapientiæ Divinæ rationes, in Revelatione factum cernimus.

XV. Quanti usûs fuerit, naturalem Dei cognitionem, ipsámque adeò Naturæ Legem, à Revelatione elucidari & confirmari, non malè ostendit THOMAS Aquinas, Scholasticorum facilè princeps, cujus verba in compendium redacta hic adscribere non pigebit. * *Sequerentur*, inquit, *tria inconvenientia, si hujusmodi veritas solummodò rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quòd paucis hominibus Dei cognitio* (saltem adcurata) *inesset:* Idque, tum ob tardum multorum ingenium, qui *ad sciendum naturaliter indispositi sunt*, tum ob *necessitatem rei familiaris*, tum denique ob *pigritiam. Secundum inconveniens est, quòd illi qui ad prædictæ veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent; tum propter veritatis*

* THOMAS Aquin. *Summa contra Gentiles*, Lib. I. cap. 4. Paria habet in altera *Summa* idem Auctor.

profunditatem; tum etiam propter multa quæ præexiguntur; tum quòd tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima æstuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem. Tertium inconveniens est, quòd investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectûs nostri in judicando, & phantasmatum permixtionem. Et ideò apud multos in dubitatione remanerent ea quæ sunt verissimè etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, & præcipuè cùm videant à diversis, qui Sapientes dicuntur, diversa doceri; &c. Hæc ille, verissimè profectò, prout exemplo Ethnicorum omnium, cùm Veterum, tum Recentiorum, nimio plus demonstratum est.

XVI. Quamobrem, vel si supponeretur, id quod defendunt Deïstæ, *quicquid boni est in Revelatione, Naturæ Lege contineri*, non tamen inde sequeretur, Revelationem supervacaneam esse; siquidem patet, tradendi modum, clariorem multò, certiorem, faciliorem, promptiorem, hîc occurrere. Nolumus hîc nobis credi. Experientiam ipsam, magistram optimam, hic adpellamus. Quis neget, apud eas Gentes, quæ Revelatione illustratæ sunt, longè clariorem atque certiorem, rerum divinarum, officiorúmque hominis, quàm apud cæteras, notitiam fuisse? Imò quis neget, vel rudissimos Christianorum, artifices, rusticos, pueros, plura longè ac certiora de divinis cognoscere, & facillimè quidem, & ab ipsa etiam infantia, quàm quidquid Ethnicorum sapientissimis compertum fuerat? Sed & præterea demonstravimus, Revelationem eximia multa adjungere, quæ ad animos illustrandos, mores emendandos, homines denique ad felicitatem adducendos, aptissima sunt. Tantùm verò abest, ut augmenta illa *nonnisi ad rixas & contentiones generandas apta sint*, prout Deïstæ criminantur, ut contrà non alius sit Revelationis scopus, quàm amorem Dei & Proximi ingenerare, adeóque Homines ad pacem & concordiam impellere. A quo scopo si multi recesserint, rixásque & contentiones, occasione Religionis, excitârint, ipsorum culpa est, non verò Revelationis, quemadmodum fusius in sequentibus docebimus. Plura non addimus, ad vindicandam Revelationis sapientiam ac utilitatem, siquidem in Thesi-

Theſibus noſtris, de *Revelationis neceſſitate*, ſatis ſupérque hac de re dictum eſt.

XVII. SECUNDO objiciunt, „modum illum agendi, qui Deo „tribuitur in Revelatione, ejus bonitate, ſapientia, ac majeſtate, „parùm dignum eſſe; Quòd nempe, per quatuor annorum mil„lia, omnes Terræ Populos (unicô exiguô exceptô) ſine ſui no„titia reliquerit; unicum verò illum Populum, rudem, craſſum, „*duræ cervicis*, ut loquitur Scriptura, præ cæteris omnibus ele„gerit, cui Oracula ſua traderet, quem favore ſuo complecte„retur, in quem theſauros omnes liberalitatis ſuæ effunderet. „Rursus, poſt promulgatum Evangelium, nemo neſcit, innume„ros Populos ejus cognitione orbari, nec niſi minimam Orbis „partem, eo beneficio etiamnum frui. An id dignum eſt, in„quiunt Deiſtæ, Dei, Creatoris omnium, Dei ſummè miſeri„cordis, ſumméque ſapientis, benignitate?

XVIII. Reſpondemus 1. exiſtimandum non eſſe, Deum cæteras Gentes, ſolis exceptis Judæis & Chriſtianis, deſeruiſſe & neglexiſſe. Contrà, docet Apoſtolus, Deum ſe ipſis ἀμάρτυρον *non reliquiſſe*; Act. XIV. 17. Docet, *id quod de Deo cognoſci poteſt, ipſis manifeſtatum eſſe*; Rom. I. 19. *Inviſibilia Dei, potentiam ejus ac divinitatem, inde ab Orbis creatione, ipſorum oculis veluti ſubjecta eſſe*, & ita quidem ſubjecta, ut qui ad ea non adtenderint, neque Deo gloriam dederint, planè ſint *inexcuſabiles*; ℣. 20. 21. Quinimò conſtat ex Veteri Codice, multos à Populo Dei alienos, verum tamen Deum cognoviſſe, ejúſque gratiæ haudquaquam expertes fuiſſe: Cujus rei *Job*, ejúſque Amici, & *Ninivitæ* à Jona converſi, & alii non pauci, luculentiſſima exempla præbent. Rectè hanc in rem vetuſtus Scriptor de *Vocatione Gentium*, ſive *Proſper*, ſive alius quiſpiam: * *Secundùm ipſam*, inquit, (nempe Scripturam) *credimus, & piiſſimè confitemur, quòd nunquam univerſitati hominum divinæ Providentiæ cura defuerit: Quæ licèt exceptum ſibi Populum ſpecialibus ad pietatem duxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ*

* DE VOCATIONE GENTIUM, Lib. I. cap. 2.

dona ſubtraxit; ut Propheticas voces & præcepta Legalia convincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe. Idem Scriptor pleniùs alibi: * *Quamvis ſpeciali cura atque indulgentia Dei Populum Iſraëliticum conſtet electum, omnéſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm propriam permiſſæ ſint vivere voluntatem, non ita ſe tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret. Cœlum quippe, ac terra, & mare, omníſque creatura quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur Authoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur, & ſumus: quoniam etſi longè eſt à peccatoribus ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius ac virtute nihil vacuum eſt,* &c. Unde & colligit, capite ſequenti: † *Quod ergo in Iſraël per conſtitutionem Legis & Prophetica eloquia gerebatur, hoc in univerſis nationibus, totius creaturæ teſtimonia, & bonitatis Dei miracula, ſemper egerunt*; &c. Hæc ille; quibus ſimilia plurimis in locis eorumdem Librorum habet.

XIX. 2. Quòd ſi verò Deus ſingulari cura, plurimíſque Revelationibus, Populum Iſraëliticum dignatus ſit, ſi ‡ *dederit Leges ſuas Jacobo, ſtatuta ſua Iſraëli, neque ita fecerit cæteris Gentibus*, quinam nos ſumus, qui ſummo rerum Arbitro leges feramus? Nonne liber eſt, in beneficiorum ſuorum, ſuarúmque Revelationum diſtributione? An quiſquam eſt, cui aliquid debeat? *Quis prior ei dedit, ut ei retribuatur?* Rom. XI. 35. Iique, qui vel minimùm ab eo acceperunt, nonne plus longè acceperunt, quàm exſpectare jure potuerant?

XX. 3. Denique, quod omnem eximit ſcrupulum, húncque nodum planè explicat, quis neſcit Deum, Judicem æquiſſimum, unumquemque judicaturum, pro talentis ipſi concreditis, pro modulo cognitionis ipſi conceſſæ? *Qui pauciora acceperint, ab iis exigentur pauciora; Qui plura acceperint, plura ab iis requirentur.*

* Ibid. Lib. II. cap. 1. † Ibid. cap. 2. ‡ Pſal. CXLVII. 19. 20.

Digitized by Google

rentur. Luc. XII. 48. *Qui ſine Lege fuerint*, hoc eſt, ſine Lege revelata, *judicabuntur ſine Lege*; *Qui Legem habuerint*, *ex Lege judicabuntur. Nec enim eſt apud Deum* προσωποληψία. Rom. II. 11. 12.

XXI. TERTIO objiciunt Revelationis Adverſarii, „quòd, ſi „Deus ſeſe humano generi revelare dignatus fuiſſet, uſus eſſet, „procul dubio, opera ac miniſterio Hominum clarorum, poten„tium, eruditorum; non verò Hominum obſcurorum, ignaro„rum, nulla re illuſtrium, quales fuerunt, cùm Judaïcæ, tum „Chriſtianæ Revelationis Scriptores.„ Sic veteres Chriſtianiſmi hoſtes, ſic & recentiores, non rarò arguunt.

XXII. Verùm ad eam criminationem non unum eſt quod reponatur. Nam 1. id generaliter verum non eſt, eos omnes quorum miniſterio uſus eſt Deus, ad tradendas Revelationes, rudes & ignobiles fuiſſe. *Moſes* in aula Pharaonis educatus, filiæ Regis filius habitus, eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum. *David* & *Salomo*, Reges iidem & ſapientia inſignes. *Eſaïas* quoque ac *Daniel*, natalibus pariter & doctrina conſpicui. Et inter Apoſtolos *Paulus*, ad pedes Gamalielis inſtitutus, nec planè hoſpes in Græcorum Libris.

XXIII. 2. Quòd ſi verò pars Ipſorum maxima, nec fortunæ ſplendore, nec doctrinæ laude excelluit, quis neſcit, *ad ea Deum non attendere, ad quæ Homo attendit? Homines quidem ad externa*, genus, divitias, potentiam, eruditionem, facundiam, & ſi qua ſunt his ſimilia; *Deus ad animum*, ejúſque puritatem, unicè *reſpicit.* 1. Sam. XVI 7. Quæ res ab ipſis Ethnicorum Sapientibus haudquaquam ignorata eſt; quorum plerique, nec ortu clari, nec alia re quàm ſapientia inſignes fuêre, & apud quos in confeſſo fuit, *bonæ mentis paupertatem ſororem eſſe.*

XXIV. 3. At verò, tantùm abeſt, ut, in hac Hominum rudium & obſcurorum electione, aliquid fuerit Deo indignum, ejúſque ſapientiæ contrarium, ut contrà, ad veritatem Revelationis oſtendendam, nihil deſignari aptius potuerit. Ac ſanè, ſi Viri docti, & ingenii laude florentes, ad id operis electi eſſent, certè Evangelium cerebri ipſorum figmentum haberi poſſet: Si

facundi, ſi acuti, ſucceſſus ipſorum facundiæ atque artibus poſſet adſcribi: Si divites, eorum theſauris: Si potentes, ſi Reges, ſi Principes, eorum potentiæ ac auctoritati. Contrà, ſapientiſſimo conſilio, *Deus elegit res ſtultas mundi, ut pudefaceret ſapientes; elegit res debiles, ut pudefaceret robuſtas; elegit res viles, contemptas, imò quæ merum nihilum ſunt, ut ea quæ ſunt pudefaceret; Ut nulla caro coram ipſo gloriari poſſit.* 1. Cor. I. 27. 28. 29. *Theſaurum hunc in fictilibus habemus, ut excellentia roboris hujus Deo adſcribatur, non nobis.* 2. Cor. IV. 7.

XXV. Præclara multa veteres Apologiſtæ hanc in rem habent. Sic LACTANTIUS, de Apoſtolis, * *Abfuit ab his*, inquit, *fingendi voluntas & aſtutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis poſſit indoctus apta inter ſe & cohærentia fingere?* &c. Pariter apud MINUCIUM FELICEM, cùm indignatus eſſet *Cæcilius*, † *audere quoſdam ſtudiorum rudes, literarum profanos, expertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum ac majeſtate decernere, de qua tot omnibus ſeculis ſectarum plurimarum uſque adhuc ipſa Philoſphia deliberat*, reſpondet *Octavius*, ſortem externam, ipſámque etiam eruditionis laudem, nullius momenti hac in re eſſe: ‡ *Sciat*, inquit, *omnes homines, ſine delectu ætatis, ſexûs, dignitatis, rationis & ſenſûs capaces & habiles procreatos: quin ipſos etiam Philoſophos, vel ſi qui alii artium repertores in memorias exierunt, priuſquàm ſolertia mentis parerent nominis claritatem, habitos eſſe plebeïos, indoctos, ſeminudos.* Addit, *divites facultatibus ſuis illigatos, magis aurum ſuſpicere conſuéſſe, quàm Cœlum*; Chriſtianos *pauperes, tradendæ diſciplinæ* aptiores fuiſſe. Et quod ad ſermonis ruditatem, quæ Viris noſtris Θεσπεσιολογοις vitio vertitur, addit idem Auctor, *quo imperitior ſermo eſt, hoc illuſtriorem eſſe; quoniam non fucatur pompa facundiæ & gratiæ, ſed, ut eſt, recti regula ſuſtinetur.*

XXVI. QUARTO objiciunt, „quòd ſi Deus ſeſe Hominibus „revelâſſet, eaſdem Veritates, eaſdem Leges, Hominibus omni„bus, inde ab Orbis initio, propoſuiſſet. Cùm enim non mul„tiplex

* LACTANT. Div. Inſt. Lib. V. cap. 3. † MINUC. FEL. Octav. cap. 5.
‡ Ibid. cap. 16.

„tiplex ac multiformis, ſed una eadémque omnibus ætatibus ſit „Veritas; eædémque Hominum neceſſitates, eadémque jura at„que officia, Deúſque etiam omnium ex æquo conditor ac do„minus, haudquaquam conſentaneum videtur, ut hac quidem „ætate certam Revelationem, alia ætate diverſam propoſuerit.

XXVII. Reſpondemus 1. aliquem huic Difficultati locum futurum, ſi contraria, ac ſecum invicem pugnantia, vario tempore revelata dicerentur. Verùm, non contraria, ſed diverſa tantùm, modò pauciora, modò plura, modò obſcuriora, modò clariora, pro varia hominum indole ac neceſſitate, revelata ſunt. 2. Vel ſi nullas diverſitatis illius rationes cognoſceremus, quis neget, varias rationes, nobis ignotas, Deo eſſe potuiſſe? aut quis Deo, tali in negotio, leges ferre queat? 3. Cùm πολυποίκιλος ſit Dei ſapientia, operúmque varietate delectetur, ea nullatenus indignum fuit, variis modis, & per varios gradus, Homines docere atque informare. Quemadmodum enim lux dici, inde à crepuſculo, paulatim creſcit; & quemadmodum Infantes, non ſimul ac ſemel, ſed variis gradibus, perpetuíſque incrementis, ad adultam ætatem perveniunt; quemadmodum etiam innumera Entium genera, alia aliis perfectiora aut imperfectiora, produxit Deus; Ita etiam varia ratione, ac per varios gradus, ſuas elargiri Revelationes potuit. 4. In hac autem varietate, patet, Deum unamquamque Revelationem, captui eorum ad quos dirigebatur, adcommodâſſe; Rudibus imperfectiorem, poſtquàm verò lumen auctum eſt, perfectiorem conceſſiſſe; quemadmodum in ſequentibus fuſiùs docebitur. 5. Denique, illa ſemper tenenda, quæ ſuprà jam monuimus; eos qui vel minimùm revelationis habuerint, ſatis tamen habituros, ut ſint *inexcuſabiles*, ſi Deum non cognoſcant; & unumquemque, nonniſi pro menſura notitiæ ſibi conceſſæ, judicatum iri.

XXVIII. Sed, inquiunt, „nonne convenientius erat, ut „Deus ipſam indolem, ipſum ingenium Populorum rudium „mutaret, quàm ut ſeipſum, ſuáſque Revelationes, eorum ru„ditati ac duritiei adtemperaret? „ R. Reſpondemus, Dei ſapientiam non decere, perpetuis miraculis, perpetuo Omnipotentiæ

tentiæ ſuæ exercitio, conſuetum rerum ordinem mutare. Unamquamque gentem, unumquemque hominem, ſuo ingenio, ſuis moribus, ſua indole, frui ſinit; Et, mira *συγκατάβασει*, ſua documenta ſingulis adcommodat. * *Σύμμετρα ταῖς ἡλικίαις προφέρει παιδεύματα ὁ θεός*, inquit THEODORETUS; *Convenientia ætatibus documenta præbet Deus.* Potuiſſet ſine dubio hominibus omnibus ingenium longè ſublimius concedere. Plus dicimus; Potuiſſet nos omnes *ἀναμαρτήτους* efficere. Ulteriùs pergimus; Potuiſſet nos, non humana natura, ſed Angelica, imò & pluſquàm Angelica, donare. Sed noluit curſum rerum mutare. Maluit ſeſe ad nos demittere, nóſque alloqui, *οὐχ ὡς αὐτὸς δύναται, ἀλλ' ὡς ὑμεῖς ἀκούειν δυνάμεθα*, *non ut ipſe poteſt, ſed ut nos audire valemus*, ut obſervat CHRYSOSTOMUS. Quæ quidem agendi ratio, explicandæ Dei ſapientiæ, cæteríſque virtutibus, pulchriorem longè ac illuſtriorem aperit campum, quàm ſi Homines abſoluto quodam Omnipotentiæ Divinæ actu, perfectione donarentur.

XXIX. PRÆTER generales illas Difficultates, de quibus hactenus diximus, particulares non paucæ occurrunt, quibus Deïſtæ Religionem, cùm *Judaïcam*, tum *Chriſtianam*, convellere nituntur. Et ad RELIGIONEM quidem JUDAICAM quod adtinet, cùm fateamur, eam, licèt veram, imò & eximiam, ſi cum Ethniciſmo conferatur, multis tamen defectibus, multis imperfectionibus laborâſſe, quæ, accedente Chriſtianiſmo, perfectiorem in ſtatum adducta ſunt; cùm agnoſcamus etiam, vetuſtate Librorum illorum, quibus ea continetur, & penuria Monumentorum coævorum, & morum Orientalium à noſtris diſcrepantia, & ſtyli Prophetici obſcuritate, & aliis idgenus rationibus, multa obſcura nobis eſſe, atque in ſpeciem incommoda, quæ, ſi plura adeſſent ſubſidia, nullo negotio ſolverentur; idcircò nos examine ſingularum Difficultatum, quæ contra eam proferuntur, ſuperſedere facilè poſſemus, RELIGIONEM CHRISTIANAM, qua maximè fides noſtra nititur, quæque iis vacat incommodis, defendere ſatis habentes. Verumtamen, ne indefenſa Vetus

* THEODORET. Hæt. Fab. Lib. V. cap. 17.

Vetus Revelatio videatur, placet nonnulla, quæ tum in *Doctrina*, tum in *Legibus*, tum in *Hiſtoriis* reprehenduntur, ſpeciminis loco expendere, &, quàm iniquè ab Incredulis vituperentur, oſtendere.

XXX. Dicunt igitur, „in DOCTRINA utriuſque Fœderis, ſed „Veteris ſpeciatim, multa occurrere, à recta Philoſophia & ve„ritate planè aliena; eam parùm adcuratè de rebus naturalibus „diſſerere, dum v. g. Solem & Lunam *duo magna Luminaria* „vocat, dum *Solem moveri* ubique innuit, dum dicit Terram „*baſibus ſuis innixam*, aut *ſuper maria conſtitutam* eſſe, &c. Ad„dunt, Revelationem, cùm Judaïcam, tum Chriſtianam, ideas „Deo indignas nobis præbere, dum Deum corporeum depingit, „& quidem ſub humana ſpecie; dum Ipſi tribuit *oculos*, *aures*, „*nares*, *manus*, *pedes*, *viſcera*, &c.; dum dicit, eum *iraſci* & „*placari*, *miſericordia tangi*, *zelotypia adfici*, *adſcendere*, *deſcen*„*dere*, opus habere ut homines *tentet* ac *exploret*, &c. Urgent „ſpeciatim ea Scripturæ utriuſque loca, quibus peccata Deo tri„bui videntur, v. g. ubi dicitur *indurâſſe cor Pharaonis*, ubi di„citur *juſſiſſe Semei*, *ut Davidi malediceret*; ubi dicitur *efficaciam* „*erroris immittere*, & alia multa ejuſmodi.„ Verùm, ſi hæc omnia ritè expendantur, patebit, nihil in iis eſſe, quod vel minimùm negotii nobis faceſſat.

XXXI. Nam, ad res naturales quod adtinet, 1. non is fuit Revelationis ſcopus, ut nos Philoſophos efficeret, ſed ut nos ad veram pietatem & virtutem informaret: Itaque de rebus naturalibus ad vulgi modum loquitur. 2. Sic & nos omnes quotidie loqui ſolemus: Etiam Philoſophi, etiam Aſtronomi adcuratiſſimi, non dicunt, Terram occidere, Terram oriri, ſed Solem oriri & occidere; in iis nempe ſermonibus omnibus, in quibus de ἀκριβείᾳ Aſtronomica ex profeſſo non agitur. 3. Quinimò, ſi Deus, in his aliiſque, ἀκριβίαν Philoſophicam ſequi voluiſſet, ab his placitis homines quammaximè abhorruiſſent, idque non levia, Doctrinæ ſacræ progreſſibus, impedimenta adtuliſſet. Et id quidem Veteres Doctores paſſim agnoſcunt, ſi non quod ad verum Mundi ſyſtema, quod ab iis ignorabatur, certè quod ad

alia multa ejuſmodi. Sic EUSEBIUS, * *Moſes*, inquit, *& Hebræorum Oracula, nihil admodum iſta curavêre*; (nempe, adcuratè de Mundo, & rerum cœleſtium natura, diſſerere) *Nec immeritò*, addit, *cùm eorum ſtudioſos nihil ad vitæ emendationem inde juvari poſſe judicârint.* Paria habent *Baſilius* in Hexaëm. *Chryſoſtomus* in Geneſim, aliique.

XXXII. Quod ad illas Dei ideas, quæ ejus Majeſtate & Perfectionibus indignæ videntur, obſervandum eſt, eo etiam reſpectu, Scripturam ſeſe hominum ruditati adtemperare. Cum enim homines plerique, ipſique inprimis Judæi, ſenſibus veluti immerſi eſſent, nihilque ferè niſi corporeum, ac humana ſpecie veſtitum conciperent, ideò Scriptura cum ipſis veluti balbutit, & humano more de Deo loquitur. Verùm, quæ ἀνθρωποπαθῶς ab ea dicuntur, θεοπρεπῶς, hoc eſt, modo Deo digno intelligenda ſunt. Ac ſanè debent ea loca, ex aliis locis exponi, in quibus Dei Majeſtas & Perfectiones adcuratiùs deſcribuntur. V. g. dicit Salomo, *Cœlos cœlorum Deum non capere*, 1. Reg. VIII. 27. Dicitur paſſim Spiritus Dei ubique eſſe; *Quò fugiam à Spiritu tuo?* &c. Pſ. CXXXIX. 7. & ſeq. Igitur hinc clarè patet, ea loca, ubi Deus dicitur *adſcendere* & *deſcendere*, modo Deo digno intelligi oportere. Dicitur etiam in Scriptura, *Deum non mutari*, Mal. III. 6. Dicitur, non eſſe *filium hominis*, *ut ipſum pœniteat*, Num. XXIII. 23. Dicitur *corda & renes ſcrutari*, Pſ. VII. 10. Dicitur, *omnia eſſe nuda & patentia oculis ejus*, Hebr. IV. 13. Igitur loca ubi dicitur *explorare*, *tentare*, *pœnitentia tangi*, &c. θεοπρεπῶς intelligenda ſunt.

XXXIII. Et hoc quidem loco, obſervationem ſolidiſſimam, ſummique in Religione momenti, adſcribere juvat: Deum nempe, non tam qualis eſt in ſeipſo, quàm qualis eſt reſpectu noſtri, ſeſe in Scriptura nobis exhibere. Semper ſe, ut Patrem, ut Dominum, ut Creatorem, ut Conſervatorem, ut Amicum, ut Judicem, &c. deſcribit; Rarò, de ſeipſo qualis in ſe eſt, & eſſentia ſua in ſe ſpectata, nec niſi ad timorem ac reverentiam incutiendam, loquitur. Ratio in promptu eſt: Cùm enim Religio,

* EUSEB. de Præp. Evang. Lib. XV. cap. 8. in fine.

ligio, non ad inanem curiositatem pascendam, sed unicè ad pietatem & virtutem ingenerandam, comparata sit, necesse non erat nos in abditissimam Dei essentiam penetrare: Sat erat, si ea quæ faciunt ad Deum timendum, amandum, ejúsque mandatis obsequendum, cognoscceremus. Quam in rem MOSES; *Quæ occulta sunt*, inquit, *sunt Jehovæ Dei nostri: At revelata, nostra sunt, & liberorum nostrorum, in perpetuum, ut verba omnia hujus Legis faciamus.* Deut. XXIX. 29.

XXXIV. Sed neque offendiculo nobis esse debent ea Scripturæ utriusque loca, quibus peccata Deo adscribi videntur. Cùm enim tota Scriptura nihil fortiùs inculcet quàm Dei sanctitatem, & quantoperè à peccato abhorreat, omninò necesse est, & postulat æquitas, ut ea loca, quibus peccata Ipsi videntur tribui, benigna interpretatione leniantur. Ac sanè, si loca illa adtentè considerentur, patebit optimè intelligi posse, vel de sola *permissione*, vel de *obiatione occasionum* & circumstantiarum planè innocua, vel de ipso *eventu* divinarum dispensationum, quamvis eventus ille à Deo haudquaquam proceedat, sed unicè ab hominum vitio, vel de peccati determinatione, & ad certos fines *directione*, vel de *Auxiliorum* quorundam *denegatione*, ad quæ concedenda neutiquam obligabatur Deus, imò verò, quæ ut denegaret, hominum scelera ipsum coëgerant. His igitur modis, aliisque similibus, loca illa optimè exponi possunt, quemadmodum à peritissimis, cùm Veteribus, tum Recentioribus Interpretibus, non semel demonstratum est. Quibus & hoc inprimis addendum, Linguas Orientales locutiones ejusmodi duras non rarò adhibuisse, sed quæ tamen haud urgendæ sunt.

XXXV. Quemadmodum verò Doctrina, ita & LEGES Populo Israëlitico latæ, haud exiguarum difficultatum materiam præbent. „Videntur quippe Cæremoniæ illæ omnes, tanto numero „à Lege præceptæ, adparatus omnis Tabernaculi & Templi, „denique Cultus omnis Leviticus, res Deo parum dignæ, ejús„que naturæ spirituali & perfectionibus haudquaquam consenta„neæ. His accedunt mandata quædam dura ac iniqua; quale fuit „mandatum Abrahamo datum, de immolando filio; mandatum

„de auferendis Ægyptiorum vasis; mandatum de exscindendis „Cananæis, ne exceptis quidem infantibus. Quibus & addunt „mandata quædam parùm honesta; velut cùm jubetur Oseas me„retricem pro uxore sibi adsumere, Os. I.; nec non & mandata „absurda visa, præstitúque vix possibilia, ut cùm jubetur Ezechiel „lateri suo sinistro incubare diebus 390., lateri verò suo dextro „diebus 40.; Ezech. IV. Quæ omnia, aliáque non pauca id genus, ab adversariis Revelationis vividè exagitantur.

XXXVI. Quod ad rituales Hebræorum Leges, fatemur nos, illas, ex se & naturâ suâ, nihil boni ac præstantis habuisse; Fatemur, fuisse puerilis ætatis institutionem, † *egena ac infirma elementa*, prout ea vocat Apostolus. Verùm inde colligendum non est, illas sapientia vacuas, Deóque indignas fuisse; siquidem in iis, sapienti consilio, Deus sese Hebræorum captui adcommodavit. Cùm enim Populus ille rudis admodum esset, nec Religionem merè spiritualem posset concipere; cùm etiam ad Ægyptiorum aliorúmque Populorum Idololatriam supra modum propensus esset, Deo visum est, eorum se ruditati adcommodare, eodem modo quô Præceptores infantium ruditati se adcommodant. Dedit Leges, in se quidem crassas, eóque nomine Israëlitarum ingenio consentaneas, sed quæ simul, iis ab Idololatria avertendis, & ad veri Dei cultum adducendis, aptissimæ erant. Non fuerunt ergo *Legum omnium, quæ ferri poterant, optimæ*; sed *quàm optimas Populus accipere poterat*, ὡς ἂν προσδέξαντο τὸν ἄριστον, * quemadmodum *Solon* suis de Legibus dixisse perhibetur.

XXXVII. Quòd autem hæc Legum ritualium occasio fuerit, præter Scripturæ loca non pauca, quæ id apertè satis declarant, apud sapientissimos, cùm Judæorum, tum Christianorum Interpretes, in confesso est. Docet id MAIMONIDES, non uno loco, sed hoc præsertim, quem compendiosè tantùm referemus. ‡ *Cùm misit Deus Mosem, Doctorem nostrum, ut nos faceret regale Sacerdotium*, &c. *usitata tum in Mundo consuetudo erat, & cultus universalis, ut variæ animalium species in Templis Idolorum immola-*

† Galat. IV. 9. * PLUTARCH. in vita Solonis. ‡ MAIMON. More Nevochim, Part. III. cap. 32. pag. 432. vers. Buxtorfii.

molarentur, coram illis procumberetur, & adoleretur. Certi quidam insuper erant cultores sequestrati, & ad cultum illum destinati, &c. Ideò noluit sapientia & Providentia Dei, quæ in omnibus ejus Creaturis lucet, mandare ut cultus illi omnes derelinquerentur aut abolerentur. Hujus enim rei cor humanum, quod perpetuò ad id inclinat, cui assuetum est, non fuisset capax; &c. Propter hanc itaque causam retinuit Deus adhuc cultus illos, eósque à rebus creatis & phantasmatis, quæ nullam veritatem habent, ad nomen suum venerandum transtulit, & præcepit nobis, ut eos Ipsi exhiberemus; &c. Consilium igitur Dei in hac divina Sapientia fuit, ut memoria Idololatriæ deleatur, & fundamentum illud magnum de existentia & unitate Dei in gente nostra confirmaretur, nec tamen animi hominum, propter cultuum illorum, quibus adsueti erant, abolitionem, obstupescerent, aut alios cultus sibi fingerent. Neque aliter Veteres Christiani, atque inter alios EUSEBIUS. * *Mosis Lex ingressa est*, inquit, *puerilium imperfectarúmque animarum curatrix quædam & gubernatrix, aut etiam Medici cujusdam instar, gravi Ægyptiacóque morbo laboranti universæ Judæorum genti, &c. Nam quia cum Ægyptiis versantes, Ægyptiacorum morum similitudine adlecti erant, & in multorum Deorum superstitionem deciderant, meritò quasi ex profundo malorum ipsos hauriens Moses, ab impia Deorum multitudine amovit, & ad Opificem Universi Deum reduxit, primum illum gradum pietatis* (nempe Legales ritus) *tanquam introductionem ac vestibulum rerum perfectiorum ipsis proponens.* Pariter JOHANNES CHRYSOSTOMUS, inter Veteres Scripturæ Interpretes facilè princeps, † *E mandatis*, inquit, *hæc quidem propter se fiebant, illa verò propter alias causas jubebantur.* In primo ordine hæc memorat, *Deum nôsse, non occidere, non adulterari. Sed immolare*, addit, *incensum offerre, Sabbatum observare, & quæ sunt talia, eum in finem præcepit Deus, ut, per assiduam horum curam & observationem, à cultu Dæmonum & Idolorum abducerentur.*

XXXVIII. Verum quidem est, quid quæque Lex sibi voluerit, & quomodo Idololatrarum institutis adversaretur, in tanta temporis distantia, & penuria monumentorum, nos certò ac de-

* EUSEB. Demonstr. Evang. Lib. I. cap. 6. † CHRYSOST. Comm. in Esai. cap. 1.

tetminatè commemorare non poſſe. Sed tamem multa hujus generis, ab eruditiſſimis Scripturæ Interpretibus, haud infeliciter é ſinu vetuſtatis eruta ſunt. Unum duntaxat, vulgò non ſatis intellectum, & propterea à multis culpatum, ipſum nempe *Tabernaculi* & *Templi* adparatum, elucidare hoc loco juvat. Clavis totius materiæ hæc eſt; Deum, tanquam REGEM Populi ſui, & Regem quidem cum ipſis peregrinantem, cum ipſis habitantem, ſpectari voluiſſe. * Ergo, dum iter facerent, ac in tentoriis viverent, ſuum & ipſi Tentorium adſignabatur. At, poſtquam ſedes fixas in Palæſtina habuêre, ipſe quoque Ædem, ſive Templum, ſibi exſtrui voluit. In eo Tentorio, eáque Æde, pro Palatiorum more, variæ erant Areæ, varia Conclavia, alia omnibus aperta, alia quibuſdam tantùm, aliud intimum, ſive penetrale, ubi ſtabat Princeps, & in quod nonniſi intimæ admiſſionis Miniſtro ingredi licebat. Huic Regi ſervi erant ingenti numero, Sacerdotes atque Levitæ. Huic victus opiparus atque copioſus, putà carnes ſacrificiorum, placentæ, libamina. Huic ſua omnis ſupellex, Menſa, Candelabrum, vaſa omnis generis, &c. Non negamus alia myſteria, quæ ſub his latere exiſtimantur: Sed hoc ſimpliciſſimum, noſtro judicio, Deíque majeſtate & ſapientia haudquaquam indignum.

XXXIX. Porrò, ad vindicandam ritualium Legum ſapientiam, tria vel quatuor ſuprà dictis adjungenda ſunt. *Primum*; monuiſſe Deum non ſemel, per Moſem ipſum & Prophetas, externas illas Cæremonias non id eſſe quô maximè delectaretur; veram pietatem, in cordis puritate, & virtutibus moralibus, potiſſimùm ſitam eſſe; à quibus ſi externi ritus ſejungantur, nullius pretii eſſe. Plurima ſunt hujus generis monita, præſertim I. Sam. XV. 22. 23. Pſ. L. & LI. Eſai. I. Jerem. VII. &c. *Alterum*; prædictam novi Fœderis, noviſque Cultûs inſtitutionem, Jerem. XXXI. aliiſque locis. *Tertium*; Leges rituales fuiſſe *umbras rerum futurarum, quarum corpus in Chriſto eſt*, Coloſ. II. 17., fuiſſe *Pædagogum ad Chriſtum ducentem*, Gal. III. 24. *Quartum*; CHRISTUM re verâ, ſummum Doctorem, perfectiſſimæque latorem

* Vid. CUDWORTH *Diſc. of Lord's ſupper*, ch. VI. p. 31.

rem Legis, Cultum ſpiritualem, Deóque digniſſimum, non ſolis Judæis, ſed Gentibus omnibus, non ad tempus, ſed in perpetuum, celebrandum inſtituiſſe: Quo quidem facto Divina Sapientia luculentiſſimè vindicata eſt.

XL. Plus difficultatis videntur habere, Mandata illa in ſpeciem dura & iniqua, de *immolando Iſaaco*, de *vaſis Ægyptiorum auferendis*, de *exſcindendis Cananæis*, & ſi qua ſunt iſtius generis: Quæ quidem duriſſima ac iniquiſſima re verâ eſſent, ſi ſoli homines adtenderentur. Sed quis neſcit, Deum, ut bonorum noſtrorum omnium, ita & vitæ neciſque Arbitrum eſſe? 1. Ad *Abrahamum* quod adtinet, id unum Deo propoſitum fuit, ut fidem ejus exploraret, exploratam commendaret, ac remuneraretur. Nihil durum, nihil inhumanum, exſecutioni mandari paſſus eſt. 2. Quod ad *Ægyptios*, res per ſe æquiſſima erat: Diu quippe Iſraëlitas vexaverant, neque ullam laborum mercedem ipſis dederant. Eam ergo à Deo ipſo iis adſignari haud iniquum fuit. 3. Sed & quod ſpectat ad *Cananæos*, fuit id quoque vindicis Dei Juſtitiæ opus, quæ ipſorum ſcelera ad cumulum perducta plectebat, Populóque Iſraëlitico tanquam ſuorum exſecutore judiciorum utebatur. Nec objiciendum, ipſos infantes his cladibus involutos eſſe: Etenim nihil hîc eſt peculiare, quod in bellis omnibus, naufragiis, incendiis, imò & morbis, quotidie non accidat. Quibus & hoc quoque adjungendum, clades illas Cananæorum, Iſraëlitis ab eorum Idololatria & pravis moribus avertendis, idoneas admodum fuiſſe. 4. Poſtremò, quod ad ea Mandata, quæ *Oſeæ* & *Ezechieli* data perhibentur, ea, non ad literam, ſed ſenſu myſtico & allegorico, cum Interpretibus ſapientiſſimis, exponenda exiſtimamus.

XLI. Ut verò Dogmata atque Leges, ita & non paucæ Hebraïci Populi HISTORIÆ, acerrimè ab Incredulis reprehenduntur. „Proferunt neſcio quot difficultates Chronologicas, Genealogicas, „Geographicas, aliáſque idgenus; quædam v. g., in Patriarcharum ætatibus, haud facilè concilianda; rès, aliter in Libris „*Samuelis* & *Regum*, aliter in Libris *Chronicorum*, narratas; numeros fidem omnem, ut ipſi dicunt, excedentes, velut numerum

„tum Iſraëlitarum ex Ægypto egreſſorum, numerum ejuſdem Po„puli in cenſu Davidis, numeros exercituum & curruum in variis „Bellis; &c. incredibiles *Davidis* & *Salomonis* divitias; aliáque be„ne multa, ab omni, ut quidem contendunt, probabilitate aliena. „Addunt varias Hiſtorias in ſeipſis parùm credibiles, velut hiſto„riam Tentationis, hiſtoriam luctæ Jacobi, qui Deum viciſſe di„citur, &c. Neque omittunt Patriarcharum, aliorúmque Viro„rum, qui tanquam pii & Deo chari in Scriptura commendan„tur, culpas & ſcelera; ebrietatem *Noachi*, *Lothi* inceſtum „cum filiabus, *Jacobi* fraudem ut paternam fratri benedictionem „eriperet, ſcelera filiorum ejus; *Moſis* ipſius dubitationem; *Da„videm* homicidam atque adulterum; *Salomonem* in omnem li„bidinem ac idololatriam lapſum; &c.„ Hæc aliáque ejuſdem generis, magno adparatu proferunt, magna confidentia exagitant, Revelationis Judaïcæ, nec non & Chriſtianæ Adverſarii. Singula fusè expendere atque refellere, longum nimis foret. Sat erit, præcipuas quaſdam reſponſiones, ſpeciminis loco, indicare, animis ſinceris & veri ſtudioſis, uti quidem ſperamus, ſatisfacturas.

XLII. Quod ad difficultates *Chronologicas*, *Genealogicas*, *Geographicas*, aliáſque idgenus, ſuprà jam innuimus, 1. nos non multùm illas curare; ſiquidem ad Religionis eſſentiam neutiquam pertinent. Ac ſanè, utcumque ſe habeant res omnes hujuſmodi, & quomodocumque de iis judicetur, eſſentia Religionis immota manet, neque ullatenùs periclitatur. 2. Adhæc, cùm agatur de Libris vetuſtiſſimis, & Hiſtoriis compendioſiſſimè narratis, & moribus à noſtris remotiſſimis, æquum eſt cogitare, multa à nobis ignorari, quæ ſi cognoſcerentur, Difficultates non paucæ evaneſcerent. 3. Neque verò hæc Libris noſtris ſacris propria ſunt. Apud veteres Auctores, omnium gentium atque temporum, multæ ſeſe offerunt difficultates, multa obſcura atque perplexa, imò multa in ſpeciem pugnantia, quæ tamen Scriptorum illorum auctoritatem, certis aliunde notam indiciis, ullatenùs labefactare exiſtimantur.

XLIII. Hæc in genere de Dubiis illis. Sed neque deſunt particulares reſponſiones, & eæ quidem probabiles admodum; quarum

quarum nonnullas ſpeciminis loco referemus. 1. Sæpe nimirùm, ut cæterorum omnium Scriptorum, ita & Scripturæ narrationes, ordinem temporum non ſequuntur: Illa antecedunt, quæ ſequi debuerant; Illa ſequuntur, quæ debuerant antecedere. Nihil crebrius, nihil magis receptum, apud omnium gentium Hiſtoricos. Atqui, vel ſolo hoc Principio, plurimæ Difficultates adversùs Hiſtoriam ſacram propoſitæ diluuntur. 2. Sic etiam nemo ignorat, iiſdem hominibus, ac iiſdem locis, plura nomina nonnunquam fuiſſe. 3. Conſtat etiam, annos *completos* pro *incompletis* utplurimùm numerari. Imò verò numeri *rotundi*, quos vocant, ſæpiſſimè collocantur, quamvis aliquid deſideretur aut redundet. 4. Quinimò & Regnorum initia non uno modo aliquando ſtatuuntur; neque inſolitum ut quidam Reges, primò cum Patribus aut Deceſſoribus per aliquot annos, deinde verò ſoli regnaverint. Hæc in genere tantùm indicamus; ſed apud ſapientiſſimos Scripturæ Interpretes, peritiſſimóſque Chronologos, ſuis locis aptata videri poſſunt.

XLIV. Ad hæc poſſunt, in numeris illis, qui incredibiles ſtatim videntur, ea ſubinde obſervari, quibus incommoda, ſi non planè ſublata, certè plurimùm imminuta deprehendantur. Numerus v. g. Iſraëlitarum ex Ægypto egreſſorum, qui dicuntur Exod. XII. 37. fuiſſe *ſexcenta millia peditum virorum, præter parvulos*, nec non & præter mulieres, immenſus ſtatim videtur; ſi cogites, numeratis omnibus, pueris nempe & mulieribus, ſummam triplo vel quadruplo majorem eſſe debuiſſe; ſi adtendas etiam, familiam Jacobi, quæ nonniſi 70. circiter animarum erat, cùm in Ægyptum deſcendit, haud multò pluribus quàm ducentis annis in Ægypto commoratam eſſe. At verò recordandum eſt, 1. populoſiſſimam fuiſſe Ægyptum, & Nili aquas ad fœcunditatem plurimùm valuiſſe, prout ex *Ariſtotele*, *Plinio*, aliiſque Scriptoribus conſtare poteſt. 2. peculiare fuiſſe Dei promiſſum, de Abrahami ſemine ſupra modum multiplicando. 3. calculis ſubductis, demonſtrárunt Viri Eruditi, potuiſſe Jacobi poſteros, eo temporis intervallo, facillimè, & abſque miraculo, non in eum modò numerum, ſed in multò majorem excreſcere: Quod quidem

dem præ cæteris demonſtrat USSERIUS, *Chronologiæ Sacræ* cap. XI., quò nos Lectorem amandamus.

XLV. Pariter numerus Iſraëlitarum, in cenſu *Davidis*, (qui dicuntur 2. Sam. XXIV. 9. fuiſſe *octingenta millia ex Iſraële*, hoc eſt, ex aliis Tribubus præter Judam; *quingenta millia é tribu Judæ*; aut juxta 1. Chron. XXI. 5. *undecies centena millia ex Iſraële, é Juda verò quadringenta ſeptuaginta millia*) immenſus etiam adparet, ſi ad anguſtos Iſraëliticæ terræ fines, & difficultatem tantæ multitudinis alendæ, reſpiciatur. Verumtamen obſervare licet, 1. Hebræos, non in laxis ædibus & villis habitâſſe, ſed in pagis ac tuguriis, ubi anguſtiſſimis ſpatiis numeroſiſſimæ agricolarum & pecuariorum familiæ coarctabantur. 2. Victorias à *Davide* de vicinis Populis reportatas, effeciſſe ut Iſraëlitæ huc atque illuc diſpergerentur, amplioráque ſpatia occuparent. 3. Palæſtinam fertiliſſimam fuiſſe. 4. Vicinos Tyrios atque Sidonios, quorum ampliſſima erant commercia, fruges etiam ad Judæos tranſmittere potuiſſe. 5. Imò verò & ipſos Judæos, tempore *Davidis* & *Salomonis*, non Regni modò fines ampliâſſe, ſed & cœpiſſe in exteras oras, etiam remotiſſimas, naves mittere, quibus fruges, aliáque vitæ ſubſidia, advehi facilè poterant. Quòd autem inter Libros *Samuelis* & *Chronicorum*, de calculis illis non conveniat, ratio adferri non una poteſt; ſive dicatur cum *Bocharto*, Legionarios Davidis, ſive dicatur cum aliis, Peregrinos Iſraëlitis permixtos, in altero quidem loco omiſſos, in altero numeratos eſſe.

XLVI. Quid verò dicemus de immenſis illis, nec facilè concipiendis, *Davidis* & *Salomonis* divitiis? v. g. cùm David dicitur 1. Chron. XXII. 14. ad exſtruendam Dei Ædem ſepoſuiſſe *centum millia talentorum aureorum*, hoc eſt, juxta calculos adcuratiſſimos Celeberr. *Cumberland*, 507. milliones cum 600. millibus Librarum ſterlingarum, *& mille millia talenta argentea*, hoc eſt, 353. milliones Librarum ſterlingarum: Quæ profectò ſumma ita ſtupenda eſt, ita à veri ſpecie aliena, ut fidem omnem ſuperare videatur. Verùm enimverò (prout ſuprà non ſemel monuimus) non ſtatim quidquid ſtupendum eſt, pro falſo

ſo haberi debet; nec ab hodierno rerum ſtatu, de antiquis illis temporibus judicare licet. Certè non pauca obſervârunt Viri Docti, atque inter alios Celeberr. PRIDEAUX †, quæ non exiguam huic difficultati lucem miniſtrant. Præterquàm enim quòd conjicit Vir ille Doctus, *talenta* de quibus hîc agitur, Moſaïcis longè minora eſſe potuiſſe, obſervat inſuper, 1. *Davidem & Salomonem*, é civitatibus quibuſdam Idumææ, quæ ipſis ceſſerant, *Eloth* & *Hetſiongeber*, commercia latè extendiſſe; & ex variis, cùm Orientis, tum Occidentis partibus, magnam vim auri atque argenti avehere potuiſſe. 2. Ingentes quoque divitias, ac fidem omnem ſuperantes, in Hiſtoriis Græcis & Romanis memorari; quales fuêre theſauri *Darii* ab Alexandro reperti; *Pythii* Lydi, & *Craſſi* Romani divitiæ. 3. Minas auri atque argenti, quæ copioſæ tunc temporis erant, hauddubiè exhauſtas ab eo tempore fuiſſe. 4. Gentes barbaras, *Gothos*, *Hunnos*, *Vandalos*, *Saracenos*, *Turcos*, *Tartaros*, &c. Orbis divitias, ſuis incendiis ac vaſtationibus, magnam partem deſtruxiſſe, neque minas *Mexicanas* ac *Peruvianas* jacturam illam ſupplere potuiſſe.

XLVII. Ex his igitur exemplis liquet, Hiſtoricas illas difficultates, quæ graviſſimæ ſtatim adparent, ſi omnia conſiderentur non parùm imminui, nec improbabiles earum ſolvendarum rationes occurrere. Quòd ſi tamen hæc minùs ſatisfaciant, & malit quis, vetuſtatis vitiô, aut Librariorum culpâ, aliquid mendi hîc irrepſiſſe, nihil in eo eſt, ut quidem cenſemus, quod pietati noceat; nihil, quo ipſum Religionis corpus, ab his minutiis haudquaquam pendens, vel minimùm labefactetur. Quemadmodum enim hodierni Exſcriptores atque Typographi, cùm S. Biblia exſcribunt aut typis exprimunt, non errandi privilegio haudquaquam fruuntur, ita nec veteres eo donatos fuiſſe credibile eſt. Neque verò id res ipſa patitur; niſi fortè dicas, *Achaziam* v. g. biennio majorem parente ſuo fuiſſe; 2. Chron. XXI. 20. XXII. 2. Qui quidem error ita apertus eſt, & ex loco 2. Reg.

† PRIDEAUX Connection of the Hiſtory of the Old and New Teſtament, &c. Part. I. Book I. *non longè ab initio.* Idem Part. I. Book V. *ad Annum 453. ante Chriſtum.*

VIII. 26. ita evincitur, ut *Piscator*, *Deodatus*, *Usserius*, denique omnes ferè Theologi, eum agnoscere neutiquam dubitent. *Cainanem* quoque juniorem, Luc. III. 36. vix quisquam est qui non per errorem irrepsisse fateatur. Quamobrem † *hæc & his similia, utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno ponemus discrimine.* Nec enim in literarum aut numerorum apicibus sita est Religio. Majora sunt, quibus illa constat. Et hoc divinæ indicium sapientiæ est, quòd Doctrina sacra ejus sit naturæ, ita clara, ita aperta, toties tradita, tot modis exposita, ut à minutiis illis, literarúmque varietatibus, ne minimum quidem detrimentum accipere possit.

XLVIII. Narrationes parùm credibiles, quæ sacris nostris Scriptoribus vitio vertuntur, qualis est *Tentationis* historia, *luctæ Jacobi cum Deo*, aliæque nonnullæ, utique, si in Libro quodam vulgari, cujus nulla esset auctoritas, occurrerent, haud immeritò essent suspectæ, causæque aliquid esset cur rejicerentur. Sed cùm extent in Libro admodum notabili, in Libro maximi pretii, maximæque auctoritatis, (prout alio loco à nobis demonstratum est) præstat certè de obscuris hujusmodi rebus judicium cohibere, eásque maturè considerare atque expendere, quam eas temerè ac præcipitanter contemnere atque rejicere. Et sanè, rem adcuratè expendentibus liquet, sub istis mysticos utplurimùm ac utilissimos sensus latere, dignos omninò qui admittantur. Sic, *luctæ Jacobi* cum Angelo, Dei nomen præferente, nos docet, Fideles Deum vividè orare debere, neque antè desistere, quàm eum quasi vicerint, ejúsque favorem impetraverint. Sic, in historia *Lapsûs Adami*, quatuor in primis sese offerunt: 1. Hominem, purum quidem & innocuum, sed & simul liberum, à Deo creatum esse; 2. Deum, datô ipsi præceptô, ejus statui adcommodatô, explorare ipsum voluisse; 3. Immorigerum fuisse; 4. Factum id impulsu maligni cujusdam Spiritûs, qui Serpentis nomine indigitetur, aut Serpentis formam induerit. Tria prima rationi & experientiæ admodum consentanea sunt. Quartum nullatenùs impossibile est, proindéque rejici non

† Verba sunt Livii, Hist. Lib. I. quæ nostra facimus.

non debet, cùm in Libro maximæ auctoritatis reperiatur. Cætera quæ his adjunguntur, cum varias patiantur expositiones, si una non satisfaciat, præstat ad alias confugere, quàm, ob unum locum obscurum, minúsque intellectum, præstantissimæ Revelationi dicam scribere. Verbô, circa omnes ejusmodi Historias, id memoria semper tenendum est, quod non semel jam monuimus; Quicquid stupendum ac insolitum est, non statim falsum esse; Item, ob ea quæ obscura sunt, minúsque intellecta, quæ certa sunt atque explorata, rejicienda haudquaquam esse.

XLIX. Supersunt Historiæ parùm honorificæ, de Virorum aliàs piorum, & Deo dilectorum, culpis ac sceleribus. Verùm, tantùm abest, ut hæc Scriptoribus sacris exprobranda sint, ut contrà nihil eorum sinceritatem ac veracitatem apertiùs prodat. Sanè, si adprobarentur aut commendarentur ejusmodi Facta, magnam id Revelationi, ejúsque Auctori, labem adspergeret: Sed nihil tale hic occurrit. Quòd autem Viri illi in cæteris laudentur, & inter pios numerentur, id magno documento est, quanta sit fragilitas naturæ nostræ; quàm facilis, etiam optimis atque piissimis, in gravia peccata lapsus; quámque proinde eorum *qui stant* interest, *operam dare ne cadant.* Quinimò & prosunt narrationes illæ, observante *Chrysostomo*, ne putemus Viros illos pios, de quibus agit Scriptura, diversæ à nobis naturæ fuisse, nósque ad imitandas eorum virtutes adsurgere non posse Postremò, quædam ex his peccatis, *Davidis* v. g., si horrida per se fuêre, pœnitentiâ verè eximiâ postmodùm deleta adparent; sicque longè pulcherrimum, summóque studio imitandum, ætatibus omnibus exemplum præbent.

Sed de his satis. Quæ *Religionem Christianam* directiùs impugnant, propediem, si Deus dederit, expediemus.

FINIS.

DISSERTATIO XII.

Quæ eſt APOLOGETICA II.

PRO

VERITATE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

Adversùs Incredulorum Difficultates.

Habita eſt diſputatio, reſpondente FRANCISCO DE ROCHES *Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

DIximus de iis Difficultatibus, quibus *Revelatio* in genere, ſpeciatim verò *Judaïca*, obnoxia eſt. Dicendum nunc de iis, quibus CHRISTIANA RELIGIO directiùs impugnatur. Quas inter, multa re verâ ardua, & vindice digna, occurrere, cùm ob ipſam rerum ſublimitatem & perplexitatem, tum ob præpoſteras non paucorum Chriſtianorum notiones, ingenuè agnoſci-

noſcimus. Nos hic, ut antea, delectum agemus; nec niſi præcipuas quaſdam Difficultates, ſolutionéſque noſtro judicio commodiſſimas, pro inſtituta brevitate proponemus.

II. PRIMO igitur, ſunt qui objiciant, & Chriſtianæ Religioni vitio vertant, quòd CHRISTI adventus citiùs non contigerit. „Cùm enim, inquiunt, Adventus ille tot bonorum cauſſa eſſe „debuerit, cùm debuerit ſapientiam, juſtitiam, ſalutem, felici„tatem, denique commoda omnia hominibus adferre, cauſſæ „nihil videtur fuiſſe, cur Deus optimus, & hominum amantiſ„ſimus, tantum beneficium ad quatuor uſque annorum millia „diſtulerit.

III. 3ᵗ. Verùm, ut mittamus, ſcire Deum meliùs quàm nos, quid quoque tempore fieri conveniat, adeóque leges ei ferre noſtrum non eſſe; ut mittamus etiam, Sapientiam Divinam, quæ in Chriſto ſe conſpicuam fecit, Hominum generi antea non defuiſſe, ſed variis eos documentis, variiſque modis, illuſtrâſſe, ſiquidem fuit LUX illa, *quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Joh. I. 9.; unde & colligit *Juſtinus Martyr*, eos omnes, etiam inter Ethnicos, qui μετὰ λόγου, *cum Ratione*, hoc eſt, *juxta Rationis præcepta, vixerant*, eô ipſô *Chriſtianos fuiſſe* *; Ut hæc, inquam, miſſa faciamus, certè nullatenùs incongruum erat, præmiſſis rudioribus inſtitutis, præſtantiſſimum Magiſtrum mitti; præmiſſis Servis, qui Domino viam pararent, Dominum ipſum accedere; denique eo tempore, eóque rerum ſtatu, advenire Liberatorem, quô maximè illo opus erat, & quô ſperare licuit ejus adventum maximi usûs fore. Tali autem tempore, talibus circumſtantiis, adveniſſe Chriſtum, quiſquis ad ſtatum, cùm Judæorum, tum Gentilium, adtenderit, haud difficulter intelliget.

IV. Nam, ad *Judæos* quidem quod adtinet, ex una parte deploratiſſimus Religionis apud ipſos ſtatus erat. Vacabant quidem Idololatria, inde à Babylonica Captivitate; ſed aliis plurimis nævis, putà variis ſuperſtitionibus ac traditionibus inficiebantur. Totam Religionem in externis collocabant. Quòd Judæi

* JUSTINUS M. Apolog. I.

dæi essent, quòd Abrahami posteri, quòd circumcisi, vel eo solo se Deo gratos putabant, quomodocumque vitam componerent. Cæteras verò Gentes omnes, tanto habebant odio, tanto contemptui, ut ne communissima quidem humanitatis officia iis exhibere dignarentur: Unde illud Satyrici;

† *Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;*
Quæsitum ad fontem solos deducere Verpos.

Tanta autem hypocrisis, tot fraudes, tot simultates, denique tanta omnis generis scelera, inter ipsos exercebantur, ut ea dissimulare haudquaquam possit, contrà vehementissimè exagitet popularis eorum *Josephus.*

V. Ex altera parte, non pauca etiam apud Judæos erant, quæ ad exspectandum excipiendúmque Redemptorem eos disponerent. Sectæ ipsorum se mutuò damnabant, ac erroris arguebant: Gravissimisque infortuniis pressi, tum in Captivitate Babylonica, tum sub *Antiocho Epiphane*, aliisque Græcis Regibus, tum denique sub Romano jugo, multùm erat caussæ, cur Liberatorem anhelarent, & ad vitæ futuræ felicitatem cogitationes omnes adtollerent. Quibus quidem rationibus, ut & Prophetarum vaticiniis, in ardentissimum desiderium, vividámque exspectationem Redemptoris devenerant; quemadmodum non é multis duntaxat Evangeliorum locis, sed & ex *Josepho*, *Tacito*, ac *Suetonio*, colligere licet.

VI. Quòd si verò Judæis, multò magis utique *Gentilibus*, spirituali Medico ac Sospitatore, per ea tempora, opus erat. Nam & crassissima laborabant Idololatria, & moribus erant in omne nefas projectis: Cujus rei testes locupletes, non Scriptores modò nostri Sacri, sed & ipsi illorum Historici, Poëtæ, ac Philosophi, laudari possent. Simul tamen ii lucis radii, Philosophiæ auxilio, inter illos excitati erant, tantóque fabularum ac superstitionum tædio cordati omnes inter ipsos tenebantur, ut non levia hinc, ad cœlestem Doctrinam amplectendam, incitamenta emergerent. Quibus & hoc quoque adjungendum, adunatam sub Romano Imperio maximam Orbis partem, faciliùs promul-

† JUVENAL. Satyr. XIV.

promulgando ac diſſeminando Evangelio anſam præbuiſſe. Quamobrem aptiſſima, multis nominibus, tanto benificio tribuendo & accipiendo, ætas illa erat.

VII. SECUNDO, non deſunt qui hoc reprehendant in Chriſ„tiana Revelatione, quòd Methodo, ut ipſi putant, non ſatis „aptâ, nec ſatis adcuratâ, tradita ſit. Vellent nimirùm, Chriſ„tum & Apoſtolos integrum aliquod ac ſyſtematicum Doctrinæ „Corpus tradidiſſe, quô res unaquæque ſuo in loco collocare„tur, quódque partibus omnibus ac numeris abſolutum eſſet. „Dicunt, id cœleſti Doctore haud paullò dignius fore, quàm „vilia quædam colloquia, nullo ordine, nulla methodo, nec „niſi prout res ferebant habita, aut tenues quaſdam Epiſtolas, „ad particulares duntaxat occaſiones exaratas.

VIII. ℟. Verùm, quod vituperant Cenſores illi, non modò culpa omni vacat, ſed in magna contrà laude ponendum eſt. Cùm enim Chriſtus omnium ordinum homines docendos haberet, plebeïos non minùs quàm doctos, imò plebeïos potiùs quàm doctos, ea certè Methodus quam ſequitur, haud paullò convenientior, ejúſque ſcopo adcommodatior erat. Nec enim plebs idonea eſt Diſciplinarum Syſtematibus animo concipiendis: At familiaria colloquia, prout res ferunt, inſtituta, omnibus ex æquo conveniunt, plebi pariter & doctis adcommodantur. Id etiam habet optimum hæc Methodus, quòd ad excitandos animos, adtentionémque conciliandam, aptior eſt. Etenim, dum aliquem adloquimur, eúmque interrogamus, aut ei interroganti reſpondemus, fieri non poteſt quin ille nobis auſcultet: Contrà Magiſtris Diſciplinas Syſtematicas exponentibus perſæpe accidit, ut ſurdis fabulam cánant, aut ſtertentibus loquantur. Erat quinetiam Methodus illa, quâ Chriſtus utitur, ad perſuadendum, convincendum, animos movendos, efficaciſſima. Nec enim generatim tantùm docebat, ſed, ut diximus, interrogabat, reſpondebat, inſtabat; adhibebat principia, quæ ab Adverſariis conceſſa erant, iiſque in rem ſuam utebatur. Captabat quoque occaſiones, ad hæc vel illa documenta proponenda atque inculcanda: Quanta autem ſit vis circumſtantiarum ac

opportunitatum, ad animos adficiendos, movendósque adfectus, prædicari satis non potest. Quibus omnibus **Methodi** à Christo adhibitæ commendationibus, & hæc quoque adjici meretur, SOCRATEM, Græcorum sapientissimum, præstantissimæque Magistrum Doctrinæ, in castigandis Popularium suorum moribus, iisque ad saniorem mentem revocandis, non alia methodo usum esse; quemadmodum apud *Platonem*, *Xenophontem*, & *Æschinem* Socraticum, videre est.

IX. Dum verò hæc dicimus in defensionem & commendationem Methodi Christi, cave credas, ordinem omnem Systematicum à nobis vituperari, & in contemptum adduci. Fatemur quippe, *Systemata*, generatim loquendo, optimos usus habere, esse veluti Indices materiarum ad Disciplinas pertinentium, ostendere quomodo Disciplinarum partes inter se connectantur, neque aliter commodiùs atque utiliùs in Scholis doceri posse. Hoc unum volumus, Christum & Apostolos, in iis circumstantiis in quibus versabantur, ad scopum suum, per familiaria colloquia, longè meliùs processisse, quàm si Methodum ullam scientificam ac systematicam secuti essent. At verò, postquàm Doctrina Christi in artem conversa est, hominésque litterati in ea fuerunt instituendi, caussam non dicimus cur non optimè potuerit certas in classes distribui, certóque ordine tradi, quod *Systema* nuncupatur. Danda solùm opera est, primùm, ne in quæstionibus extraneis, & sæpè quidem vanissimis, (quod tamen creberrimè fit) multùm temporis teramus, sed puram Christi Doctrinam in Systematibus nostris tradamus; deinde, ut ipsa nostra Systemata quàm plana ac popularia fieri potest reddamus, non verò salebrosa & spinis hirsuta: Quæ cùm Scholastici non satis curaverint, dici non potest quantùm de Doctrinæ Christi præstantia, divináque illius virtute, ipsorum culpâ decesserit.

X. Illa levia: sed TERTIA succedit, & gravior quidem Difficultas; „de statu nempe Christi externo, qui Personæ majes„tati, Officiique dignitati, non satis consentaneus videtur. Di„cunt nimirùm, fide prorsùs indignum esse, Filium Dei, in „terras à Deo missum, ut æternæ sit Salutis auctor, ut sit Orbis

„bis universi Dominus & Judex, esse nihilominùs hominem „vilem, obscurum, contemptum, pauperem, quique, post ac„tam in egestate & contumeliis vitam, infami tandem suppli„cio, latronis instar, mortem obierit.„ Et hæc quidem est *petra scandali*, in quam, jam inde ab ipso Christi & Apostolorum tempore, impegerunt longè plurimi. Hæc *Doctrina Crucis*, quæ *Judæis fuit scandalum*, *Græcis stultitia*; verùm, ut optimè declarat Apostolus, *Credentibus*, rémque æquâ lance ponderantibus, patet hanc esse *sapientiam & potentiam Dei*. 1. Cor. I. 23. 24.

XI. Ac sanè, ut rectum de Doctrina aliqua feratur judicium, parùm refert quænam fuerit docentis conditio externa, dives-ne fuerit an pauper, excelsus an humilis, in honore an in ignominia. Externa illa sunt, neque quidquam Doctrinæ ipsi, vel addunt, vel detrahunt. * *Sed patibulo affixus interiit. Quid istud ad causam? Neque enim qualitas & deformitas mortis dicta ejus immutat aut facta*; &c. Apud Judæos, quot Prophetæ sorte nascendi haudquaquam conspicui, aut à popularibus pessimè habiti? Apud Ethnicos, quot Philosophi, obscuro loco nati, & indignissima morte interempti? quorum tamen famæ & laudibus non modò nihil hinc decessit, sed magna contrà accessio facta est. † *Cicuta magnum Socratem feciſſe* dicitur. ‡ *Rutilii innocentia & virtus latéret, nisi accepiſſet injuriam*; *Dum violatur, effulsit.* Et notus est egregius ille *Platonis* locus ⸸, quô diceres ipsum de CHRISTO Domino nostro, ejúsque cruce, vaticinatum esse.

XII. Secundò, ut talis esset Christus, qualis conspectus est, id optimè quadrabat cum scopo ipsius adventûs, & Religionis ab eo instituendæ. Sanè, si venisset, ut esset Monarcha terrenus, alio longè cum adparatu prodire debuisset. Sed Regnum ejus *non fuit de hoc mundo*; Joh. XVIII. 36. Venit, ut regnaret in animos, non in corpora. Venit, ut homines avocaret à rebus terrenis, & ad cœlestia erigeret. Venit, ut doceret virtu-

* ARNOB. adv. Gentes, Lib. I. † SENEC. Epist. XIII. ‡, Idem, Epist. LXXIX. ⸸ PLAT. Lib. II. de Repub.

tes difficillimas, patientiam, manſuetudinem, injuriarum tolerantiam, &c. Venit denique, ut nos Deo conciliaret, *peccatúmque aboleret ſacrificio ſui ipſius*; Hebr. IX. 26. Quæ omnia non aliter meliùs, quàm per ſtatum ejus humilem, mortémque probroſam, obtineri potuêre.

XIII. Tertiò, in hac obſcuritate, & crucis ignominia, non uno tamen indicio Chriſti gloria ſeſe prodidit; ſiquidem, & in ejus natalibus, & in tota ejus vita, & in ipſa etiam morte, omnium verò maximè in ejus Reſurrectione, Adſcenſione in cœlum, & Spiritûs ſancti effuſione, illuſtria viſa ſunt Miracula, quibus ipſum Deus ſuo veluti ſigillo obſignavit, ejúſque gloria atque majeſtas abundè patefactæ ſunt.

XIV. Denique id ſemper recordandum eſt, Religionis naturam requirere, ut fides exerceatur. Ut verò poſſet exerceri, debuit eſſe quædam obſcuritas, debuerunt eſſe quædam vela, quæ Chriſti gloriam tegerent; ad illum uſque diem, quô pleniſſimè, & in Angelorum atque Hominum omnium conſpectu, revelabitur.

XV. QUARTA Difficultate non parùm augetur tertia, ſi ad Chriſti *Divinitatem & Incarnationem* adſurgamus: Quæ myſteria ab Incredulis vehementiſſimè exagitantur. „Abſurdum „nempe ipſis videtur, quòd Deus ſit Homo, & Homo Deus; „quòd Deus dicatur natus, paſſus, mortuus, ſepultus, &c.; „Quæ omnia à Dei majeſtate planè abhorrent.

XVI. Verùm reſpondemus, Dogma illud malè ab Incredulis intelligi, pravúmque in ſenſum detorqueri. Nec enim dicimus, propriè loquendo, *Deum eſſe Hominem*, aut *Hominem eſſe Deum*. Nec etiam dicimus, adcuratè loquendo, *Deum natum*, *Deum paſſum*, *Deum mortuum*. Deus ſemper remanſit Deus, ac proinde æternus, impaſſibilis, immutabilis: Et Homo ſemper remanſit Homo, cum omnibus humanæ naturæ proprietatibus. In eo ſanior Theologia ſemper ſibi conſtitit. Quorum verò alia fuit mens, aliæ de hoc myſterio notiones, *Eutychiani* putà & *Theopaſchitæ*, ab Eccleſia meritò damnati ſunt.

XVII. Quid igitur dicimus? Dicimus cum Paulo, *Deum mani-*

manifeſtatum eſſe in carne *; & cum Johanne, *Verbum Divinum factum eſſe carnem* †; & cum Paulo iterùm, *plenitudinem omnem Divinitatis corporaliter in Chriſto habitâſſe* ‡, hoc eſt, in humana Chriſti natura ſeſe Deum patefeciſſe, & cum illo Homine arctiſſima quadam ratione unitum eſſe: Quod profectò, nec impoſſibile, nec Deo indignum, imò nec ab aliis benè multis Dei operibus alienum eſt. Quemadmodum enim in nobis ipſis duæ ſunt Naturæ, toto cœlo diverſæ, ſed actiſſimè tamen conjunctæ, pariter quid impedit quominùs Divinitas cum humana Chriſti natura ſeſe unierit? Adhæc, ſi Deus indeſinenter in Creaturis operetur, ac per illas ſeſe manifeſtet, quidni potuit cum uno Homine arctiori quodam modo uniri, ac per illum ſe patefacere? Si olim Prophetas adflavit, ſi Patriarchas ſub humana ſpecie adiit, ſi in rubo, vel in nube, vel in aliis ſymbolis, ſe conſpiciendum præbuit, ſi præſertim in Sanctuario, deſuper Arca, fuit id quod *Dei præſentia* ††, Deíque *gloria*, κατ' ἐξοχὴν vocabatur; unde & Deus, *is qui ſedet inter Cherubinos* ‡‡ non ſemel dictus; quidni potuit, arctiori longè ac illuſtriori ratione, cum Homine quodam conjungi, per illum operari, ac in illo quaſi habitare? Sanè id, utut mirum atque ſtupendum, Divinæque bonitatis indicium illuſtre, à ratione tamen, aut Dei natura, haudquaquam abhorrebat.

XVIII. Neque verò hac Numinis in carne Chriſti manifeſtatione, Judæos olim vel Ethnicos offendi decuit. Nam Judæis, ut dictum modò eſt, familiares admodum erant, utpote in V. T. frequentiſſimæ, Divinæ adparitiones. Apud Ethicos etiam, de Deorum in terras deſcenſu, eorúmque in terris ἐπιφανείαις καὶ ἐνδημίαις, *adparitionibus* & *commorationibus*, narrationes innumeræ celebrabantur. Unde & inter cauſſas incarnati Verbi, hanc numerat ATHANASIUS, ut ſcilicèt Gentes, quæ Deos corporeos ſibi fingebant, hominéſque pro Diis habebant, Divinitati humana forma indutæ lubentiùs ſe ſubmitterent, ab eáque edocerentur. ‡ *Quia homines*, inquit, *Dei contemplatione*

* 1. Tim. III. 16. † Joh. I. 14. ‡ Coloſ. II. 9. †† שכינה ‡‡ Pſ. LXXX. 2. XCIX. 1. ‡ ATHANAS. *De Incarnatione Verbi Dei*, §. 15. Opp. Tom I. pag. 60. Edit. Benedictin.

ne repudiata, depressisque in terram oculis, in natura & rebus quæ sentiuntur Deum conquirebant, mortalesque homines, nec non dæmones, sibi Deos effingebant, idcircò humanissimus & communis omnium Servator, Dei Verbum (ὁ τοῦ θεοῦ λόγος) sibi corpus accepit, & tanquam homo inter homines versatus est, omniúmque hominum sensus assumpsit, ut qui in rebus corporeis Deum esse putabant, ex his quæ Dominus corporis ministerio agebat, agnoscerent veritatem, & Patrem per ipsum intelligerent. Hæc *Athanasius.* Quam eandem sententiam, nostrâ ætate, magna cum modestia protulit Vir summus, IOH. TILLOTSON, Archiepiscopus Cantuariensis, Serm. IV. *de Divinitate & Incarnatione Christi.*

XIX. Novissimæ Difficultati QUINTA adhæret, eáque omnium gravissima, putà de sanctissimæ *Trinitatis* Mysterio, quod ab Incredulis vividiùs quàm quidquam aliud, impugnatur atque irridetur. „Absurdum quippe & contradictorium esse clamitant, quòd Deus sit simul unus & trinus; quòd tres dentur, quorum unusquisque Deus sit, & tamen sit unus Deus; „quòd unum sit tria, & tria unum.„ Quod quidem suo jam ævo irridebat *Lucianus* †, vel quisquis est auctor *Philopatridis*, qui Liber inter opera Luciani exstat. Roganti enim Ethnico, *Quemnam tibi jurabo?* respondet *Triephon*, is qui Christiani personam gerit, *Deum altè regnantem, magnum, ætherium, atque æternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria.* Ad quæ regerit Ethnicus, *Non intelligo quid dicas, unum tria, tria unum.*

XX. Fatemur nos, gravissimam fore, imò insuperabilem hanc difficultatem, si tale esset Christianum dogma, quale ab Incredulis depingitur. Verùm, ut alia nostra mysteria, ita & hoc S. Trinitatis mysterium, perperàm intelligunt, & odiosè exagitant. Nec enim dicimus, *unum esse Deum*, & esse *tres Deos*; quæ sanè vera esset contradictio. Nec profectò, de Scriptoribus sacris, viris gravibus & sapientibus, ne quid ampliùs dicamus, ita iniquè sentiendum est, ut credantur, ex una parte,

† LUCIANI Operum Tom. II. pag. 770. Edit. variorum, Amst. 1687.

te, Dei unitatem urgere atque prædicare, in eáque caput primarium Diſciplinæ ſuæ collocare, ex altera parte aliquid ei planè adverſum ſtatuere, adeóque ſibi ipſis apertè contradicere.

XXI. Dicimus igitur atque defendimus, *unum eſſe* DEUM, quemadmodum recta Ratio & Scriptura evidenter docent. At verò, eâdem Scripturâ duce, agnoſcimus in Chriſto Domino noſtro, ΘΕΙΟΝ ΤΙ, Divinum Principium, Dei ΛΟΓΟΝ, Dei *Verbum*, *Rationem*, *Sapientiam*, unô verbô, *plenitudinem divinitatis*, quam *in eo corporaliter habitáſſe*, * ab Apoſtolo adfirmatur. Agnoſcimus etiam Divinum Principium, quod in Prophetis & Apoſtolis operabatur, & Fideles omnes dirigit; qui vocatur SPIRITUS SANCTUS. Duo autem illa Principia, & inter ſe, & à DEO PATRE diſtingui, docente Scripturâ, ſcimus; quomodo diſtinguantur, tacente Scripturâ, ignoramus.

XXII. Iterùm dicimus; *Unicus eſt Deus*, unica Divina Eſſentia: Neque ab hoc principio, certiſſimo ac momentoſiſſimo, dimoveri nos unquam patiemur. Sed unus ille idémque Deus, certo modo ſubſiſtens ‡ dicitur Mundum condidiſſe ac adminiſtrare, & hic eſt *Pater*; certo modo ſubſiſtens, dicitur in Chriſto apparuiſſe, hominéſque redemiſſe, & hic eſt *Filius*; certo modo ſubſiſtens, dicitur Prophetas ac Apoſtolos adflâſſe, atque in Fidelibus operari, & hic eſt *Spiritus ſanctus*. Sic diſtinguimus, præeunte formulâ Baptiſmi, aliiſque Scripturæ locis: quanquam neſcimus, tacente Scripturâ, nihilque de his docente Ratione, in quo præcisè diſtinctio illa ſita ſit.

XXIII. Diſtinctionem illam ut notent Theologi, dicunt, Græci quidem τρεῖς ὑποστάσεις, Latini verò *tres Perſonas*, in Eſſentia Divina eſſe. Sed obſervant ſimul, nihil ſimile Perſonis creatis, quæ ſunt totidem diverſa Entia, concipiendum eſſe. Imò & addunt, rei ipſius, quæ vocibus illis deſignatur, ſe nonniſi imperfectam admodùm ac inadæquatam notionem habere. Sic AUGUSTINUS: † *Dicimus* unam eſſentiam, *vel* ſubſtantiam, tres.

* Coloſſ. II. 9. ‡ *Modi ſubſiſtendi*, τρόποι ὑπάρξεως, Perſonæ Divinæ à Theologis adpellantur. † AUGUSTIN. *de Trinitate* Lib. V. cap. 9. Opp. Tom. VIII. Edit. Benedictin. Antverp. col. 524.

tres *autem* personas; *quemadmodum multi Latini ista tractantes & digni auctoritate dixerunt, cùm alium modum aptiorem non invenirent, quò enuntiarent verbis, quod sine verbis intelligebant.* Et mox. *Tamen cùm quæritur*, quid tres? *magnâ prorsùs inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum est tamen*, tres personæ, *non ut illud diceretur, sed ne taceretur.*

XXIV. Verùm enimverò, quanquam nos latet distinctionis illius natura, non ideò tamen impossibilis, nec contradictoria, existimanda est. Etenim, si in Mente nostra, quæ simplicissima est, variæ tamen facultates distingui possunt, quales sunt, facultas intelligendi, facultas judicandi, facultas eligendi, facultas movendi corporis, &c. Si, in una eadémque Extensione, tres dimensiones, longitudo, latitudo, & profunditas; Imò, si, in Ipsa Dei natura, plurimæ Perfectiones, plurima Adtributa, distinguuntur; quidni, in eadem Divina natura, alia quædam distinctio, nobis ignota, existere queat? Nec sanè mirum est, quemadmodum suprà monuimus, in DEO, Ente infinito atque incomprehensibili, multa esse quæ nos fugiant.

XXV. Porrò illud est notatu dignissimum, nihil Christo aut Apostolis, adversùs Sanctissimæ Trinitatis doctrinam, neque à Judæis, neque ab Ethnicis, objectum esse; Saltem nihil tale in N. T. Libris adparet. Manifesto indicio, id quod ea de re Christus docuit, & docuerunt Apostoli, nihil absurdi aut contradictorii complecti visum esse. Ac sanè, quantùm ad *Judæos* adtinet, multa in sacris eorum Libris mentio est, non ipsius modò Numinis, rerum omnium Conditoris atque Rectoris, sed & *Verbi Dei*, ejúsque *Spiritûs*. Dicitur Deus hoc vel illud *dixisse*, & rem illicò adparuisse. Dicuntur *Cœli Verbo Jehovæ facti, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum*; Ps. XXXIII. 6. Dicitur Divina Sapientia in Deo fuisse, *in initio viarum suarum, cùm aptaret Cœlos*, &c. Proverb. VIII. 22. & seq. Quinimò & *Philo*, Judæus Scriptor, qui circa ipsa Apostolorum tempora floruit, περὶ τὸ Λόγου, de *Verbo Divino*, aut *Divina Ratione*, haud absimilia prædicat iis quæ N. T. Scriptores habent; putà, quòd

sit

sit *Dei Filius*, ejus *Primogenitus*, ejus *Imago*, *summus Pontifex*, *Mediator inter Deum & homines*; * &c. Sed neque ignotum est, *Platonem* ipsum, philosophósque Platonicos, tria Principia in Divinis statuisse, nempe τὸ ὌΝ, aut τὸ Ἀγαθὸν, *Ens* aut *Bonum* κατ' ἐξοχὴν; τὸν ΝΟΥΝ, aut τὸν ΛΟΓΟΝ, *Mentem* aut *Rationem*, & τὸν ΨΥΧΗΝ, *Animam*, sive *Spiritum*. Non dicimus, easdem Platoni aut Platonicis, uti nec Philoni Judæo, quæ nobis Christianis, notiones fuisse: Sed hæc satis tamen supérque sunt, ut pateat, Doctrinam Christianam, de *tribus Divinis Principiis*, neque Judæis, neque Ethnicis, offendiculo esse debuisse, neque à ratione ita abhorrere, ut contendunt Increduli.

XXVI. Cæterùm fatemur, materiam hanc, nescio quot distinctionibus atque argutiis, à Scholasticis, cùm veteribus, tum recentioribus, non tam explanatam, quàm involutam magis ac magis, atque obscuratam esse: Verùm incommoda, quibus illi sese implicant, ei qui Doctrinæ in sacris Literis traditæ unicè adhæret, neutiquam metuenda sunt. Nos verò hîc, non Scholarum, sed Christi Doctrinam defendendam nobis sumimus.

XXVII. Succedit SEXTA Difficultas, antecedentibus neutiquam inferior, de Christi nempe *Sacrificio* & *Satisfactione*: A qua sententia plurimùm etiam abhorrent Increduli. „Etenim, „inquiunt, quinam hic est agendi modus, Deum humano ge„neri iratum, dilectissimum suum Filium, qui pro peccatoribus „satisfaciat, morti addicere? An patiebatur justitia, innocen„tem pro nocentibus plecti? Et si Deus voluit hominum pec„cata condonare, nonne gratis, & absque ulla satisfactione, „saltem tali satisfactione, ea ipsis condonare poterat?

XXVIII. Bz. Verùm, utut stupenda primâ fronte adpareat, hæc de Christi *Sacrificio* & *Satisfactione* Doctrina, tamen, si adtentè expendatur, rectáque illius notio habeatur, patebit,

* Loca PHILONIS in multis ejus Libris passim occurrunt; putà Lib. de *Opificio Mundi*, Lib. de *Agricultura*, Lib. de *Abrahamo*, Lib. de *Somniis*, Lib. *quis rerum divinarum sit hæres*, aliisque.

eam Dei Virtutibus nullatenùs indignam esse, imò contrà Dei Virtutes, misericordiam, sanctitatem, justitiam, sapientiam, non parùm illustrare. Quid enim hic agit Deus? Scilicèt, humani generis misertus, Filium suum Unigenitum in terras mittit, qui credentes, vitámque in melius mutantes, ab exitio liberet, & æternæ Vitæ compotes efficiat. Hic Filius, per totam vitam, perfectissimam Patri obedientiam præstat. Regni Cœlorum mysteria pandit. Divinam quandam vivendi rationem docet; suáque illa documenta proprio exemplo confirmat. Unô verbô, nihil prætermittit, quô Homines peccatis ereptos, & ad saniorem mentem revocatos, in gratiam cum Deo redire faciat. Tandémque, ut eximium illud Salutis hominum opus perficiat, cùm nefariis Adversariorum suorum consiliis ad mortem raperetur, Deúsque id permittere, pro Sapientiæ suæ rationibus, constituisset, Ipse id intelligens haudquaquam renuit, haudquaquam reluctatur; contrà, paternæ voluntati humillimè sese submittit; séque ipsum, suámque vitam, victimæ piacularis in morem, pro peccatoribus Deo Patri offert. Quasi diceret: *Si irascaris, ô* PATER, *in me iram tuam effunde. Si violatæ Legis majestas, tuæque jura Sanctitatis atque Justitiæ, sanguinis effusionem postulent, en sanguinem meum, quem lubentissimè pro salute hominum effundo. Si tibi sim charus, ô* PATER, *si tibi obtempero, si me diligis, si vitæ meæ obsequium, si mortis meæ dolores, aliquid apud Te valent, ignosce, ignosce Fidelibus, vitámque in melius mutantibus; meámque hanc passionem, lubentissimè pro ipsis susceptam, sacrificii loco accipe.* His igitur placatur DEUS; Credentes ac pœnitentes in gratiam recipit; Hácque ratione, tum ejus Misericordia in peccatis condonandis, tum ejus Sanctitas, Justitia, Legúmque majestas, in aperto collocantur.

XXIX. Et hæc quidem mortis Christi consideratio, ut pulcherrima est per sese, pietatisque in Deum, & caritatis in homines plenissima, id præterea commodi habuit, quòd ad receptas Judæorum atque Ethnicorum de Sacrificiis notiones quodammodo accederet, sícque ipsis, ab erroribus suis revocandis, &

& ad Chriſtianiſmum adducendis, aptiſſima eſſet. Etenim hæc erat univerſalis, cùm Judæorum, tum Ethnicorum, jam inde ab Orbis initio, ſententia, (unde proceſſerit, jam non quærimus) Victimarum ſanguine ablui peccata, pœnáſque Peccatori debitas in Victimarum caput transferri. Unde Apoſtolus, *ſine ſanguinis effuſione non fieri peccatorum remiſſionem*, expreſsè docet, Hebr. IX. 22. Cùm verò intelligerent Gentes, quò melius ac præſtantius Deo offerretur, eò faciliùs impetrari veniam poſſe, ideò à pecudum mactatione ad Victimas humanas, apud Gentes pleraſque, ventum eſt. Quinimò & erant, magnis in periculis, Populorúmque calamitatibus, qui ſe pro publica ſalute devoverent, ut *Deciorum* aliorúmque exemplis conſtat. Neque inſolita apud Judæos teſtandi amoris formula, אני כפרתך, *Ero*, vel *ſim tua expiatio.* Dictúmque *Philoni* †, ὅτι πᾶς σοφὸς λύτρον ἐστι τῷ φαύλῳ, *quòd omnis ſapiens ſtulti redemptio eſt.* Quamobrem, ut craſſis ejuſmodi notionibus, ſpeciatim verò barbaris humanarum Victimarum mactationibus, efficaciſſimè, ac per totum Orbem, finem imponeret Deus, ei viſum eſt, dilectiſſimum ſuum Filium, à nefariis hominibus iniquiſſimè interemptum, unicæ, perfectiſſimæ, atque in perpetuum valituræ, Victimæ loco ſtatuere *; cujus *ſanguine redemptionem* haberemus, putà *remiſſionem peccatorum*; Eph. I. 7.; qui eſſet *propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantùm, ſed & pro peccatis totius mundi*, 1. Joh. II. 2. Quem quidem finem Sacrificii Chriſti, eximiè non uno loco urget Apoſtolus, in *Epiſtola ad Hebræos*, Cap. VII. VIII. IX. X.

XXX. Atque hinc ſolvi facilè poterit, quod objiciunt Increduli, *plecti Innocentem pro nocentibus æquum non eſſe.* Dici id quidem cum ratione poſſet, ſi, vel Innocens nollet, vel propriæ vitæ dominus non eſſet, vel Societas aliquid inde detrimenti acciperet, vel Innocens ira à pœna abſorberetur, ut

† PHILO, Lib. *de Sacrif. Abelis & Caïni.*

* Hanc Sacrificii Chriſti notionem pluribus confirmat atque illuſtrat Vir ſummus, JOH. TILLOTSON, Archiep. Cantuar. Serm. *de Sacrificio & Satisfactione Chriſti.*

nullam liberationem, mercedem nullam poſtmodùm acciperet. Verùm iſtorum nullum hic occurrit. Nam 1. Filius Dei ultrò ac ſponte ſeſe Patri offert; Itaque nulla ipſi hac in parte fit injuria. 2. Filius Dei fuit vitæ ſuæ dominus: Jus habuit eam ponendi, & eam denuò accipiendi, prout libuit. 3. Tantùm abeſt ut id noceret Societati, ut contrà ſalus Humani Generis ex hoc facto emerſerit. 4. Denique à pœna haudquaquam abſorbetur; Contrà, clarior inde exſurgit; Nec modò immortalitatem, ſed & ſummum Orbis dominium, in obedientiæ & paſſionum mercedem, obtinet. Quibus & hoc quoque adjungendum, veros mortis Chriſti artifices, iniquiſſimos & crudeliſſimos homines fuiſſe: Quorum exſecrandum facinus, ſapientiſſimo Dei conſilio, atque admiranda Chriſti Domini noſtri caritate, ad Salutem noſtram verſum eſt.

XXXI. Neque verò eſt cur quiſpiam quærat; *Annon potuiſſet Deus, aliâ quâdam ratione*, v. g. *ſolo nutu, ſolâ clementiâ, hominibus peccata condonare, eóſque ad ſalutem perducere?* Reſpondemus, quid poſſit Deus, quid non poſſit, quid debeat, quid non debeat, definire noſtrum non eſſe, nec ſine magna temeritate à miſeris homuncionibus tentari poſſe. Demus, potuiſſe Deum, pro infinita ſua ſapientia, ſupremóque ſuo imperio, alias humanæ Salutis vias inveſtigare atque adhibere: Certè ejus viæ, quam Deus elegit, tanta ſunt emolumenta, tanta compendia, ut quid melius atque ſalubrius deſignari potuerit, haud facilè pervidere liceat. In ea, Divinarum Legum Majeſtati, ſeu, quod idem eſt, DEO ipſi, SUMMO RERUM ARBITRO, quod ſuum eſt tribuitur. In ea, Juſtitia Dei cum ejuſdem Miſericordia, amiciſſimo ſeſe, ut ita dicam, oſculo excipiunt. In ea, Prophetiæ implentur; Sacrificiis finis imponitur. In ea, CHRISTUS Dominus noſter inſignia pietatis in Deum, caritatis in homines, patientiæ, conſtantiæ, & quarum non virtutum? exempla præbet. In ea, arctiſſimis, cum benigniſſimo illo Servatore, mutui amoris, gratique animi vinculis adſtringimur; ſicque ad implenda ejus Præcepta, utut dura, utut difficilia, potentiſſimè impellimur.

Hæc

Hæc nonnisi leviter tangimus: Sed ea, divinum prorsùs in modum, CHRISTUS ipse, ejúsque Apostoli, sacris in Literis passim extollunt.

FINIS.

Digitized by Google

DISSERTATIO XIII.

Quæ est APOLOGETICA III.

PRO

VERITATE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

Adversùs Incredulorum Difficultates.

Habita est disputatio, respondente PHILIPPO ARCHIMBAUD *Genevensi.*

THESIS PRIMA.

UT Christianæ Religionis Placita, ita & ejusdem LEGES, ab Adversariorum Difficultatibus vindicandæ sunt. Verum quidem est, tantam esse præstantiam, tantam utilitatem, Christianorum Præceptorum, etiam ad hanc vitam quod adtinet, ut ne ipsi quidem Christiani nominis hostes contradicere valeant. Certè AMMIANUS MARCELLINUS, Historicus Ethnicus, fatetur,

tetur, Chriſtianam Religionem † *nihil niſi juſtum & lene ſuadere.* Et notum eſt, ‡ ALEXANDRUM SEVERUM Imperatorem, nec non & ipſum JULIANUM Apoſtatam *, Chriſtianorum inſtituta Ethnicis ſuis in exemplum propoſuiſſe, quaſi non aliis melioribus regulis informari mores potuerint.

II. Sunt tamen quædam è Chriſti Præceptis, quæ ab humanæ naturæ conſtitutione aliena, adeóque præſtitu impoſſibilia videantur: Qualia ſunt Præcepta, 1. de *condonandis injuriis, & amore Inimicorum*; 2. de *carne ſubigenda, eruendo oculo, abſcindenda manu, nuntio ſibi ipſi mittendo*; 3. *de Cruce ferenda*: Quæ quidem adtentiùs expendi, eorúmque defenſionem inſtitui, neceſſe eſt.

III. DICUNT igitur „Præcepta hæc, de *condonandis injuriis*, & *diligendis Inimicis*, naturæ noſtræ conſtitutioni contraria eſſe. Nam Natura nos impellit ad ea averſanda atque odio habenda, quæ felicitati noſtræ adverſantur. Quamobrem, cùm ſunt, qui nos injuriis laceſſant, qui, vel vitæ noſtræ, vel bonis, vel quieti, vel famæ, inſidientur, utique videtur naturalis motus, & ex noſtri amore fluens, eos averſari atque odiſſe. Atque id pertendunt confirmari, ex motibus illis mechanicis atque involuntariis, qui, acceptâ injuriâ, in nobis excitantur. Etenim ſtatim, & ante omnem deliberationem, ferver ſanguis, commoventur ſpiritus animales, imo ex pectore erumpunt querelæ, ipſæque manus & brachia, ad nos tutandos aut vindicandos, ſponte quaſi ſeſe diſponunt. Denique, quòd hæc Lex, de vindicta omittenda, & diligendis Inimicis, naturæ contraria ſit, ex eo dicunt manifeſtum eſſe, quòd eam Ethnici ignoraverint, apud quos ſtudium vindictæ, atque odium Inimicorum, non modò pro licitis, ſed & pro laudandis habita ſunt. Sic CICERO, Lib. de Offic. I. inter primas naturæ Leges hanc ponit, ‡ *Nemini nocere, niſi laceſſitum*

† AMMIAN. MARCELLIN. Lib. II. cap. 11. ‡ Vid. LAMPRID. in Alexandro Severo * Vid. JULIANI Imp. Epiſtolas, præſertim Epiſt. ad *Arſacium* Galatiæ Pontificem. ‡ CICER. de *Officiis*, Lib. I. cap. 7.

„*ſitum injuriâ*: quod ſupponit, eos qui laceſſiti ſunt, adgreſſo„ri nocere poſſe. Pariter SENECA, * *Hoc juſtitiæ convenit,* „*ſuum cuique tribuere, beneficio gratiam, injuriæ talionem, aut* „*certè malam gratiam.* Unde & Cicero, *ad Atticum* ſcribens; „*Odi hominem, & odero, utinam ulciſci poſſem.* Et aliô locô; „*Sic ulciſcar facinora ſingula, quemadmodum à quibuſque ſum* „*provocatus.* Neque ignotum illud Satyrici, †

At vindicta bonum vita jucundius ipſa.

„Quibus ſimilia paſſim occurrunt apud Ethnicos Scriptores.

VI. R. Verum negamus, Præcepta hæc, de *condonandis injuriis*, & *diligendis Inimicis*, utut dura ac difficilia primâ fronte videantur, humanæ naturæ contraria eſſe. Adverſantur quidem turbidis quibuſdam ac inordinatis adfectibus, iræ, ſuperbiæ, immodico noſtrî ipſorum amori; ſed naturæ ipſi, quæ nihil niſi manſuetudinem & dilectionem ſpirat, haudquaquam adverſantur. Nam vult quidem Natura, ut nobis caveamus, & ea quæ nocent pro virili propulſemus, ſed non vult propterea ut quemquam odio habeamus, & mero ulciſcendi animo lædamus. Cùm enim eadem ſit nobis & Inimicis noſtris natura, cùm naturæ lege Fratres ſimus, eodem Patre, Deo nempe, geniti, & ad unà vivendum vocati, certè non patitur Natura ipſa, ut nos invicem odio proſequamur: Imò &, ſi alii iniquè nobiſcum agunt, non ideò tamen abrumpitur naturalis illa cognatio, quæ inter nos intercedit, neque proinde naturalis ad nos mutuò juvandos ac diligendos obligatio.

V. Neque verò contrarium adparet ex mechanicis illis motibus, qui, acceptâ injuriâ, in nobis excitantur. Etenim motus illi, ſapienti quidem conſilio à natura nobis inditi ſunt, ut noſtræ ipſorum ſaluti invigilemus, & imminentia pericula propulſemus; ſed tamen intra limites *inculpatæ tutelæ* coërcendi ſunt: Planè ut cæteri omnes naturales adfectus, fames, ſitis, aliique, qui ſi intra legitimos fines contineantur, vitæ noſtræ ſuſtentandæ inſerviunt: At ſi ulteriùs perducantur, tunc deſinunt naturam

* SENEC. Epiſt. LXXXI. † JUVENAL. Sat. XIII. ℣. 180.

ram ſequi, & ad noſtrum potiùs detrimentum quàm adjumentum faciunt. Eodem modo, impetus ille naturalis, ſanguinis effervescentia, ſpirituum commotio, quæ acceptâ injuriâ nobis contingunt, ſi ad nos defendendos ac tutandos reſtringantur, profectò naturalia ſunt, neque quidquam mali habent: At ſi perducantur ad odium uſque Proximi, & vindictam de eo ſumendam, tunc deſinunt naturæ dictamen ſequi, neque minùs ab æquitate & ſapientia, quàm ab Evangelii legibus, abhorrent.

VI. Atque hinc factum, ut Leges Civiles, non minùs quàm Leges Evangelicæ, vindictam privatam prohibuerint; utpote quæ, ſi uniuſcujuſque arbitrio permitteretur, æquitatis limites haudduhiè excederet, omnémque Societatis ordinem perturbaret. Nec enim quemquam in propria cauſſa Judicem ſedere decet; Et unuſquiſque propriis in rebus ita cæcutit, ſibíque ita impensè favet, ut immodicam, pro vel leviſſima offenſione, vindictam eſſet ſumpturus. Quam in rem † LUCRETIUS, Lib. V.

Acriùs ex ira quòd enim ſe quiſque parabat
Ulciſci, quàm nunc conceſſum 'ſt Legibus æquis,
Hanc ob rem 'ſt Homines pertæſum vi colere ævum.

Quod & * HONORIUS ac THEODOSIUS Impp. teſtantur; *Etiamſi ſit aliquis ſceleribus implicitus, idcircò tamen judiciorum vigor, juriſque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem.* Quemadmodum verò Magiſtratibus demandata eſt ultio, ita &, deficiente Magiſtratu, ſummo rerum Arbitro, Numini videlicèt, relinquenda eſt; juxta illud Deut. XXXII. *Ad me pertinet vindicta, & ego reddam.* Quamobrem, qui privatam ultionem exſequitur, aliena jura invadit, ſéque in loco Magiſtratuum, imò & DEI ipſius collocat; proindéque Societatis omnis, cùm civilis, tum religioſæ, ordinem evertit.

VII. Quid, quòd, vigente Ultionis ſtudio, atque odio Inimi-

S ſ

† LUCRET. de rerum Natura, Lib. V. ℣. 1147. * CODICIS Lib. I. Tit. IX. Leg. XIV.

micorum, funeſtiſſimæ noxarum ac injuriarum ſucceſſioni porta aperitur. Nam ubi animus vindictæ permittitur, & injuria injuriæ opponitur, quis non videt inimicitias æternas fieri? Quæ quidem eundo creſcunt, & leviora mala gravioribus cumulant, quemadmodum experientia plus ſatis demonſtrat. Sic, quis neſcit, indicium quoddam animi averſi mutuam gignere averſationem; averſationem ad convitium ducere; convitium realem aliquam injuriam creare; injuriam verò minorem, majores atque graviores in infinitum poſt ſe trahere? Quæ omnia quàm damnoſa ſint, cùm privatis, tum ſocietati, nemo eſt qui non videat. Rectè id obſervat MAXIMUS TYRIUS, Ethnicus Philoſophus, † Diſſ. II. *Utrùm referenda ſit injuria.* Poſtquàm enim docuit, eum *qui malum reddit, non minùs in culpa eſſe, quàm qui primus malum intulit*, addit; *Et quis erit, obſecro, finis mali? Si enim perpetuò qui injuria affectus eſt, malum malo compenſat, neceſſe eſt ab uno ad aliud tranſire, & quaſi tranſilire malum; atque ita injuria injuriam excipiet.* Et mox; *Vide præterea, per Jovem, quid facias, qui jus conſtituis ex injuriis. Quouſque, quæſo, ſe diffundet hoc malum? Ubi deſinet? Non vides quid facias? Perennis improbitatis fontem excitas; legemque fers, quæ ſit univerſo Terrarum Orbi malorum cauſſa.* Quantò rectiùs, Lege Evangelica, de condonandis injuriis, & amore Inimicorum, pericula illa prævertuntur, & iniquiſſimæ illæ ſucceſſiones injuriarum atque ultionum, à prima ſtatim origine extinguuntur!

VIII. Rursùs, vel ſi nihil aliud eſſet, certè propriæ noſtræ quietis & tranquillitatis cura, patientiam, tolerantiam, manſuetudinem, amorem, potiùs quàm ultionem, ſuaderet. Etenim, nihil eſt magis turbidum, nihil minùs ſui compos, quàm animus ira efferatus, & ultionem ſpirans. Contrà, qui injurias patienter tolerat, nihil eum turbare poteſt. Ejus ſerenitas ſupra omnes convitiorum atque injuriarum procellas poſita eſt.

IX. Ad hæc, nemo neget, in ira cohibenda, in vindicta com-

† MAXIM. TYR. Diſſ. II. p. 25. Edit. Oxon. an. 1677.

compeſcenda, aliquid præſtantiſſimum & nobiliſſimum eſſe. Illud eſt, *non à malo vinci, ſed contrà malum bono ſuperare*, ut ait Apoſtolus, Rom. XII. 21. Illud eſt, de adverſariis modo ſapientiſſimo, & rationi convenientiſſimo, triumphare. Quinimò, illud eſt, ſe ipſum vincere; Quæ victoria nobiliſſima & glorioſiſſima ſemper habita eſt; ſiquidem

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.

X. Sed inſurgunt non pauci, & dicunt, „condonatis injuriis, & bonô vice mali reddirô, novis injuriis locum præberi; ſiquidem videntes Adverſarii noſtri, nihil ſe à nobis metuendum habere, inde animos hauddubiè ſument, noviſque nos contumeliis adficient. Quibus & hoc quoque adjungunt, poſitis Chriſtianis illis principiis, jus omne Belli gerendi auferri, adeóque nullum Regnum, nullam Rempubliquam defendi poſſe.

XI. Verùm ad eam Difficultatem, non unum eſt quod reponamus. *Primò* quidem, non vetat Chriſtus prudentiam adhibere, ut ab Adverſariorum injuriis nobis caveamus: Non vetat, juſtis ac neceſſariis defenſionibus uti, ad mala, cùm à proprio noſtro capite, tum ab integris Societatibus propulſanda. Certè, cùm vitam nobis indulſerit Deus, ſitque humanarum Societatum auctor atque fautor, nos, & vitæ noſtræ, & Societatum conſervationi proſpicere haudquaquam improbat, neque id à Chriſtiana Religione ullatenùs prohibetur.

XII. *Secundò*, tum in privata defenſione, tum in Bellis juſtis ac neceſſariis (nec enim injuſta hic defendimus) Præcepta Chriſtiana, de *ferendis injuriis*, & *diligendis Inimicis*, non una ratione ſervari poſſunt. V. g. ſi tolerabiles injuriæ ferantur ac diſſimulentur, nec niſi cæteris omnibus inceſſum tentatis ad arma deveniatur; ſi, in nobis defendendis, gerendóque Bello, id unum in votis ſit, ut firma Pax haberi queat; ſi miſereamur iniquitatis & ferociæ hoſtium noſtrorum, qui hac agendi ratione Deum & homines contra ſe excitant; ſi, ad eos leniendos, & ad pacem adducendos, nihil omittamus; ſi precibus apud

Deum contendamus, ut ſaniora conſilia iis inſtillet; ſi denique, confectô Bellô, inimicitiarum omnium obliviſcamur, & ad ſinceram amicitiam redeamus. His aliiſque, medio in Bello, Præcepta Chriſtiana non malè obſervabimus, ſalvâ interim, noſtrî ipſorum, totiúſque Societatis, defenſione, quam à Deo improbari atque prohiberi, haudquaquam exiſtimandum eſt.

XIII. *Tertiò*, niſi Inimici noſtri ferarum naturam planè induerint, imò & ſaxis duriores ſint, certè non poteſt non patientia noſtra, & manſuetudo, & ſtudium iis benefaciendi, ac pro iis orandi, non poteſt non, inquam, Chriſtiana illa, dicam an Heroïca diſpoſitio, eorum animum emollire, armáque ex eorum manibus excutere. Talis erat ſententia SENECÆ, multis in locis. † *Vincit malos*, inquit, *pertinax bonitas: Nec quiſquam tam duri infeſtíque adverſus diligenda animi eſt, ut etiam vi tractus bonos non amet.* Et alibi; * *Iraſcitur aliquis? tu contrà beneficiis provoca. Cadit ſtatim ſimultas, ab altera parte deſerta; Niſi par non pugnat*; (Alii legunt, *niſi pariter non pugnant.*) *Si utrinque concurritur, ille eſt melior, qui prior pedem retulit; victus eſt, qui vicit. Percuſſit te? recede. Referiendo enim, & occaſionem ſæpiùs feriendi dabis, & excuſationem: Non poterit revelli cùm voles.* Hæc SENECA. Atque huc refertur (ſaltem juxta celeberrimos quoſdam Interpretes) locus ille in ſpeciem durus, & à caritate alienus; † *Si eſurierit Inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitiat, da illi potum: Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.* Creditur ſimilitudo ducta à metallis, quæ igne ſuppoſitô, imò & ſuperimpoſitô, liquefiunt; quaſi dicas, *Beneficiis tuis animum ejus emollies, ejúſque odium in amorem convertes.* Sic HAMMONDUS ‡ locum illum intelligit. Sed neque ab hóc fine abludit alia ejuſdem loci interpretatio, ingenioſa oppidò, & acumine Auctoris digniſſima; juxta quam, *carbones ignis ſuper caput alicujus congerere*, eſt periphraſis Vindictæ; quaſi dixeris, eum qui Inimico benefacit, *hoc demùm modo injurias ab eo acceptas, optimè, graviſſimè, & efficaciſſimè ul-*

† SENEC de Benef. Lib. VII. cap. 31. * Idem de Ira, Lib. II. cap. 34. † Prov. XXV. 20, 21. coll. cum Rom. XII, 20. ‡ HAMMOND. Annot. in hunc locum.

ulciſci; cùm ob alias rationes, tum in primis quòd ille qui hoc modo habetur, *acutos in conſcientia morſus & cruciatus ſentiat, ſed cruciatus ſalutares, & ad hominis emendationem tendentes, dolens, ſe huc uſque iniquum fuiſſe & ingratum, in hominem injuria indigniſſimum, & quem amore ſuo dignum eſſe non poteſt non agnoſcere & fateri.* Sic † Clariſſimus WERENFELSIUS.

XIV. *Quartò*, ſi alius eventus fuerit, eáque ſit inimicorum noſtrorum obduratio & pervicacia, ut lenitate noſtra, & beneficiis à nobis acceptis, non modò non emolliantur, ſed contrà ad nobis nocendum magis magiſque excitentur, (nec enim deſunt benè multi hujus indolis homines) non ideò tamen obſequii Chriſti Legibus præſtiti, bonique pro malo redditi, pœnitere nos debet; ſiquidem damna illa atque pericula, tum ipsâ mentis tranquillitate, tum Dei adprobatione ac patrociniô, tum denique futura mercede, abundè compenſabuntur.

XV. *Poſtremò*, & hoc quoque adjungendum, quòd, cùm pauci utplurimùm ſint, etiam inter Chriſtianos, qui his Chriſti præceptis pareant, nihil cauſſæ eſt, cur Improbi, ad malè factorum continuationem, & priores injurias novis cumulandas, hac ratione excitentur; cùm ſemper metuendum habeant, ne patientia eorum quos malè habent tandem vincatur, plúſque valeat apud ipſos ira quàm pietas.

XVI. Sed inſtant iterùm, ii præſertim qui Militiæ nomen dederunt, vel in Aulis Principum verſantur; dicúntque, „ea „Præcepta, de quibus jam agimus, ſibi, peculiares ob rationes, „præſtitu impoſſibilia eſſe: Legem quippe inter ipſos eſſe, non „quidem ſcripto conſignatam, ſed receptiſſimam tamen, & à „qua recedere haudquaquam licet, Injurias ſibi illatas vividiſſi„mè ulciſcendas eſſe; alapam v. g., vel mendacii exprobratio„nem, vel aliud ſimile convitium, non aliter quàm immiſſô „in Adverſarii præcordia gladiô elui poſſe; Quocirca, ob has „ſimiléſve cauſſas, vel ſubitò ac ſine mora evaginandum gla„dium, vel Adverſarium ad ſingulare certamen, dictâ hotâ, „dictôque locô, vocandum eſſe; nî fecerint, aut vocanti pa-

† WERENFELS. Cogitat. ad loca N. T. Operum p. 331. 332.

„ruerint, ſe infamiam nullo unquam piaculo diluendam con„tracturos; nullum honorem, nullam dignitatem adepturos; „imò ne auſuros quidem Viris generoſis ſe immiſcere, atque „inter illos caput adtollere.

XVII. Fatemur nos, unam hanc eſſe é graviſſimis Vitæ Chriſtianæ difficultatibus; nec mediocri pietate ac virtute, addimus etiam, prudentiâ atque ſolertiâ, ad eam ſuperandam opus eſſe. Verumtamen, multùm abeſſe exiſtimamus, quominùs id, inter impoſſibilia, adeóque iniqua & abſurda mandata, numerandum ſit. In hac quippe, ut aliis omnibus vitæ noſtræ tentationibus, ſuccurrere iſta poſſunt ac debent; „Deo potiùs „quàm hominibus obſequendum eſſe; Officiis fungendum, quan„tacumque ab hominibus incommoda metuenda ſint; Pietatis „regulas ſequendas, inter laudes & vituperia, inter gloriam & „ignominiam; Plúſque valere apud nos debere Supremi rerum „Arbitri Leges, pœnáſque & præmia ab eo poſita, quàm in„ſanas illas conſuetudines, quæ hominum vitio ac furore intro„ductæ ſunt.

XVIII. Rursùs, tanta eſt furioſi illius moris pernicies, tantos adtulit nobiliſſimis Familiis luctus, tanta Regnis & Rebuſpublicis creavit damna, ut ſapientiſſimi Monarchæ atque Magiſtratus ſeveriſſimis edictis eum coërcere ſtuduerint, imò &, cùm aliter eradicari malum non poſſet, graviſſimis ſuppliciis in delinquentes animadverterint. Quæ quidem ſeveritas, non modò non improbata, ſed é contrario magna in laude poſita eſt. Certè inter glorioſiſſima LUDOVICI XIV. nuperi Gallorum Regis facinora, nemo neſcit hoc unum é præcipuis eſſe, quòd, Edictorum ſeveritate, ſingulariùm certaminum furorem compreſſerit: Quod exemplum, cætera Regna & Reſpublicæ benè moratæ ſtudiosè imitantur. Quòd ſi igitur eo nomine commendentur humanæ Leges, quis Chriſtianæ Religioni vitio vertat, quòd, petitis é conſcientia auxiliis, Humani generis conſervationi hac in parte etiam conſulat; eximiiſque caritatis, manſuetudinis, patientiæ, præceptis, Homines à veſano illo furore, à funeſtiſſima illa laniena dehortetur.

XIX.

XIX. Quòd ſi verò difficilis ſit, Viris præſertim Aulicis, vel caſtra ſequentibus, horum Præceptorum obſervatio, eorúmque cum commodis terrenis conciliatio, non ideò tamen impoſſibilis exiſtimanda eſt, ſi modò ſequentes Regulæ prudenter ſedulóque adhibeantur: Putà, ſi in cæteris omnibus caſibus, vera animi magnitudo, vera fortitudo demonſtretur; ſi, in toto vitæ regimine, ſincera virtus ac probitas eluceat; ſi fugiatur hominum iracundorum & rixoſorum conſortium; ſi ab ira, temulentia, jurgiis, convitiis, ſedulò abſtineatur; ſi, exasperatis animis, atque imminente rixæ periculo, prudenter ac maturè recedatur; &c. His aliiſque ejuſmodi Regulis, Viri fortiſſimi, non ſemel, abſque ulla honoris jactura, à furioſis illis actibus ſe immunes præſtiterunt, imò ad certandum vocati conditionem reſpuerunt. Cujus quidem rei exemplum præbuit Vir nobiliſſimus ac præſtantiſſimus, nec minùs pietate & virtute quàm bellica fortitudine inſignis, MARCHIO DE RUVIGNI, poſtmodum in Anglia COMITIS GALLIVENSIS nomine notus, qui ab alio nobili Viro ad ſingulare certamen vocatus, non dubitavit reſpondere, *ſe vitam & gladium meliores ad uſus reſervare*: Quo facto ne minimum quidem famæ detrimentum paſſus eſt.

XX. Cæterùm, ad id quod objiciunt, (quemadmodum vidimus in Theſi III.) Præcepta hæc, de diligendis Inimicis, & condonandis injuriis, Ethnicis fuiſſe ignota; *primò*, etiamſi hoc eſſet, non inde tamen ſequeretur, ea Naturæ ac Rationi contraria eſſe. Quis enim neſcit, multa Officia, & Officia quidem momentoſiſſima, ab Ethnicis, etiam Sapientiſſimis, vel nullatenùs, vel parcè admodum cognita fuiſſe, defectu nempe adtentionis, præjudicatis opinionibus, pravis adfectibus, corruptis moribus, quibus effectum ut Naturæ vox perſæpe non ſit audita, eáque pro licitis habita ſint, quæ à Naturæ præſcripto quammaximè abhorrebant. Verum *ſecundò*, negamus Præcepta hæc ab Ethnicis planè ignorata eſſe. Etenim occurrunt pulcherrima hanc in rem dicta, in libris Ethnicorum; quemamodum patet, vel ex locis illis SENECÆ, & MAXIMI TYRII, quæ

quæ ſuperiùs protulimus; Quibus & alia quædam hic adjungemus, ut pateat mira Luminis Naturalis cum Chriſtiana Religione concordia. Certè SOCRATES negabat oportere τὸν ἀδικήσαντα ἀντᾰδικεῖν, *eum qui injuriam accepit, injuriam reddere.* Et laudati ſunt apud Ethnicos, qui acceptam injuriam non modò non ulti ſunt, ſed & bonum pro malo rependerunt. V. g. de LYCURGO narrant, * „quòd, cùm in ejus poteſtatem traditus „eſſet, qui oculum ipſi extulerat, non modò non ultus eſt, „ſed nec deſiit hominem demulcere, donec ei philoſophari „perſuaſiſſet.„ Et ZENO † dicenti cuidam, *Diſpeream, niſi te ulciſcar*, reſpondit, *At ego, niſi te amicum fecero.*

XXI. Egregia multa, de clementia, manſuetudine, placabilitate, habet CICERO. Quale illud eſt; ‡ *Nec verò audiendi, qui graviter iraſcendum inimicis putabunt, idque magnanimi & fortis viri eſſe cenſebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate atque clementia.* Inter eos verò Philoſophos, qui præclarè hanc in rem diſſeruerunt, eminet SENECA ſuprà laudatus, qui, tribus in Libris, de *Ira*, de *Clementia*, & de *Beneficiis*, dici non poteſt quot eximia habeat, de condonandis injuriis, & benefaciendo iis etiam qui nos malè habuerunt. *Cogitemus*, inquit, § paulo ante locum ſuprà laudatum, *quotiens ad ignoſcendum difficiles erimus, an expediat omnes nobis inexorabiles eſſe: quàm ſæpe veniam qui negavit, petit; quàm ſæpe pedibus ejus advolutus eſt, quem à ſuis repulit. Quid eſt glorioſius*, addit, *quàm iram amicitia mutare?* Idem Seneca, Lib. I. de *Beneficiis*, oſtendit, beneficia etiam in ingratos, etiam in eos qui peſſimè nobiſcum agunt, nihilominùs conferenda eſſe; Et id quidem oſtendit, inter alia argumenta, prolatô Deorum exemplô, qui lucem & alia vitæ ſubſidia, etiam ingratis ac ſceleratis largiuntur; planè ut CHRISTUS, Matt. V. argumento illo utitur. *Non eſt*, inquit, †† *quòd tardiores faciat ad bene merendum turba ingratorum. Nam primùm, ut dixi, nos illam augemus. Deinde, ne Deos quidem immorta-*

* PLUT. in vita *Lycurgi*. † PLUT. de *Ira cohibenda*. ‡ CICERO Lib. I. de *Officiis*, cap. 25. § SENECA, de *Ira*, Lib. II. cap. 34. †† SEN. Lib. I. de *Beneficiis*, cap. 1.

mortales ab hac tam effusa benignitate sacrilegi negligentésque eorum deterrent. Utuntur natura sua, & cuncta, intérque illa ipsos munerum suorum malos interpretes, juvant. Hos sequamur duces, quantùm humana imbecillitas patitur. Et paulò post; *Quàm multi indigni luce sunt, & tamen dies oritur.* Et alio rursùs loco: * *Non est mihi relata gratia; quid faciam? Quod Dii omnium rerum optimi auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant. Alius illis objicit negligentiam nostri, alius iniquitatem: Alius illos extra mundum suum projicit, & ignavos hebetésque, sine ullo opere, destituit. Nihilominùs tamen, more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant Dii beneficia congerere*; &c. *Imitemur illos*, concludit. Egregia profectò dicta; quæ diceres, non à Zenonis, sed à CHRISTI Discipulo prolata esse.

XXII. Alium insuper Philosophum Ethnicum, hanc in materiam audire juvat, MARCUM AURELIUM ANTONINUM, Imperatorem & Philosophum insignem, qui præclara etiam, de injuriis condonandis, & diligendis Inimicis, habet, Christianæ Disciplinæ ad amussim consentanea. *Proprium homini est*, inquit †, *ut eos etiam diligat, qui peccant, vel adversus eum delinquunt. Fiet hoc, si in mentem tibi veniat, esse eos tibi cognatos; eósque imprudentiâ atque invitos peccare*, &c. Et mox ‡; *Si quis aliquid contra te deliquerit, statim cogita, quánam boni vel mali opinione peccaverit; Id enim si cernas, misereberis ejus, ac neque miraberis, neque irascéris.* Alio loco ††, Deorum exemplum profert, ut homines ad injurias condonandas, imò & ad bonum pro malo rependendum, potiori multò jure impellat. *Dii*, inquit, *cùm sint immortales, tamen non dedignantur in tam diuturno ævo semper tot homines improbos perferre: Quinimò summam illorum curam gerunt. Tu autem, qui jamjam cessabis vivere, idem facere renuis, & quidem cùm tu unus sis é numero malorum.* Hæc M. AURELIUS. Denique, ne plura congeramus hanc in rem testimonia, in ipso illo Ju-

* SEN. ibid. Lib. VII. cap. 31. † M. ANTONIN. de vita sua Lib. VII. §. 15. ‡ Ibid. §. 19. †† Ibid. §. 44.

VENALIS loco *, quò videtur Vindictam laudare, pulcherrima contrà ac vividiſſima adversùs Vindictam leguntur: Etenim, poſt verba illa ſuperiùs memorata,

At Vindicta bonum vita jucundius ipſa,

ſtatim additur luculentiſſima eorumdem confutatio.

† *Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis*
Interdum aut levibus videas flagrantia cauſis;
Quantulacumque adeò eſt occaſio, ſufficit iræ.
Chryſippus *non dicet idem, nec mite* Thaletis
Ingenium, dulcíque ſenex ‡ *vicinus* Hymetto,
Qui partem acceptæ ſæva inter vincla cicutæ
Accuſatori nollet dare.

Et paulò pòſt;

Quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi, exiguíque voluptas,
Ultio; continuò ſic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet quàm fœmina; &c.

Quæ omnia loca, pulchra oppidò, & lectu digniſſima, duplici de cauſſa proferre libuit; cùm, ut pateat, quouſque Lumen Naturale, in cognitione Officiorum, Sapientes illos Ethnicos perduxerit; tum in primis, ut hinc appareat, Chriſtiana Præcepta, de diligendis Inimicis, & condonandis injuriis, utut carni dura videantur, tamen à natura atque ratione nullatenùs abhorrere: Quod erat demonſtrandum.

XXIII. Prolixiores fuimus in primo illo capite: Reliqua ſtrictius erunt perſtringenda. OPPUGNANTUR nempe ab Incredulis, ea Ethicæ Chriſtianæ Præcepta, quibus jubemur, „*carnem ſubigere, mortificare, cruci affigere, oculum nobis eruere, manum abſcindere, nobiſmet ipſis nuntium mittere, & crucem noſtrom ferre*: Quæ omnia ſæva atque inhumana, adeóque naturæ & rectæ rationi contraria exiſtimantur.

XXIV. Verùm nullo negotio removebitur offendiculum illud, ſi modò verus ac genuinus ſenſus Præceptorum illorum intelligatur. Ac ſanè, dum jubemur *carnem ſubigere, mortificare*,

* JUVENAL. Sat. XIII. † ℣. 181. & ſequentes. ‡ SOCRATES.

re, ac veluti *cruci affigere*, ſenſus non eſt, debere nos corpus noſtrum odio habere, illúdque, more ſuperſtitioſorum, flagellare atque lacerare, multò verò minùs violentas nobis manus inferre; A qua inſania atque furore Chriſtianæ Leges planè abhorrent. Hoc unum à nobis exigit Chriſtiana Diſciplina, ut inordinatos noſtros adfectus, qui ſedem præcipuam in membris Corporis habent, in ordinem redigamus; ut vitia noſtra omnia, ea potiſſimùm quæ carni adblandiuntur, ſubigamus atque domemus; ut à voluptatibus abſtineamus; ſed quibus voluptatibus? iis nimirùm, quæ temperantiæ limites excedunt; iis, quibus vir ſapiens ſibi ipſi interdiceret; iis, quæ veræ noſtræ paci ac felicitati inſidiantur: Quæ quidem rationi atque naturæ apprimè ſunt conſentanea.

XXV. Sic etiam, dum monet CHRISTUS, *Si oculus noſter dexter*, vel *dextera manus*, nos σκανδαλίζει, hoc eſt, ad peccandum impellit, *eruendum oculum*, *abſcindendam manum*, hæc ſenſu proprio ac literali haudquaquam ſunt intelligenda. Vivida eſt locutio, quâ notatur, res etiam gratiſſimas, proximéque ad nos pertinentes, qualis eſt oculus, qualis eſt dextera, abjiciendas eſſe, atque à nobis removendas, ſi ad peccandum nos excitent, ſi ſine ſalutis diſpendio ſervari nequeant. His ergo jubemur, illecebras, occaſiones peccandi vitare; iis abſtinere conſortiis, iis adſpectibus, iis colloquiis, iis familiaritatibus, quæ innocentiam noſtram in diſcrimen adducunt; denique à licitis potiùs nobis temperare, quàm ut ad illicita abripi nos unquam patiamur.

XXVI. Dura hæc quidem, incommoda, inhumana, primâ fronte videntur, iis præſertim qui adfectibus ſerviunt. Verùm ſi, ſedatâ mente, compoſitiſque animi perturbationibus, expendantur, patebit, conſilia hæc ſaluberrima eſſe, propriúmque noſtrum commodum, adeóque noſtri ipſorum amorem, eadem ſuadere atque imperare. Quis enim neſcit, unam hanc eſſe é primariis prudentiæ regulis, *Minora damna ferenda, ut majoribus occurratur*; *Minora commoda relinquenda & abjicienda, ut majora obtineantur*? Sic jubet Prudentia; imò ſic agunt

quotidie Homines, in rebus ad hanc vitam pertinentibus. Sic, adventante tempeſtate, ſi ſit periculum ne onuſta navis faciliùs ſubmergatur, nemo neſcit, merces etiam ditiſſimas & pretioſiſſimas in mare abjici, ut navigantium vitæ conſulatur. Quid, quòd, ne ipſis quidem Corporis membris parcitur, ſi abſque vitæ periculo ſervari nequeant: Nam, ſi gangræna pedem vel manum corripuerit, ne malum ſerpat, ipſáque petat vitalia, nemo eſt qui pedem aut manum, imò crus aut brachium, ſibi abſcindi non patiatur. Quòd ſi verò hæc fiant, ad fragilem hanc & caducam vitam conſervandam, quanto potiori fiant ratione, ad vitam immortalem conſequendam? Si hæc fiant ad ſervandum corpus, quod tamen non multò pòſt ab interitu vindicari non poterit, quis neget idem audendum, ut Corpus & Anima ab æterno exitio immunia ſerventur?

XXVII. Pariter, dum præcipit CHRISTUS, ut *nobis ipſis nuntium mittamus*, nec id etiam ſenſu craſſo ac literali ita ſumendum, quaſi juberemur nos ipſos odiſſe, nullâque curâ noſtrî ipſorum, ac rerum noſtrarum, tangi. Id unicè notat, vitam in melius mutandam, adfectibus iniquiſſimis, & Dei voluntati contrariis valedicendum, denique bonis noſtris temporalibus, ſi neceſſe ſit, Deúsque jubeat, abrenuntiandum, ut æterna ac infinita bona conſequamur. Quæ omnia rectæ rationi, & veræ noſtræ utilitati, admodum conſentanea ſunt.

XXVIII. Denique, ne ipſum quidem *Crucis* præceptum, quod primâ fronte ita durum ac intolerabile videtur eſſe, quidquam habet, quod animos ſanos, & rationi obſequentes, à Chriſtiana Religione abducere debeat. Quid enim eſt, *Crucem noſtram ferre*, niſi mala à Deo immiſſa patienter tolerare, niſi ſapientiſſimi noſtri Conditoris voluntati nos ſubmittere, niſi cauſſam ſummi noſtri Domini, diſpendio rerum omnium, imò & vitæ ipſius, defendere? Et quâ ſpe hæc omnia? Fore ut bonorum vilium & caducorum jactura bonis eximiis & perfectiſſimis compenſetur; Fore ut vita hæc fragilis, quæ neceſſariò amittenda eſt, cum vita feliciſſima ac ſempiterna commutetur. Quæ omnia æquiſſima eſſe, prudentiſſima, ſapientiſſima, nemo eſt qui non videat. XXIX.

XXIX. Hoc unum addemus, ad defensionem Præceptorum illorum omnium, quæ hactenus enumeravimus, nihil ferè in iis esse, cui adsine aliquid ab Ethnicis Sapientibus benè multis prolatum non sit. Certè SOCRATES * multis suadebat, spernendum esse corpus, aversandum, subigendum, animumque ab ejus contagio liberum servandum esse. Fuitque hæc doctrina Platonica, non aliter animam purgari, quàm si à corporis affectionibus exuatur ac segregetur *Animi imperio, corporis servitio, magis utendum* † monet SALLUSTIUS. De fugiendis voluptatibus, referti sunt præceptis eximiis, Philosophorum, Oratorum, Poëtarum Ethnicorum Libri: Quale est illud HORATII ‡,

Sperne voluptates: Nocet empta dolore voluptas.

Neque ignota consilia hæc monitoris haudquaquam severi ‡:

Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Esse, sed, ut valeas, multa dolenda feras.

Et mox:

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec sitiens ora levabis aqua.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?

XXX. Postremò, quis est qui ignoret, summo honori duxisse Ethnicos, durissima quæque pro patria pati, imò verò & mortem oppetere? Et, pro terrenis Principibus, quid non quotidie patiuntur milites, & Duces exercituum? neque alio auctoramento, quàm exigui lucri, vel inanis gloriolæ exspectatione, quibus quidem resarciri vitæ jactura haudquaquam potest. Nostras verò perpessiones, ac pro Christo toleratam mortem, certissimum gloriæ immarcescibilis pondus excipiet.

* PLATO in *Phædone*. † SALLUST. Bel. Catilin. cap. 1. ‡ HORAT. Epist. Lib. II. Ep. 2. ‡ OVID. de *Remed. Amor.* v. 225. & seq.

FINIS.

DISSERTATIO XIV.

Quæ eſt APOLOGETICA IV.

PRO

VERITATE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

Adversùs Incredulorum Difficultates.

Habita eſt diſputatio, reſpondente JOH. PETRO DU CROS *Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

PRæter eas Difficultates, quibus, cùm *Revelatio* in genere, tum *Judaïca* & *Chriſtiana* Doctrina, obnoxiæ ſunt, aliæ etiam non contemnendæ adversùs MIRACULA & PROPHETIAS proponuntur: Quarum nonnullis ſuprà jam occurrimus, dum argumenta ex his deſumpta proponeremus atque urgeremus. Verùm hæc omnis materia pleniùs jam diſcutienda eſt.

A L-

ALTERA CLASSIS
DIFFICULTATUM,
quibus Miracula & Prophetiæ *impugnantur.*

II. Et ad MIRACULA quidem quod adtinet, adversùs ea multis disputat noviſſimi Sæculi Atheus, BENED. DE SPINOZA, *Tractatûs Theologico-Politici* cap. VI. Contendit nimirùm, ea quæ vocantur Opera divina, ſive Miracula, nihil eſſe aliud niſi *Opera quorum cauſa ignoratur*, ſeu potiùs, *quorum cauſam naturalem, exemplo alterius rei ſolitæ, explicare non poteſt is qui miraculum ſcribit aut narrat.* Idcircò, quæcumque de Miraculis prodita ſunt, non aliis cauſſis accepta refert, præterquàm vulgi ignorantiæ ac ſuperſtitioni, nec non & ſuperbiæ certarum Gentium, *Judæorum* v. g., qui, ut ſe ſupra reliquos extollerent, finxerunt. Deum pro ſe ſolis operari, & in ſui gratiam Naturam invertere.

III. Quòd verò nulla dentur propriè dicta *Miracula*, ſeu Opera Naturæ Legibus ſuperiora, longa ratiociniorum, veriùs dicam, ſophiſinatum ſerie, demonſtrare nititur. Summa huc redit; „Nihil contra Naturam contingere, ſed ipſam æternum, „fixum, & immutabilem ordinem ſervare; Leges naturæ me„ra eſſe decreta Dei, adeóque ex neceſſitate & perfectione „naturæ divinæ ſequi: Quocirca, ſi quid in natura continge„ret, quod univerſalibus ejus legibus repugnaret, id decreto „Dei, & naturæ divinæ repugnaret; Aut ſi quis ſtatueret, „Deum aliquid contra leges naturæ agere, is ſimul cogeretur „ſtatuere, Deum contra ſuam naturam agere, quo nihil ab„ſurdius. Addit, potentiam Naturæ eſſe ipſam Dei virtutem „& potentiam; divinam autem potentiam eſſe ipſiſſimam Dei „eſſentiam, cui nihil contrarium exiſtere poteſt: Proindéque, „quicquid fit, fieri ſecundùm leges & regulas, quæ æternam „neceſ-

„neceſſitatem & veritatem involvunt. Subjungit, nullam ra„tionem ſuadere, limitatam potentiam Naturæ tribuere, ejúſ„que leges ad certa tantùm, non ad omnia aptas ſtatuere, ſi„quidem abſurdum eſt Deum naturam adeò impotentem creâſ„ſe, ejúſque leges adeò ſteriles, ut ſæpe ei ſubvenire cogatur; „Contrà, rationi convenientiſſimum eſſe aſſerere, potentiam „Naturæ eſſe infinitam, nihilque in ea contingere quod ex „ejus Legibus non ſequatur, ejúſque Leges ad omnia quæ ab „ipſo divino intellectu concipiuntur, extendi, &c. Unde colligit, *nomen* Miraculi *nonniſi reſpectivè ad hominum opiniones intelligi poſſe, nihilque aliud ſignificare, niſi opus quod ab iis à quibus refertur, explicari non poteſt.*

IV. Verùm ratiocinia illa omnia, quæ tanto adparatu profert, tantiſque ambagibus involvit *Spinoza*, (Dei reverentiam & fidem ſimulans, cùm tamen plus ſatis adpareat, eum non alium Deum quàm Naturam ipſam agnoſcere) illa, inquam, ratiocinia, partim merâ vocum quarundam ambiguitate nituntur, partim id ſupponunt quod eſt in quæſtione; quod ſophiſmatis genus *Principii petitionem* vocant Logici. Ac ſanè, dum loquitur de *Natura* ipſâ, & *Legibus Naturæ univerſalibus*, non una in eo ambiguitas latet. Nam, ſi per Naturam, & Leges Naturæ, intelligatur ipſamet rerum eſſentia, ſeu id per quod res eſt id quod eſt, utique verum eſt eo ſenſu, rerum naturam eſſe fixam ac immutabilem, nihilque contra eam, aut præter eam, contingere poſſe. Etenim, ſi auferatur vel immutetur id per quod res eſt id quod eſt, nemo non videt rem ipſam ablatum iri. Verbi gratiâ, eſſentia Circuli ſita eſt in rotunditate, ſeu in eo quòd lineæ omnes à centro ad circumferentiam ductæ ſint æquales: Si ergo auferatur rotunditas, eô ipsô auferetur Circulus, proindéque rotunditas à Circulo vix ac ne vix quidem auferri poteſt. Atque id ſibi volunt Metaphyſici, dum docent, *Eſſentias rerum æternas eſſe*: Quod Axioma nihil aliud ſignificat, niſi, ab æterno verum fuiſſe, atque in æternum fore, rem aliquam non poſſe ſeparari ab eo per quod eſt id quod eſt, neque id poſſe aboleri aut immutari, quin res ipſa aboleatur atque immutetur.

V.

Digitized by Google

V. Pariter, ſi, per *Leges Naturæ univerſales*, intelligantur prima Principia, Principia per ſe nota, ſive Metaphyſica, ſive Mathematica, qualia hæc ſunt, *Rem eandem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe*; *Totum eſſe majus ſua parte*; *Si ex æqualibus æqualia demantur, reſidua fore æqualia*, &c.; eo etiam ſenſu certiſſimum eſt, primarias illas Leges, Axiomata illa univerſalia, haudquaquam mutari poſſe. Ratio evidens eſt; ſiquidem in propoſitionibus illis, duo termini, *ſubjectum* & *prædicatum*, ita clarè ac evidenter inter ſe identificantur, ut, prolatis vocibus, ſtatim adpareat, rem aliter eſſe non poſſe. Nam v. g. ſi ſupponeretur Totum, quod eſſet minus ſua Parte, eſſet Totum & non eſſet Totum, eſſet Pars & non eſſet Pars: Quæ poſitiones adeò ineptæ & nugatoriæ primâ fronte adparent, ut, qui hæc dicit, voces quidem proferat, ſed nihil habeat interea quod menti obverſetur.

VI. At verò, cùm ſermo eſt de *Miraculis*, dicuntúrque Naturæ Legibus ſuperiora, vel Naturam invertere atque immutare, alio planè ſenſu, & *Natura* ipſa, & *Naturæ Leges* ſumuntur. Nihil aliud notant, niſi certum rerum ordinem, certas motuum determinationes, quæ ex Cauſſis merè naturalibus fluunt; ſed quæ, poſitô Naturæ Auctore, ab eo ſuſpendi atque immutari facilè poſſunt. Verbi gratiâ, is intelligitur rerum ordo, juxta quem levia ſurſùm, gravia deorſùm ferantur; unde ſequitur, corpus grave, quale eſt Corpus humanum, non poſſe (ſaltem abſque machina quadam, & auxilio externo) ſuper aquis ambulare, vel in aërem adtolli, nubibúſque circumvectum in Cœlum recipi: Vel etiam talis Corporis humani diſpoſitio, quâ fit ut Morbi graviſſimi ac inveterati, temporis momento, ſolo nutu, ſolo imperio, & abſque ullo auxilio externo, ſanari nequeant. Talem autem rerum ordinem, talem Corporis humani diſpoſitionem, etiamſi à Cauſis merè naturalibus mutari nequeat, tamen, jubente atque operante Naturæ Auctore, mutari poſſe, nemo niſi Atheus, qualis erat *Spinoza*, negare auſit.

VII. Sed inſtabit nonnemo, & dicet; „In Miraculis non

„paucis, quorum mentio fit in Scriptura, ipſam rerum eſſen„tiam mutatam dici; V. g. eſſentia Ignis eſt urere; Atqui ſu„blata dicitur in Miraculo fornacis Babylonicæ. Eſſentia Cor„poris gravis, quale eſt Corpus humanum, eſt fundum aquæ „petere; Quod tamen mutatum dicitur, cùm Chriſtus ſuper „aquis ambulavit.„ &c. Verùm negamus, Miraculis illis, aut aliis ullis, eſſentiam rerum mutatam eſſe. Nam eſſentia Ignis nonniſi in certa quadam partium configuratione, ac certo motu, fita eſt; Unde vulgò ſequitur, ea Corpora, quæ Igni admoventur, ejúſque motui non reſiſtunt, diſſolutum iri. At verò, non una ratione Corpora igni admota à diſſolutione ſervari poſſunt; putà, vel partium ignearum motum ſiſtendo, & alio modo determinando, vel ſuperficiem Corporum igni admotorum ita indurando, ut partes eorum ab igne ſeparari nequeant; quorum utrumque ab Ente potentiſſimo fieri poſſe, nemo ſanæ mentis negaverit. Pariter, Corpora gravia, ſi ſibi ipſis permittantur, deorsùm quidem ferri neceſſe eſt: Sed quid impedit, quominùs Ens potentiſſimum eorum motum aliò convertat, eaque ſursùm adtollat? Atque idem de cæteris omnibus Miraculis dici poteſt, in quibus nullatenùs deſtructa eſt rerum eſſentia, ſed ſola motuum determinatio mutata eſt.

VIII. Neque pluris eſt quod addit Spinoza; „Potentiam Na„turæ eandem eſſe cum potentia Dei; Leges Naturæ eſſe ip„ſamet Dei decreta; proindéque, ſi quid fieret contra Leges „naturæ, id ipſum contra Dei naturam, & potentiam, & vo„luntatem, fore.„ Etenim hæc quoque nihil ſunt aliud, quàm mera æquivocatio, & petitio principii. Nam verum quidem eſt, *potentiam Naturæ*, hoc eſt, vires juxta quas res naturales agunt, certo ſenſu eſſe ipſam Dei potentiam, ſiquidem vires illæ non aliunde quàm à Dei potentia ortum ducunt: Sed verò potentia Dei ulteriùs extenditur; nam, ut certas vires Entibus naturalibus dedit, ita & illas immutare, augere, minuere, nullo negotio poteſt. Verum quoque eſt, ordinem illum, quem Natura ſequitur, *Dei voluntate* poſitum ac determinatum eſſe: Sed voluntas Dei ita ſeſe ordini illi non mancipa-

cipavit, ut ab eo recedere, cúmque immutare, neutiquam poſſit: Quemadmodum Princeps, qui, ſua in ditione, certum quendam ordinem conſtituit, non ita tamen ſe eo adſtringi patitur, ut ab eo recedere, ſiquando voluerit, gravéſque adfuerint rationes, nefas exiſtimet.

IX. Neque verò mutationes illæ, quæ per Miracula nonnunquam fiunt, ex quadam Dei levitate & inconſtantia, vel ex Legum naturæ impotentia ac ſterilitate, oriuntur: ſed ob rationes momentoſiſſimas, ex Dei ſapientia & bonitate ductas, eduntur. Quid enim momentoſius, Deóque dignius, quàm Legatis à ſe miſſis auctoritatem conciliare; eáque documenta, quæ ad Hominum emendationem & felicitatem pertinent, ſuo veluti ſigillo confirmare? Quamobrem patet, in ratiociniis illis omnibus, *Spinozam* principium petere, idque manifeſtò ſupponere, quod inter nos & ipſum controvertitur; ſcil. præter Naturam, nullam dari potentiam Dei, nullam ſapientiam, nullam voluntatem, adeóque nullum Deum eſſe.

X. ALTERA Objectio, & ea quidem non contemnenda, ex eo ducitur, "quòd non ſatis cognoſcamus Naturæ vires, ut, „quid illas ſuperet, vel non ſuperet, ſeu, quid ſit *Miraculum*, „quid verò non ſit, certò ac præcisè determinare poſſimus. „Et hæc quidem Difficultas eò gravior eſt, quòd, imperito„rum judicio, plurima difficilia, imò impoſſibilia quotidie ad„pareant, quæ peritioribus, non poſſibilia tantùm, ſed & facil„lima videantur. Quis ignorat, v. g. quàm mira atque ſtupen„da, ope Mechanices, vel Hydraulices, vel Optices, aliarúm„que Artium, fiant? Et, quo tempore Acus Magnetica, Pul„vis pyrius, Bombardæ bellicæ, aliáque idgenus inventa, in lu„cem edita ſunt, quàm pronum erat, præſertim de vulgo ho„minibus, neque rerum naturalium gnaris, aliquid hic pluſ„quàm humanum, imò verè divinum, cogitare? Certè *Ame„ricani* (hac quidem in re neutiquam ridendi) viſis ingentibus „Europæorum claſſibus, obſervatôque planè ſtupendô ſclopeto„rum & bombardarum effectu, quæ totidem fulgura & tonitrua „videbantur, non homines, ſed Deos quoſdam, ad ſe acceſſiſ-

„ſe judicârunt. Poſtremò, quis neſcit, propè innumeras Agyr-„tarum verſutias eſſe, quarum rationem qui ignorant, obſtu-„peſcunt penitùs, neque capere ullatenùs poſſunt, res adeò mi-„ras naturaliter fieri poſſe? Quibus omnibus, judicium de Mi-„raculis, argumentúmque ex iis ductum, obſcurari admodum „videtur.

XI. ℟. Verùm, quamvis præcisè determinare nequeamus, quouſque ſe extendant Cauſſarum naturalium vires, tamen ſcire poſſumus, tum ex ipſa rei evidentia, tum ex communi Hominum ſenſu, tum ex conſtanti experientia, certa quædam Opera vires illas ſuperare. Sic v. g. ſi quid ex nihilo creatum conſtaret (non dicimus id re verâ fieri, ſed tantùm ſupponimus) quis dubitaret, ſolam Omnipotentiam Operis ejuſmodi cauſſam eſſe poſſe? Pariter, cùm ſeſe prodit effectus aliquis, abſque ulla penitùs cauſſa, quæ effectui illi reſpondeat, qualis eſt ſanatio graviſſimorum morborum, ſolo nutu, ſolo imperio, qualis eſt & Mortui in vitam revocatio, volente itidem ac jubente Homine quodàm, qualis eſt uſus peregrinarum linguarum, penès illos qui eas nunquam didicêre, &c., quis non videt, Opera illa, aliáque benè multa ejuſdem generis, creationi ex nihilo quodammodo adfinia eſſe, nec niſi ab ipſo Naturæ Auctore atque Arbitro, vel ſaltem ejus potentiâ, peragi poſſe? Certè, quantacumque ſit ignorantia noſtra, circa certos ac determinatos Naturæ virium limites, illud tamen adfirmare licet, quòd ſi Homo, qui per plures annos nobis intimè notus fuerit, quémque certò, atque in omnium conſpectu, defunctum noverimus, ſeſe nobis triduo vel quatriduo pòſt vivum ſiſteret, & certiſſimis indiciis ſe eundem eſſe demonſtraret, nemo eſſet noſtrûm qui non Factum illud ſupra conſuetum Naturæ ordinem poſitum eſſe fateretur; ſiquidem id, tum ex ipſa rei natura, tum ex communi Hominum judicio, perpetuáque experientia, vires naturales ſuperare cognoſcitur.

XII. Porrò, ſi, de uno aliquo Facto, nonnihil forſitan dubii eſſet, utique cùm Facta plurima concurrunt, & Facta varii generis, & ea quidem edita, non clàm, ſed publicè, & quidem ſolo

ſolo verbo, nulliſque adhibitis Cauſſis naturalibus, tunc dubitatio omnis tollitur. Jam verò, circumſtantias illas omnes, in Miraculis Doctrinam Sacram, cum Judaïcam, tum Chriſtianam, confirmatibus occurrere, ex Hiſtoriæ monumentis conſtat.

XIII. Ac ſanè, cùm Deus Moſem ad Iſraëlitas & Pharaonem miſit, petiitque ille à Deo, ut ſibi ſignum aliquod concederetur, cujus ope pro Dei Legato agnoſci poſſet, Deus non uno tantùm prodigio, imò non uno tantùm & altero, ſed etiam tertio, imò & longè pluribus, ipſum munivit. *Si tibi credere noluerint*, dixit DEUS, † *neque prioris ſigni vocem audierint, at poſterioris ſigni vocem audient. Si verò ne duobus quidem iſtis ſignis crediderint, tum capies aquam fluminis* &c. Ut ſcilicèt varietate & coacervatione Miraculorum pateret, non hîc artem merè humanam, non fraudem, non præſtigias, ſed hæc verè Dei opera fuiſſe.

XIV. Pariter CHRISTUS, non pauca quædam, ſed ingenti numero, generiſque diverſiſſimi, Miracula edidit: Conſtátque re verâ, multitudinem illam ac varietatem Miraculorum, ad convincendos Judæos, non exigui ponderis fuiſſe: Multi ſiquidem dixiſſe perhibentur, *Cùm Chriſtus venerit, num plura edet ſigna, iis quæ iſte edidit?* * Sic nempe hominum imbecillitati ſuccurrere voluit Deus; ut, quoniam ſatis peritiæ non habent, ad accuratè diſtinguendos, in uno vel altero Facto, Cauſſarum naturalium limites, numero ſaltem ac diverſitate Operum divinorum convincerentur.

XV. TERTIA ſuccedit Difficultas, antecedentibus haudquaquam inferior. Dicunt nempe, "Miracula, ad probandam „Doctrinæ alicujus veritatem, nullius roboris eſſe, ſiquidem ipſa „Scriptura docet, falſos Doctores & falſos Prophetas, Miracu„la in gratiam erroris edituros; quemadmodum docet Moſes „Deuter. XIII. 1. 2. 3. & Chriſtus Matt. XXIV. 24. & Paulus „2. Theſſ. II. 9. 10. 11. atque alibi paſſim.

XVI. Huic difficultati ut reſpondeant Theologi & Philoſo-

† Exod. IV. 8. 9. * Joh. VII. 31.

phi plerique, Factum ipsum non diffitentur. Concedunt, Pseudo-Prophetas & Pseudo-Doctores, ipsósque adeò Cacodæmones, quorum illi instrumenta sunt, vera Miracula re ipsâ efficere posse, nec rarò effecisse; Deo permittente ut Fideles hac ratione explorentur, quemadmodum innuit Moses, Deut. XIII. 3. Sed respondent, *ea Miracula, quæ veram Doctrinam confirmant, plura semper esse ac illustriora, iis quæ falsæ Doctrinæ famulantur*: Deinde verò, *non tam Doctrinam ex Miraculis, quàm Miracula ex Doctrinæ veritate dignosci debere.*

XVII. Verùm, pace Virorum Doctorum, quorum hæc sententia est, in eam ire neutiquam possumus; ob rationes suprà jam adlatas *, sed quas paulò pleniùs hîc diducemus. Ut mittamus enim, expressè docere sacrum Codicem, Deum solum Miracula efficere; *Benedictus Deus, Deus Israëlis*, ait Psaltes, † עשה נפלאות לבדו, *qui solus mirabilia*, vel *miracula*, *facit*; Ut mittamus etiam, Idola Gentium passim irrideri in sacro Codice, ‡ vocari אלילים *res nihili*, הבל *vanitatem*, describi tanquam res nullius roboris, nullius potentiæ, quæ *nec nocere nec benefacere possunt*, nec *futura prædicere*, nec *cultores suos audire* atque *adjuvare*; quæ quidem vera omninò non essent, si Idolorum fautores ac defensores, ipsíque adeò Cacodæmones, vera Miracula, veráque prædictiones, in eorum confirmationem, edere possent; Ut id, inquam, nunc omittamus, certè ea sententia, quæ statuit, vera Miracula à Pseudo-Prophetis, & in gratiam erroris, fieri posse, duobus gravissimis laborare incommodis nobis videtur.

XVIII. *Primum*; quòd Dei Virtutibus, veracitati, sanctitati, bonitati, sapientiæ, (nostro saltem judicio) admodum injuria sit. Quid enim divinis illis Virtutibus minùs dignum est, quàm permittere ut ordo Naturæ ad confirmandum mendacium immutetur, sícque Omnipotentiam suam Impostoribus, ipsíque

* Disp. III. de Verit. Resl. Chr. quæ est de *Miraculis*; Thes. XII. XIII. XIV.
† Ps. LXXII. 18. Adde Ps. LXXXVI. 10. & CXXXVI. 4.
‡ Videantur præsertim loca, 1. Reg. XVIII. 27. Ps. CXV. & CXXXV. Isa. XLI. 22. 23. 24. XLIV. 9. 10. XLV. 16. 20. 21. XLVI. 6. 7. Jerem. X. 1–16. XIV.

Digitized by Google

ipsíque adeò Cacodæmoni, quodammodo commodare; ut homines, ineluctabili ferè ratione, in errorem inducantur? Nec dicendum, *non magis id Dei Virtutibus indignum esse, quàm hominibus improbis vitam largiri, eorúmque facultates conservare, & versutias permittere, quibus cæteri in errorem & vitium inducantur.* Etenim magnum discrimen est inter hæc duo, Permittere ut, juxta consuetum rerum ordinem, aliquid contingat, quô hominum virtus exploretur, & Extraordinaria opera, vires Naturæ superantia, ad nutum scelestorum hominum, vel impurorum Spirituum, exserere, sicque Omnipotentiæ divinæ ipsos veluti arbitros efficere, ut homines quasi ineluctabiliter in errorem impellantur. In priori casu, nihil aliud facit Deus, nisi quòd Leges generales in Natura positas conservat, ad quas infringendas nullatenùs obligatur, imò verò quas conservare sapientia suadet. In posteriori casu, Leges illas datâ operâ infringit, suámque quodammodo Omnipotentiam commodat, ut Errori patrocinium addatur. Prius cum Dei Virtutibus nullatenùs pugnat: Posterius ita iis adversatur, ut nihil magis.

XIX. *Alterum* incommodum in eo situm est, quòd, juxta hanc hypothesim, totum argumenti é Miraculis ducti robur auferatur. Ac sanè, quod Veritati & Errori commune est, non potest certum Veritatis indicium esse. Atqui, juxta hanc sententiam, Miracula Veritati & Errori sunt communia; In utriusque gratiam fiunt; Ab utriusque defensoribus eduntur. Ac proinde certum Veritatis indicium esse nequeunt. Nec juvat dicere, *Plura & majora in Veritatis gratiam fieri.* Etenim, quis scit, quot & quanta pro Errore fieri possint? Quis proinde, in casu aliquo particulari, hæc à se invicem distinguere queat? Dices, *quô tempore falsi Doctores Miracula in gratiam Erroris faciunt, statim Deum majora Miracula in gratiam Veritatis fieri curare.* Verùm, quis scit quantum temporis intervallum inter utraque interponi velit Deus, ut amplior explorandis Hominibus occasio detur? Itaque, visis Miraculis quibusdam, ad confirmationem cujusdam Doctrinæ editis, semper hærere

hærere Spectatores, ſemper ſuſpenſos manere animos neceſſe erit, ne error cum veritate, & Miracula diabolica cum Miraculis verè divinis confundantur.

XX. Regerent hypotheſeos iſtius patroni, *litem illam de Miraculis, ex ipſius Doctrinæ conſideratione, dirimendam eſſe.* Nec diffitemur, Doctrinæ conſiderationi non leve aliquando pondus ineſſe. Nam, ſi Doctrina, in cujus gratiam Miracula producuntur, abſurda fuerit, vel contradictoria, vel quoquo modo Deo indigna, certè vel hoc ſolo patet, ea Miracula, quæ producuntur in ejus gratiam, à Deo non procedere; ſiquidem Deum rebus abſurdis, contradictoriis, ac ſe indignis, ſuæ adprobationis ſigillum adponere, vix ac ne vix quidem concipi poteſt. Et huc quidem pertinet locus Deut. XIII. 1. 2. 3., quemadmodum jamjam videbimus. Contrà, ſi agatur de Doctrina eximia, piiſſima, ſanctiſſima, denique Dei revelatione digniſſima, vel hoc ſolo abundè liquet, Miracula, quæ in ejus gratiam fiunt, non à falſis Prophetis, aut Cacodæmonibus, ſed à Deo potiùs procedere. Atque illud eſt quod Chriſtus reſpondet criminationibus Judæorum, Miracula ſua Cacodæmonum Principi tribuentium; Matt. XII. 25. 26. Eò uſque igitur nobis convenit cum Patronis ejus ſententiæ quam expendimus.

XXI. At verò, non poſſe Miracula, niſi ex Doctrinæ conſideratione, dignoſci ac dijudicari, (quemadmodum illi ſtatuunt) id profectò adfirmari nequit, quin omne argumenti é Miraculis ducti robur auferatur, vel ſaltem vitioſa illa ac nugatoria argumentandi ratio, quam Logici *Circulum* nuncupant, admittatur. Ac ſanè, miſſis à Deo Legatis, & Doctrinâ aliquâ ab iis promulgatâ, tunc Quæſtio eſt, utrùm Doctrina illa vera ſit, iſque Legati verè à Deo miſſi fuerint. Quomodo verò id demonſtratur? Per Miracula nimirùm. Saltem Moſes & Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli, argumento illo ad Doctrinam ſuam comprobandam uſi ſunt. † *Si non mihi credatis, credite operibus*, inquiebat Chriſtus: ‡ *Opera quæ ego facio, teſtantur de me, quòd*

† Joh. X. 38. ‡ Joh. V. 36.

quòd Pater miſerit me. At ſi Miracula ipſa in dubium vocentur, quomodo lis illa dirimetur? Dicunt, *ex Doctrinæ conſideratione.* Sed quis non videt, eos qui ſic dicunt, manifeſto Circulo ſe involvere? Nam Miracula ad probandam Doctrinam prolata ſunt: Et nunc, ad probanda Miracula, adducitur Doctrina, de qua etiamnum controverſia eſt, & ad quam demonſtrandam Miracula adducebantur. Quamobrem reſponſiones illæ omnes ſatisfacere prorsùs nequeunt.

XXII. Porrò, ſi Miracula nonniſi incertum ſint & æquivocum veræ Doctrinæ indicium, hinc ſequetur, Moſem & Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos, (abſit blaſphemia) malè ratiocinatos eſſe, dum Miracula ſua tanquam certa ac indubitata veritatis Doctrinæ ſuæ argumenta protulerunt, quemadmodum ex innumeris Scripturæ locis adparet. Hinc etiam ſequetur, eos qui Miraculis ad amplectendam eorum Doctrinam impulſi ſunt, & quotidie impelluntur, non ſatis prudenter ſe geſſiſſe; & contrà, eos qui, non obſtantibus Miraculis, in incredulitate perſtiterunt, ac etiamnum perſtant, (quod *reſiſtere Spiritui ſancto*, & *peccare in Spiritum ſanctum*, vocat Scriptura) non modò culpa caruiſſe, ſed & laude digniſſimos fuiſſe. Quæ conſectaria ejus ſunt naturæ, ut ſententia, ex qua deducuntur, admitti prorsùs nequeat.

XXIII. Nos igitur, his moti incommodis, nodum ſecamus, & negamus ulla vera Miracula à Pſeudo-Prophetis, atque in gratiam Erroris, fieri poſſe. Poſſunt quidem fieri res miræ, res ſtupendæ, res quæ ab ignaris pro Miraculis habeantur; ſed, ſi attentiùs inſpicerentur, pateret, meras eſſe fraudes, meras verſutias, quales ſunt Circulatorum & Agyrtarum, qui quotidie innumera planè mira efficiunt, v. g. corpora quædam miro artificio ſurripiunt, & alia in eorum loco collocant, ignem comedunt, ſuper prunas ardentes illæſi ambulant, &c.

XXIV. Neque verò ſenſum illum reſpuunt loca Scripturæ quæ adducuntur, Deut. XIII. 1. 2. 3. Matt. XXIV. 24. 2. Theſſ. II. 9. 10. &c. quibus *ſigna*, *prodigia*, *miracula*, imò verò & *prædictiones*, falſis Prophetis & falſis Doctoribus adſcribi

cribi videntur. Etenim voces omnes, cùm Hebraïcæ, tum Græcæ, quibus Miracula designantur, פלא, מופת, אות, τέρατα, σημεῖα, δυνάμεις, & si qua sunt alia ejusdem generis, quemadmodum & voces Latinæ quæ iis respondent, non modò vera Miracula, sed & Miricula ficta, adparentia, pro talibus falsò accepta, indigitare optimè possunt. Et sanè notatu dignum est, quòd 2. Thess. II. 9. Miracula τῦ Ἀνόμου, insignis illius Apostatæ, qui ibi describitur, dicuntur τέρατα ψεύδους, *Miracula mendacii*. Scio quidem id ita intelligi à plerisque Interpretibus, ut innuatur Miracula illa *ad Mendacium confirmandum* comparata esse: Verùm, si ex genio Linguæ Hebraïcæ judicium fiat, (hic est enim Hebraïsmus) longè convenientius est, τέρατα ψεύδους per *Miracula mendacia*, seu *fallacia*, explicare; Quod & ibidem variis locutionibus confirmatur; nam dicitur Ἄνομος ille venturus ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, *in omni deceptione*, vel *fallacia*, *injustitiæ*; & ipsi tribuitur ἐνέργεια τῆς πλάνης, *efficacia erroris*, vel *impostura*: Quæ omnia, non modò juxta sententiam nostram optimè explicantur, sed & ei confirmandæ non parùm inserviunt.

XXV. Sed neque huic nostræ sententiæ nocet, quòd Moses, in loco Deuter. XIII. ubi monet Israëlitas, *ne credant iis Prophetis aut Somniatoribus, qui ediderint signum aliquod aut portentum, eósque voluerint ad colendos Deos alienos impellere*, quòd, inquam, Moses in loco illo non addat, *Miracula Prophetarum aut somniatorum illorum falsa fore*; quod quidem ad fidem iis abrogandam multùm feciſſet. Etenim satis est Mosi, regulam planam ac facilem iis tradere, ad falsos Prophetas à veris secernendos; putà, si eos à cultu veri Dei ad cultum Deorum alienorum inducere velint. Vel solum illud Criterium, vel sola illa Regula, ipsis abundè sufficiebat *, absque particulari & philosophico Prodigiorum ipsorum examine, quod Israëlitis difficile admodum fuisset, & plerorumque inter ipsos captum superâsset. Contrà, Regula hæc à Mose posita, plana admodum erat, omniúmque captui adcommodata. Cùm enim

* Parem regulam adhibet Paulus, 1. Cor. XII. 3. & Johannes, 1. Epist. IV. 2. 3.

enim DEUS irrefragabilibus teſtimoniis, plurimis ac illuſtriſſimis Miraculis, exceptione omni majoribus, ſuam ipſius auctoritatem apud eos adſeruiſſet, ſtatim atque aliquis volebat ipſos à cultu veri Dei abducere, & ad colendos Deos alienos impellere, id profectò ſatis cauſſæ erat, ut certi eſſent, eum eſſe falſum Prophetam, eíque proinde credendum non eſſe.

XXVI. Dum verò ſubjungit Moſes, per Prodigia illa, à falſis Prophetis edenda, Deum Iſraëlitas *tentaturum*, non id ſignificat, effecturum Deum vera Miracula, vel effici permiſſurum, ut ſermoni Pſeudoprophetarum pondus addatur, ſícque Iſraëlitæ explorentur: Etenim, non hæc fuiſſet tantùm exploratio, ſed deceptio ac illuſio Deo indigna, quæ Iſraëlitas quaſi ineluctabiliter in errorem ac idololatriam conjeciſſet: Nec enim admodum culpandi fuiſſent, qui, viſis operibus ſupra Leges naturæ poſitis, ipſum Naturæ Dominum eorum operum auctorem credidiſſent, eíque paruiſſent. Hoc unum igitur ſibi vult Moſes, Deum, permittendo ut Pſeudo-Prophetæ in Populo ſuo oriantur, & res quaſdam ſtupendas edant, quibus incautis fucum faciant, eóſque ad Idolorum cultum impellant, exploraturum, num Iſraëlitæ in fide ſibi data, & obſequio ſuo, verè conſtantes ſint: In qua exploratione, Deum nihil ſe indignum operari, nemo non videt.

XXVII. Verùm QUARTA Difficultas, adversùs noſtram hanc ſententiam, ipsúmque argumentum é Miraculis ductum, proponitur; nempe *Miracula Magorum Ægyptiorum*, quæ ita à Moſe narrantur, ut non modò nihil dicat, „quod eorum ve„ritatem ſuſpectam reddat, ſed contrà, vera ac realia fuiſſe, „innuere planè videatur: Poſtquàm enim Miracula à ſeipſo & „Aarone patrata narravit, ſtatim addit, Magos Ægyptios *idem* „*feciſſe*.„ Neque verò negant plerique Theologi, Prodigia illa, quæ Magis adſcribuntur, vera fuiſſe. Dicunt ſolummodò, in eo victorem fuiſſe Moſem, quòd plura ac majora ediderit.

XXVIII. At verò nos rationibus ſuprà adlatis ita tangimur, ut à ſententia dimoveri nequeamus, dicamúſque ſine ambage, Miracula illa Magorum Ægyptiorum meras fuiſſe fraudes, me-

ros Impoſtorum atque Agyrtarum ludos, cujus generis innumera, imò & multa magis ſtupenda, ab hominibus ejuſmodi fieri videmus. Ac ſanè, quid fecerunt Magi illi? Tria tantùm ab iis facta referuntur. *Primò*, quòd virgas ſuas in dracones converterint; *Secundò*, quòd aquas in ſanguinem commutârint; *Tertiò*, quòd ranæ ad ipſorum juſſum adductæ ſint. Jam verò tria illa, abſque miraculo, & per meram fraudem, facillimè ab ipſis peragi potuerunt.

XXIX. Nam PRIMÒ, quod ad *virgas in ſerpentes converſas*, quis neſcit Circulatoribus facillimum eſſe, corpora quædam celerrimè ac ſubtiliſſimè ſubtrahere, aliáque in eorum locum inducere, ita ut ſubrogationem ne adtentiſſimi quidem Spectatores obſervare queant? Quid ergo facilius Magis illis Ægyptiis, quodam manuum ludo ac dexteritate, quàm virgas clam furripere, atque efficere ut dracones in earum loco apparuerint? Sed in eo patuit Aaronis potentia, & Magorum infirmitas, quòd Magorum *virgas*, ſeu ſerpentes ab iis productos, *virga Aaronis deglutiverit.* * Exod. VII. 12.

XXX. SECUNDÒ, quod ad *mutationem aquarum in ſanguinem*, patet quidem Moſem & Aaronem aquas omnes rivorum & fluviorum Ægypti in ſanguinem mutâſſe, adeò ut Ægyptii aquam quam biberent reperire non poſſent. Sed cùm additur, Magos *ſic etiam feciſſe*, ℣. 22. id intelligendum ſolummodò eſt de quibuſdam aquæ vaſibus, quæ in Aula ipſis producta ſunt, quæque, admixtô pulvere quodam, facillimè in colorem rubrum verti potuêre. Quòd autem nonniſi de exigua aquæ copia hæc Magorum operatio intelligenda ſit, hinc certo certiùs conſtat, quòd eo tempore quô id egerunt, univerſæ Ægypti aquæ, Moſis & Aaronis miraculo, in ſanguinem jam verſæ eſſent. Itaque, dum res in eo ſtatu verſarentur, dum aquæ omnes Ægypti eſſent ſanguineæ, cogerenturque Ægyptii foſſas excavare, unde aquam puram hauirent, tunc vas tantùm aliquod illius aquæ fodiendo é terra eductæ, aut ab Iſraëlitis acceptæ, ſpeciminis ergò Magis oblatum eſt, quo vires

* *Moyſi veritas mendacium devoravit*, TERTULLIAN. Lib. de Anima cap. 57.

vires ſuas experirentur. In exigua verò illa aquæ copia, quàm facile fuit, ut jam diximus, injectô aliquô pulvere, vel aliâ phyſicâ operatione, ſanguineum colorem producere? At verò, quàm curta fuerit Magorum potentia, ex eo patuit quod non potuerint Ægyptiis aquæ inopia laborantibus ſuccurrere, rivóſque ac fluvios Ægypti in priſtinum ſtatum reſtituere; quod Moſis & Aaronis precibus effectum eſt.

XXXI. Supereſt TERTIUM Prodigium, *Ranæ*: Quæ quidem à Moſe & Aarone per totam Ægyptum adductæ ſunt: Sed, quod ad Magos, nonniſi quendam Ranarum numerum, in Aula coram Pharaone producere protuerunt. Etenim, quemadmodum in ſuperiori Miraculo obſervavimus, Ranæ à Moſe adductæ adhuc erant per totam terram Ægypti, cùm Magi *ſimiliter feciſſe* dicuntur, Exod. VIII. 7. Itaque hoc unum à Magis fieri potuit, ut Ranas quaſdam, experimenti cauſſâ, coram Pharaone adducerent. Quid verò facilius Viris ejuſmodi, qui multos habebant fautores, multos ſervos, & magna pollebant apud Aulicos gratia, quàm certum Ranarum numerum ab amicis aut ſervis quibuſdam abſcondi curare, eáſque præſto habere, quo tempore oportuit? Poſtmodum verò, neque ranas à tota Ægypto removere, neque pediculos inducere, vel alias plagas imitari potuerunt: Manifeſto indicio, in rebus quidem facilioribus, ſuam ipſos fraudem juvâſſe, ſed in difficilioribus nihil valuiſſe.

XXXII. Nec objiciendum, *ſi fraus fuerit, debuiſſe Moſem fraudem aperire; Quod tamen nullatenùs facit, contrà rem totam eo modo narrat, ut vera ac realia Miracula, ſuis ſimilia, videatur innuere.* Etenim Moſi ſatis fuit, publicam ac ſplendidam in Magos illos reportâſſe victoriam, abſque ulteriori in fraudem ipſam, ejúſque circumſtantias, inquiſitione, quæ difficilior hauddubiè fuiſſet, & deficientibus teſtibus, qui pro ſe facerent, ad convictionem uſque deduci non potuiſſet. Ut jam mittamus, quòd ſi plenius intelligeremus Linguam Hebraïcam, videremus fortè, vel ipſos titulos, quibus Magos indigitat Moſes, מכשפים, חרטמים, vel ipſum nomen *Carminum*, ſeu incantatio-

num, quibus eos uſos dicit, לחשיהם, artem fraudulentam plus ſatis notâſſe.

XXXIII. Sed & quod Moſes non ſemel dicit, poſt narrata ſua Miracula, Magos quoque *eadem feciſſe*, id non ita urgendum eſt, quaſi utrobique vera ac realia Miracula indigitentur; ſiquidem & de pediculis, quos tamen Magi producere non potuerunt, idem dicitur, Exod. VIII. 18. Itaque, in tribus primis Miraculis, locutio illa notat, Magos ſecundùm externam ſpeciem eadem protuliſſe; Etenim quotidie, & in omni quidem ſermonum genere, res ita dicuntur fieri prout adparent: De pediculis verò, Magos eadem tentâſſe, iiſdem geſtibus uſos eſſe; quanquam eventus hac in parte ipſos deſtituit.

XXXIV. CÆTERUM, quæ de tertia & quarta Difficultate diximus, elucidandis ſimilibus Scripturæ locis abundè ſufficere poſſunt; nihil ut neceſſe ſit, ſingulis expendendis immorari. Qui plura volet, adeat Virorum Clariſſimorum, WERENFELSII & NOLTENII, Diſſertationes *, ſuprà jam à nobis laudatas, quibus multa notatu digniſſima hanc in materiam continentur. Duo tantùm, coronidis loco, hîc adjungemus. *Primum*; Iis Philoſophis atque Theologis, qui vulgarem ſententiam tuentur, contendúntque vera Miracula à Pſeudo-prophetis in gratiam erroris fieri poſſe, iis, inquam, nonnulla ſubinde excidere, quæ ſententiam ipſorum evertunt, noſtram verò non parùm confirmant. Inſtar omnium erunt verba Philoſophi celeberrimi ac ſubtiliſſimi JOH. LOCKII, Diſſertatione poſthuma de Miraculis. *Ab omni veri ſpecie abhorret*, inquit, *Deum velle prærogativam ſuam eò uſque deſerere, ut patiatur ſigilla divinæ ſuæ auctoritatis* (nempe *Miracula*) *ab eo quem ipſe non miſerit uſurpari, & ſuæ miſſioni adponi. Eventus illi ſupernaturales*, ſubjungit ille, *ſunt unicus modus, quem Deus ſibi reſervavit, ſaltem juxta ideas noſtras, ut Homines, quatenùs ſunt Entia ratione*

* Priori titulus eſt, *Solutio Quæſtionis, Num Miracula certa ſint Veritatis ſigna?* WERENF. Oper. p. 105. & ſeq. Baſil. 1718. Poſterior ſic inſcribitur; *Argumentum pro veritate Religionis Chriſtianæ ex Miraculis defumtum, ab iis autem qui eadem ope Satanæ patrari poſſe contendunt, haud parùm labefactatum, nativo nunc roberi reſtitutum.* Francof. ad Viadr. An. 1718.

ne prædita, certiores reddat de veritate eorum quæ ipſis revelare dignatur; neque permittere unquam poteſt, ut ſibi eripiatur, conſiliisque Entis inferioris ſibi adverſi famuletur. LOCKE Poſthum. Works, p. 227. 228.

XXXV. *Alterum*, quod hîc adjungimus, hoc eſt; Sententiam à nobis defenſam, de ſolo Deo verorum Miraculorum auctore, Miraculis verò falſorum Doctorum in fabularum vel merarum fraudum cenſum relegandis, novos quotidie patronos nanciſci, quorum eruditione & auctoritate non parùm confirmatur. Certè, dum hæc chartæ mandamus, in manus noſtras incidunt noviſſima volumina Commentariorum *Academiæ Inſcriptionum & politiorum Literarum* Pariſienſis; In quorum ſexto, Editionis Hagienſis p. 59. & 76. duæ occurrunt Diſſertationes eruditiſſimæ; una Abb. ANSELME, de *Miris apud Ethnicos narratis*; altera Dom. FRERET, de *Prodigiis quorum apud Veteres mentio.* In utraque verò, doctiſſimi illi Viri apertè nobiſcum faciunt, & multa egregia hanc in rem habent. Loca brevitatis ſtudio hîc omittimus; ſed iis fortè in ſequentibus utemur, cùm de Miraculis Ethnicorum verba faciemus.

FINIS.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO XV.

Quæ est APOLOGETICA V.

PRO

VERITATE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

Adversùs Incredulorum Difficultates.

Habita est disputatio, respondente JOHANNE ALPHONSO FATIO *Genevensi.*

THESIS PRIMA.

OStendimus in antecedente Dissertatione, ea Miracula quæ Magis Ægyptiis in Sacro Codice adscribi videntur, vera Miracula neutiquam fuisse, sed meras fraudes, meras astutias, quales ab Agyrtis & Circulatoribus quotidie in vulgus eduntur. Quò plus autem materiam illam animo versamus, eò magis in ea confirmamur sententia; eámque solam, vindicandis

dis Dei Virtutibus, Veracitati, Sanctitati, Bonitati, Sapientiæ, defendendóque argumento, pro veritate Revelationis, é Miraculis ducto, idoneam exiſtimamus. Quamobrem, ſi novis quibuſdam eam adſtruamus rationibus, aliiſque nonnullis ejuſdem generis difficultatibus occurramus, haudquaquam metuimus ne tempus atque operam malè collocâſſe videamur.

II. Certè, qui ea Prodigia, quæ Magis Ægyptiis adſcribuntur, verè contigiſſe exiſtimant, non animadvertunt, ſe, nebulonibus illis, vel Diabolo eorum Magiſtro, opera longè maxima, imò planè divina, adſcribere. Quid enim majus atque divinius, quàm corpora organica, exquiſitiſſimi artificii, qualia ſunt corpora Animantium, Serpentum putà atque Ranarum, ſubitò, nullâ morâ, ſolo verbo, ſolo juſſu, condere? Inter opera Creationis, quæ Deum auctorem clariſſimè demonſtrant, eminet, Sapientum omnium judicio, pulcherrima illa, neque ſatis unquam admiranda, Animantium fabrica. Videatur, inter Ethnicos ipſos, quàm vividè & copioſè argumentum illud urgeat CICERO, Lib. II. *de Natura Deorum*; & inter recentiſſimos Exiſtentiæ Dei defenſores, quanta demonſtrationum vi atque pondere illud exornent, FENELO Archiepiſcopus Cameracenſis, RAY, DERHAM, NIEWENTYT, aliique. Quid igitur? An ſplendidum illud Divinitatis indicium, cum impudentiſſimis Dei Adverſariis, ſceleſtiſſimóque illorum capite, Diabolo, communicabimus? Quis credat Deum Opt. Max., gloriæ ſuæ zelotypum, tantam efficaciam, tantam gloriam, Inimicis ſuis tribuiſſe, quâ, vel argumentum illud Divinitatis evaneſceret, vel Diabolus, ejúſque mancipia, in Numina converterentur?

III. Rursùs, ſi tantùm potentiæ habuerunt Incantatores illi Ægyptii, ut tria prima Moſis miracula verè imitari potuerint, quidni & cætera pari modo potuerint edere? Si Dracones, ſi Ranas, cum ſuis omnibus organis, quidni & pediculos eâdem illâ virtute fabricârunt? An plus operis atque induſtriæ in his quàm in illis deprehenditur? Contrà, ſi mera fraus fuerit, prout nos exiſtimamus, quanquam rationes diſcriminis ſigillatim & pro certo adſignari nequeunt, haud improbabiles tamen conjecturâ adſequi licet.

Nec enim mirum aut insolitum est, eos qui bis aut ter decepérunt, si quartâ vice fraus ipsos deficiat. Fortè imparati ad pediculos producendos vocati sunt. Fortè, qui iis ministrabant, præstò non fuerunt. Fortè pediculi, qui producerentur, non sunt reperti, vel reperti aufugêre. Quis enim, in tanta temporis distantia, tantáque narrationis brevitate, singularum rerum rationes dispicere atque indicare valeat?

IV. Ad hæc, si Dracones & Ranas verè produxerint Magi, quidni & eas, deprecante Pharaone, removerunt, iisque plagis Ægyptum liberârunt? Quippe facilius multò est, Animalia interimere, quàm eadem producere. Nam ad ea quidem producenda, (extra ordinem scilicet) insignis, imò divina planè, requiritur solertia. Ad ea verò interimenda, vel minima ac debilissima caussa sufficit. Atque idem de aquarum in sanguinem mutatione adfirmari potest: Quòd si enim Magi aquas omnes in sanguinem verè mutaverint, cur sanguinem vicissim in aquas non potuerint convertere, sícque Ægyptiis aquæ inopia laborantibus succurrere, ratio nulla adferri potest.

V. Dices, „Divinam Providentiam in eo eluxisse, quòd per„miserit quidem Magos illos, ad certum usque gradum, Mo„sis prodigia imitari, sed non passa sit paria ipsos In omnibus „perficere, uti nec plagas illas, postquàm illatæ fuissent, remo„vere. „ R. Sed nonne simplicius est, rerúmque ordini convenientius, si dicamus, eò usque progressos illos, quò fraus ipsorum pertingebat; postmodùm (quod Planis omnibus accidit) fraudem ipsos defeciisse, sícque suæ artis vanitatem, & contrà veritatem Dei Israëlis luculento experimento prodidisse? Hæc certè hypothesis haud paulò planior est, rerúmque naturæ convenientior, Deíque Virtutibus dignior, quàm si dicatur passum esse Deum, ad certum usque gradum, in gratiam Erroris ac Idololatriæ, rerum Naturæ ordinem inverti; adeóque Diabolum, ejúsque ministros Magos, ad certum usque gradum, Dei potentiam participare. In hypothesi nostra, nihil nisi humanum accidit, nihil nisi consuetum, nihil quod vel minimo obtentu Deo imputari queat. In altera hypothesi, rerum Natura, si ita loqui

qui liceat, impuriſſimis Spiritibus violanda permittitur, hominéſque etiam cautiſſimi & prudentiſſimi in extremum atque inſuperabile deceptionis periculum adducuntur.

VI. Regeres, „utrobique permittere Deum, ut Homines de„cipiantur. Sive autem id fiat modo naturali, ſive ſupernatu„rali, ſive humana, ſive plus quàm humana fraude, par utro„bique deceptionis periculum eſſe, & parem utrinque (abſit „blaſphemia) Divinæ Providentiæ intentari litem poſſe.„ &c. At verò longum latúmque diſcrimen inter duo illa deprehenditur. In priori caſu, (ut ſuprà jam diximus) nihil niſi humanum eſt. Atqui, adversùs humanas inſidias, hominum eſt ſibi cavere; Si decipiantur, ſibi imputent; Saltem nihil eſt, cur de ſummo Rerum Arbitro cum ratione conquerantur; utpote qui adversùs humanas fraudes munimentum idoneum, uſum nempe Rationis, hominibus ſubminiſtravit. Secùs ſe res habet in altero caſu; putà ſi, volente Deo, vel efficaciter permittente, quædam opera, in gratiam Erroris, præter vel contra Naturæ ordinem fiant; ſi ſolo verbo, exempli gratiâ, inſanabiles morbi curentur, vel producantur Animantia, vel mortua excitentur, &c. Hæc qui videbit, claréque perſpiciet, iſta Naturæ ordinem excedere, non ad alium utique quàm ad Naturæ Auctorem referet. Visô illô Dei ſigillô, Literas quibus adhæret divinas eſſe interpretabitur. Lectis fiduciariis illis Literis, quin ii qui eas exhibent verè à Deo miſſi fuerint, neutiquam dubitabit. In quo ſi erret, habebit profectò, quod in ſui excuſationem adferat; nec, quomodo ab inſidiis illis ſibi cavere potuiſſet, perſpicitur. Optimè hanc in rem, ingenioſiſſimus Hiſtoriæ Oraculorum * Scriptor: *Hominum eſt*, inquit, *ſibi cavere ab erroribus, in quos conjici ab aliis hominibus poſſunt. Sed ad vitandas eas deceptiones, quæ à Geniis humana natura ſuperioribus orirentur, nihil virium habent. Sat in me luminis eſt, ut expendam, utrùm Statua loquatur, necne: At, ſi eam loqui conſtet, non poſſum quin divinitatem aliquam ei adſcribam. Denique, non ad aliud, bonitatis ſuæ legibus, adſtringitur Deus, niſi ut ab iis*

* FONTENELLE *Hiſtoire des Oracles*. Diſſert. I. Ch. 5.

me fallaciis ſervet, à quibus ſervare meipſum non poſſem. In cæteris, Rationis meæ eſt, officium ſuum implere.

VII. Sunt qui dicant, „non quidem res ipſas à Magis Ægy„ptiis mutatas, ſed oculos ſpectantium omnium ita adfectos at„que faſcinatos, ut ea, quæ non videbant, ſe videre exiſtima„rent.„ &c. Verùm non cogitant, qui ita ſentiunt, ſe, pro uno Miraculo, Miraculorum myriades Magis illis adſcriptum ire; dum totam Aulam Pharaonis, imò totum Ægypti regnum, ita deluſum atque faſcinatum à Præſtigiatoribus illis exiſtimant, ut ſe putarent videre Serpentes, ubi nulli erant Serpentes; Ranas, ubi non erant ranæ; Sanguinem, ubi non erat ſanguis. Quod ut fieret, immenſa prorsùs potentia requirebatur: Nam unum é tribus fieri neceſſe erat; vel radios lucis ita pelli & modificari, ut, pro objectis veris ac præſentibus, fictitia exhiberentur; vel oculos ac cerebra Adſtantium omnium ita pulſari, quaſi præſtò eſſent quæ aberant; vel denique Mentes ipſas immediatè adfici, eaſdémque iis imprimi ſenſationes, quas præſentibus objectis illis ſuiſſent habituræ: Quorum unumquodque, non ſine maximis, imò verò innumerabilibus Miraculis, fieri poſſe, quiſquis ſedulò ad rem adverterit, facilè perſpiciet.

VIII. Inſtant iterùm qui vera Miracula Magis Ægyptiis adſcribenda cenſent, &, „Quis vos docuit, inquiunt, quò uſ„que ſe extendat Spirituum, cùm bonorum, tum malignorum, „potentia? Si verò id ignoretis, quî fit ut negetis, hæc vel illa „Prodigia, ab iis, aut eorum miniſtris Magis, fieri poſſe? „ &c. Verùm parcant Viri Doctiſſimi, qui ita ratiocinantur, non ſtringit hæc inſtantia. Quid enim? An, quia ignoramus qualis & quanta ſit Cacodæmonum potentia, ideò debemus malignos illos Spiritus in Numina convertere, operationéſque planè divinas iis adſcribere, qualis eſt ſubita Animantium productio, ſolo verbo, ſolo juſſu, qualis & mortuorum ſuſcitatio, futurorum prænuntiatio, aliáque idgenus? Certè, qualiſcunque noſtra ſit de Cacodæmonum poteſtate ignorantia, hoc ſcimus, divinam ſapientiam & ſanctitatem haudquaquam decere, tanta impuros illos Spiritus poteſtate donare, ut Naturæ ordinem pro lubi-

lubitu invertant, ſigillum quô Deus Revelationes ſuas confirmat, Miracula nempe, ſibi vendicent, ſicque homines in præſentiſſimum planéque ineluctabile deceptionis periculum conjiciant.

IX. Cum igitur, neque opera ipſa, quæ Magis adſcribi videntur, neque phantaſticam & portentoſam eorum repræſentationem, exhibere potuerint, ſequitur ut meræ fraudi, meræ verſutiæ, qualis Agyrtarum eſſe ſolet, hoc quidquid eſt acceptum referamus. Certè JOSEPHUS Hiſtoricus, * quanquam alibi circa Magiam & Incantationes nimio plus credulus, artem merè humanam Magis Ægyptiis adſcribere videtur. Moſem quippe inducit Pharaoni adfirmantem, opera ſua Magorum operibus tantum præſtare, *ὅσῳ τὰ θεῖα τῶν ἀνθρωπίνων διαφέρει, quantùm divina humanis diſtant.* Mox & innuit, ea, quæ Magi operabantur, nihil fuiſſe aliud quàm *πλάσιν τῆς ἀληθοῦς δόξης, fallacem veræ gloriæ imitationem.* Neque verò quidquam, in iis quæ Magi præſtiterunt fuiſſe, quod non per fraudem atque aſtutiam facili negotio explicari queat, in ſuperiore Diſputationis hujus parte demonſtrâſſe nobis videmur.

X. Liceat duo teſtimonia recentiſſima pro ſententia noſtra adducere, Virorum nempe doctiſſimorum, ANSELME & FRERET, in iis Diſſertationibus † quarum nuper mentionem injecimus. Sic ille, versùs finem Diſſertationis de *Miris apud Ethnicos narratis*: OPUS, *quod Naturæ Leges ſuperat, nonniſi ab Auctore Naturæ perfici poteſt: Deúſque propriæ bonitati & ſapientiæ contrarium ageret, ſi pateretur Cacodæmones vera Miracula edere poſſe; tunc enim in ſecernendis utriuſque partis Miraculis magnum eſſet periculum, iis non minùs confirmando errori quàm veritati inſervientibus.* Et mox: *Quantiſcumque præſtigiis miſeris Mortalibus illuſerit Cacodæmon apud Ethnicos, nihil tamen præſtitit Natura ſuperius, cujus Legum pro lubitu invertendarum poteſtatem non habet. Atque hinc fit, ut, cùm Scriptura de Miraculis Pſeudo-Chriſtorum aut Antichriſti loquitur, eorum falſitatem innuat,*

* JOSEPH. *Antiquit. Judaic.* Lib. II. Cap. XIII. §. 3. Edit. Hudſon.

† MEMOIRES *de Literature de l'Academie des Inſcriptions & Belles Lettres*, Edit. de la Haye, Tom. VI. p. 74. 75. 76.

in ſignis, *inquit*, & prodigiis mendacibus. Eidem ſententiæ adſtipulatur alter à nobis laudatus Scriptor, Diſſert. de *Prodigiis quorum apud Veteres mentio*: Cujus in limine agnoſcit Auctor, quòd ſi opera *ſupernaturalia pro Ethniciſmo facta eſſent, dicendum eſſet Deum ipſum in gratiam Cacodæmonis Miracula edidiſſe, adeóque iiſdem auxiliis ad homines in errore confirmandos uti voluiſſe, quibus ad veritatem confirmandam uſus fuerat: Quæ Hypotheſis admitti nequit*, addit ille, *quin vis omnis argumenti pro vera Religione é Miraculis ducti, penitùs evertatur.*

XI. ET hîc quidem ſubſiſtere animus erat, neque alias Difficultates é Scripturis petitas adtingere. Verùm, ob materiæ adfinitatem, placet aliquid addere de *Pythoniſſa Endorenſi*, cujus factum I. Sam. XXVIII. narratum, haud contemnendæ, contra argumentum é Miraculis ductum, objectioni materiam præbet. „Quid enim mirabilius, inquiet aliquis, quid magis ſupra „communem Naturæ ordinem, quàm Prophetam defunctum é „mortuis evocare, qui cladem exercitûs Iſraëlitici, proximámque Saülis & filiorum ejus mortem, infelici illi Regi prænuntiet? Si verò tantum Miraculum fatidica Mulier operata eſt, „vel Diabolus ejus miniſterio, quodnam robur, in Miraculis & „Vaticiniis, ad probandam Revelationis veritatem, poteſt ſupereſſe?„ Talis eſt QUINTA Difficultas; quam breviter enodare operæ pretium videtur.

XII. Hîc opus non eſt Criticè diſquirere, quid eſſet אוב, quid בעלי אוב, apud Hebræos. LXX. ἐγγαστρίμυθοι vertunt; Vulgata Verſio *habentes Pythonem.* Hoc conſtat, Mulierem hanc ex iis Divinis ſeu Hariolis fuiſſe, qui *Necromantiæ* operam dabant, &, conſultis vel evocatis Mortuis, res futuras eorum auxilio ſe prædicere gloriabantur. Tales Hariolos, juxta Divinæ Legis præſcriptum, é terra Iſraëlitica expulerat Saül. Verùm ſe abdiderat Endore Mulier iſta, ibíque clam ſuam artem exercebat. Cùm igitur Saül à Philiſtæis premeretur, neque ipſi Deus, ſive per Prophetas, ſive per Urim & Thummim, reſpondiſſet, pavefactus, nec ſui compos, à ſuis petiit, ut ſe ad mulierem aliquam fatidicam ducerent. A quibus cùm audiviſſet, unam Endore eſſe,

ſe, mutatis veſtibus, cum duobus viris nocte ad eam ivit; ab eáque petiit, ut ſibi accerſeret Samuelem. Dicto paruit Mulier. Non tamen quidquam vidit Rex, neque ipſius comites, ſed ſola Mulier; quæ cùm aliquid vidiſſet, vel ſe videre ſimulàſſet, quod Samuelem credi volebat, exclamavit voce magna, & dixit Saüli, *Quare me decepiſti? Tu es enim Saül.* Dixit Rex, *noli timere: quid vidiſti? Vidi* אלהים, reſpondit illa, hoc eſt, quendam *divina ſpecie*, vel aliquem *Judicem* aut *Magiſtratum*, *adſcendentem è terra.* Cujus cùm habitum deſcripſiſſet Mulier, hincque collegiſſet Saül, Samuelem eſſe, ſéque coram eo proſtraviſſet, *Quare inquietâſti me*, dixit Saüli, *ut ſuſcitarer?* Rex ei miſerum ſuarum rerum ſtatum exponit. Samuel, vel quiſquis is fuit qui ejus perſonam agebat, Saülem acriter arguit, ipsique cladem Iſraëlitarum, ſuámque & filiorum mortem prænuntiat. *Cras*, inquit, *tu & filii tui mecum eritis.*

XIII. Talis eſt ſumma Hiſtoriæ; De qua tres potiſſimùm hypotheſes à Viris Doctis prolatæ ſunt, hodiéque proferuntur. *Primò*, ſunt qui putent Samuelem ipſum, vel ſaltem ejus animam, evocatam adparuiſſe. Ita *Sirac.*, Eccleſiaſtici XLVI. 21. Ita Judæi plerique. Ita & veteres Chriſtiani non pauci, *Juſtinus Martyr*, *Origenes*, *Ambroſius*, aliique; qui & colligebant ex hac Hiſtoria, animas piorum ante Chriſtum defunctorum fuiſſe ſub poteſtate Diaboli. Quibus & accedunt Pontificii penè omnes, qui in Mortuorum evocationibus aliquid præſidii Purgatorio ſuo eſſe exiſtimant. *Secundò*, ſunt qui dicant, nihil aliud fuiſſe quàm Spectrum, cujus organo Diabolus uſus ſit, & imminentia Saüli fata prædixerit. Sic multi inter Veteres, & recentiorum Theologorum quamplurimi. *Tertiò*, ſunt qui, neque Samuelem, neque Spectrum, fuiſſe cenſeant, ſed meram fœminæ hujus fraudem, quæ Regi pavido ac ſuperſtitioſo hac ratione illuſerit. Et huic etiam ſententiæ fautores non deſunt, ſi non numero, ſaltem eruditione atque ingenio ſe commendantes. Nos, cum bona venia Virorum Doctorum qui aliter ſentiunt, duas priores hypotheſes, non modò non neceſſarias, ſed & graviſſimis incommodis obnoxias, tertiam verò commodiſſimam, atque omnibus Facti circumſtantiis conſentaneam, exiſtimamus. XIV.

Digitized by Google

XIV. Nam, ad *primam* quidem quod adtinet, quàm durum eſt, quàm ab omni veri ſpecie alienum, animas piorum Dei ſervorum, imò & inſignium Prophetarum, poſtquam é vita exierint, atque in ſedem beatitudinis tranſlatæ ſint, in poteſtate Diaboli eſſe, qui eas, ad votum impuræ Præſtigiatricis, é beato ſuo domicilio extrahat, & in hanc lucem revocet, non ſine magna ipſarum reluctantia, prout vel ex his ipſis verbis, *Quare inquietaſti me*, colligere licet? An convenit Dei bonitati, an convenit ejuſdem ſapientiæ, dilectiſſimas Mentes, in quas, dum in vivis eſſent, nihil imperii Diabolus habuit, poſtquam é vivis exceſſerint, eidem ſubdere; earúmque felicitatem, quoties voluerit ſceleſtiſſimus ille Spiritus, turbari permittere? Verùm demus, eas evocari: Unde conſtat Defunctos, etiam piiſſimos ac illuſtriſſimos, futuri præſcios eſſe? Fuerat hæc quidem una ex inanibus Ethniciſmi opinionibus, quæ Negromanticis ſuperſtitionibus anſam præbuit: Sed quis ferat, Judæos, ipsóſque etiam Chriſtianos, ejuſdem erroris ac ſuperſtitionis adſeclas eſſe?

XV. Dices, „non ipſius quidem Mulieris virtute, & Dia„boli efficaciâ, ſed Deo volente atque operante, evocatum Sa„muelem eſſe, & futura prædixiſſe; ut ſcilicet caſtigaretur Saül, „& in maximum terrorem conjiceretur.„ &c. Verùm, quis credat, Deum Opt. Max. ſuam efficaciam impudentiſſimæ Mulieri commodare voluiſſe, ad ejus nutum Samuelem excitare, hujúſque ore futura prænuntiare? Certè, non potuiſſet non eventus ille maximam huic Mulieri auctoritatem conciliare, artéſque Magicas plurimùm confirmare. Et cùm noluiſſet Deus, per vias à ſe inſtitutas, per Prophetas nimirùm, aut per Urim & Thummim, Saüli reſpondere, an credibile eſt, ei ad artes vetitas recurrenti, eámque Mulierem conſulenti, quam é medio tollere Lex Dei jubebat, reſpondere voluiſſe, eúmque in finem Miraculum longè maximum, qualis erat Samuelis ſuſcitatio, adhibuiſſe? Sanè hæc omnia, & alia inſuper quæ jam omittimus, ejus ſunt ponderis, ejus evidentiæ, ut mirum ſit ſententiam hanc tot patronos habuiſſe, hodiéque habere, inter Chriſtianos.

XVI. Nec dicendum, „Hiſtorici Sacri narrationem innuere, Sa-

„Samuelem ipſum adparuiſſe.„ Etenim nemo neſcit, Scriptores ſacros, quemadmodum & alios omnes, res ſæpenumerò, non quales in ſeipſis erant, ſed quales adparebant, narrâſſe: Cujus rei exempla non pauca adferri poſſent. Hic certè pronum erat rem ita narrare. Petit Saül, Samuelem ſibi adduci. Id pollicetur fœmina, eique Saül fidem adjungit. Quid mirum ergo, ſi res eo modo efferatur, atque is qui pro Samuele habebatur, & Samuelis partes agebat, Samuel nuncupetur? Sunt tamen & multa, in ipſa narratione, (præter ea quæ jam notavimus) quæ verum Samuelem fuiſſe planè diſſuadent. Si enim fuit Samuel, vel fuit in anima & corpore, vel fuit anima ejus tantùm. Si fuit in anima & corpore, quî fit ut ejus corpus à Saüle non videatur, nec ab ejus comitibus, ſed tantùm à Pythoniſſa? Si fuit anima ejus tantùm, quid ſibi vult figura illa, quam conſpicit Mulier, quámque Saül, ex habitu atque veſtitu, Samuelem eſſe concludit? Rursùs, quis credat, verum Samuelem conqueſturum, *ſe inquietatum eſſe*? Nam ſi rediit, rediit Deo volente atque permittente, imò verò & Deo operante, ut multi ex iis quos refellimus exiſtimant: Quis verò putet, Pios defunctos, & peccati expertes, nonniſi reluctantes Dei voluntatem implere? Ad hæc, ſi verus fuiſſet Samuel, mitiùs hauddubiè Saülem compellâſſet, & ad pœnitentiam hortatus eſſet, de qua ne verbulum quidem objurgationibus & vaticiniis ſuis adjungit. Denique, cùm longè diverſus futurus ſit, piorum & impiorum, Deo morigerorum & immorigerorum, in vita futura ſtatus, credibile non eſt dicturum Samuelem, Saülem poſtridie *ſecum futurum eſſe*: Saltem hæc locutio adcurata non fuiſſet, neque reliquo Samuelis ſermoni conſentanea. Quæ omnia ſi adtendantur, patebit utique narrationem ipſam, ejúſque circumſtantias, veri Samuelis adparitioni non ita favere ut prima fronte videtur, quinimò & multa contra eam argumenta ſuppeditare.

XVII. Teſtimonium *Eccleſiaſtici* XLVI. 21. non multùm nos movet; utpote qui Librum illum inter Canonicos non numeramus, uti nec ab Eccleſia Judaïca, nec à Vetere Chriſtiana, numeratus fuerat. Habet quidem egregia multa, & lectu di-

gnissima: Sed & quædam humanæ imbecillitatis indicia simul occurrunt; inter quæ profectò eminet locus iste de Samuele, qui vel unus, si alia desint, ei à Canone excludendo abundè sufficeret. Et quod ad Veteres illos Patres, *Justinum Martyrem*, *Origenem*, *Ambrosium*, *Augustinum*, aliósque, utique homines erant, adeóque errori obnoxii: Imò verò toties illi, támque graviter nonnunquam, in interpretanda Scriptura lapsi sunt, ut eorum auctoritas, adversùs rationes gravissimas ac evidentissimas, quales hic esse ostendimus, prævalere neutiquam possit. Hic locum habet, si alibi uspiam, AUGUSTINI ipsius regula. * *Ego*, inquit, *solis iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errâsse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideò verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili aliqua ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Ut jam mittamus, Ecclesiæ Patres in diversas hîc partes ire, multósque, ut *Tertullianum*, *Basilium*, *Gregorium Nyssenum*, *Hieronymum*, *Eustathium Antiochenum*, *Procopium Gazæum*, aliósque, primâ rejectâ sententiâ, secundam vel tertiam anteponere.

XVIII. *Altera* sententia, de spectro Samuelis à Diabolo fabricato atque animato, & cujus ore Diabolus fata Saülis prædixerit, non minùs gravibus ac intolerandis laborare incommodis nobis videtur. Ut mittamus enim, ne verbum quidem in sacro Textu esse, nec de Spectro, nec de Diabolo, unde constat potestatem illam, Spectra fabricandi atque animandi, ac per ea miseris Mortalibus illudendi, Diabolo inesse? An id docet Ratio? Nemo id dixerit. An Revelatio? Nec id etiam dici potest. Fuerunt hæc Ethnicismi somnia, apud quem nescio quot fabulæ de Lamiis & Lemuribus venditabantur. Certè, si talis facultas, *Spectra*, hoc est, Corpora similia Corporibus Defunctorum, fabricandi atque animandi, eorúmque ore loquendi, penès Diabolum esset, quàm misera esset Viventium sors? quanta occa-

* AUGUSTIN. Epist. 19. ad Hieron.

occaſio ipſos perpetuò decipiendi atque terrendi? Et quàm impoſſibile eſſet, ab ejuſmodi deceptionibus ſibi cavere? Quis ergo credat, Deum Opt. Max., & humani generis amantem, talem poteſtatem ſceleſtiſſimo Enti, ſibi rebelli, bonique omnis oſori, concedere voluiſſe? Sed, quod durius longè, atque à vero alienius nobis videtur, ea eſt futuri notitia, quam Diabolo tribuunt ſententiæ iſtius fautores. Quis enim neſcit, futuri notitiam prærogativam Dei eſſe? Et quis ignorat, quàm vividè, & quanta verborum emphaſi, eam ſibi adſerat, & propriam faciat, apud Eſaïam. * *Declarate res venturas*, ait, *& noſcemus vos eſſe Deos. Quis ille eſt, qui res iſtas declaravit ab initio*, &c. Dices, „ Diabolum multa nôſſe, é quibus de futuro judicium ferre poteſt; hócque pacto, quænam fata Saülem manerent, „prædicere potuiſſe.„ Sed profectò Diaboli ſagacitate hanc in rem opus non erat, quemadmodum jamjam videbimus.

XIX. Scio quoſdam eſſe qui emolliant ſententiæ illius duritiem, dicendo, „non Diabolum, ſed Deum ipſum, Spectrum „illud excitâſſe, & futura ejus ore prænuntiâſſe.„ &c. Verùm cogitent, qui ita ſentiunt, quàm indignam Deo Opt. Max. perſonam adfingant. Faciunt eum (abſit blaſphemia) impuræ Præſtigiatricis famulum. Faciunt eum, Artium Necromanticarum confirmatorem & commendatorem. Faciunt eum ſibi ipſi manifeſtè contradicentem, dum ex una parte tales Hariolos in Lege ſua morte damnabat, ex altera parte ipſis ad terrendum Saülem utebatur. Quæ omnia qui concoquat, næ illi ſtomachus eſt plus quàm ferreus.

XX. Cùm igitur, neque ipſum Samuelem, neque ejus Spectrum à Diabolo animatum, vel à Deo ipſo adductum, fuiſſe adpareat, ſequitur, ut ad *tertiam* ſententiam accedamus, quæ meram fuiſſe Pythoniſſæ fraudem ſtatuit. Quæ re verâ ita rationi conſentanea eſt, omnibúſque narrationis circumſtantiis ita aptè reſpondet, ut adtentis Lectoribus ſponte ſe inſinuet, mirúmque ſit tot Interpretes, cùm Veteres, tum Recentiores, eam non ſubolfeciſſe. Paucis dicam. Rex imbecillo ingenio, qui, non

* Eſai. XLI. 23. 26.

ſemel in vita, dementiæ & melancholicarum paſſionum indicia dederat; ſuperſtitioſus, credulus, ad ineptiam uſque, ut vel ex conſulta hac Necromanti colligere licet; à Philiſtæis preſſus, pavefactus, extra ſe veluti poſitus; à Deo deſertus, ſolitiſque Dei reſponſis deſtitutus; denique tota die & nocte jejunus, quod ad metum & credulitatem augendam non parùm facit: Quàm facile fuit, talem hominem fallere, & quid non ipſi perſuaderi poterat? Mulier callida, vafra, ut erat ingenium fœminarum ejuſmodi, ad nequitias omnes & fallacias inſtituta, longóque uſu edocta. Statim ſimulat, ſe Regem non nôſſe, nec niſi accerſito Samuele in ejus notitiam venire; cùm tamen multis indiciis eum nôſſe potuerit, præſertim ex quo Samuelem adduci petierat. Rex nihil videt, (quod adprimè notari meretur) nihil vident ejus comites; Nemo quidquam videt præter Mulierem, quæ proinde quidquid volebat dicere potuit, & Regi imbecillo, tremebundo, ſemianimi, perſuadere; ſive ipſa locuta ſit, & vocem Samuelis ſimulaverit, ſive aliquem ſibi devotum, qui hiſtrioniam illam ageret, adduxerit. Denique, nihil dicit perſonatus ille Samuel, quod non, vel ex fama publica, vel ex Saülis comitibus, vel ex Saülis ipſius declaratione, nôſſe potuerit: Et quæ futura prænuntiat, ita probabilia erant, & cum præſenti rerum ſtatu ita conſentanea, ut, nec Oedipo, nec Diabolo, ad ea præſagienda opus fuerit. Cùm enim res Iſraëlitarum adtritæ eſſent, eorum exercitus territus, eorum Dux pavefactus, imbecillus, mentis inops, quàm facile fuit eorum cladem augurari; &, cùm Saül nihilominùs, ejúſque filii, bellica fortitudine haudquaquam carerent, eos in acie occubituros providere? Ut jam mittamus, non deeſſe Interpretes, qui adfirment, pugnam die ſequenti committi non potuiſſe, adeóque oraculum perſonati Samuelis adcuratè impletum non eſſe: Sed nos ultimam hanc obſervationem non moramur, ſiquidem vox מחר ſenſu latiore, pro tempore mox futuro, non rarò ſumitur. Sed quomodocunque hîc ſumatur, haud magnum utique, in vaticiniis illis, operæ pretium erat.

XXI. Vir doctiſſimus & celeberrimus, Jo. FRANCISCUS BUD-

BUDDEUS, Theologus Jenenſis præſtantiſſimus, cui, & Theologia, & Juriſprudentia, & quæ non Diſciplinæ? plurimùm debent, quémque nos maximi facere, hâc datâ occaſione, lubentes profitemur, in eruditiſſima ſua *Veteris Teſtamenti Hiſtoria*, * objectiones quaſdam protulit adversùs tertiam hanc Hypotheſim, quam nos amplexi ſumus: Quæ cùm nos non adficiant, ignoſcet Vir æquiſſimus & humaniſſimus, ſi, elucidandæ materiæ cauſsâ, non verò ullo litigandi ſtudio, ſuas illas objectiones examini ſubjiciamus, iiſque breviter & modeſtè reſpondeamus. I. Statim obſervat, quod *ſi cuncta per fraudes & fallacias facta eſſent, temporis quodam intervallo, ad hæc ita excogitanda & diſponenda, opus fuiſſet.* Verùm Mulieres ejuſmodi, ad omnem fallaciam inſtitutæ, longo tempore, multis conſiliis opus non habebant, ad ſuas fraudes diſponendas & exercendas. Hic in primis, quid facto opus eſſet, res ipſa ſtatim docebat: Ipſéque Rex ad deceptionem admittendam ita erat diſpoſitus, ut multæ ambages ad eum decipiendum quærendæ non eſſent. II. Non poteſt ſibi perſuadere Vir Clariſſimus, *Mulierem ſimulaturam ſe Regem non nôſſe, ſi ipſum noviſſet; Cùm neſciret illa, quam ob rem ad ſe veniret, cur ſimularet cauſſæ nihil fuiſſe; neque facilè cogitare illam potuiſſe, eo ſtatu quo res erant, Regem à caſtris diſceſſurum.* Sed, ut ſunt diverſa hominum judicia, fatemur nos ex eorum numero eſſe, quibus pluſquàm probabile fit, Mulierem hîc ſimulâſſe. Etenim Regem, quanquam mutato habitu, nec niſi duobus ſtipatum comitibus, multis indiciis cognoſcere potuit, à ſtatura, à facie, quis enim Palæſtinæ incolarum ipſum non viderat? à ſermonibus comitum ejus, quos hauddubiè callida Mulier, cùm per ſe, tum per alios, diligenter, magnáque cum ſolertia, ſciſcitata fuerat; imò & à propriis ejus ſermonibus, quàm facilè enim vir emotæ mentis ſeipſum prodit? Res quidem erat non ſani capitis, à caſtris tunc diſcedere: Sed nec ſano capite fuiſſe, plus ſatis adparebat. Quanquam verò illum agnoſceret, ex quo præſertim Samuelem petierat, tamen, cùm agnoſci nollet, ei ſtatim larvam non detrahit: Exſpectat Mulier verſuta, uſque

* HISTOR. Eccleſiaſt. Vet. Teſtam. Tom. II. p. 309. 310.

quedùm id quaſi à Mortuo accepiſſe videatur, indéque non exiguam ſuæ fraudi confirmationem adferat. III. Sed *quis credat, mulieri vocem Samuelis adeò cognitam fuiſſe, ut imitari eam auſa ſit? Si verò eam non rectè imitata eſſet, nonne id Saül ſtatim erat animadverſurus?* Imitata eſt vocem ſenilem, vocem Prophetæ & Magiſtratui convenientem. Quòd ſi verò Samuelis voci per omnia ſimilis non fuerit, quis miretur, inter vocem hominis viventis, & vocem ejuſdem mortui, aliquid diſcriminis eſſe? Præterea ita conſternatus, ita mentis impos erat Saül, ut nihil expenderet, nec de necromanticis illis operationibus vel minimùm dubitaret. IV. Addit Vir Clariſſimus, *ſermones perſonati Samuelis, ſimplicitatem mulierculæ, quantumvis callidæ, multùm ſuperare; non potuiſſe vetulam illam de rebus ad Regnum pertinentibus tam peritè ratiocinari, neque Saülis & Davidis fata divinatione quadam Politica prædicere.* At verò dubium non eſt, quin Saülem à Deo rejectum, Davidémque ei prælatum, in vulgus notum fuerit. Cùm ergo res Saülis peſſimo in ſtatu eſſent, certè nihil eſt in iis ſermonibus, quod mulier iſta, fortè Politices callentiſſima, ut erant plerumque Vates, fortè & monita atque inſtituta à Saülis comitibus, proferre non potuerit. V. Denique miratur Vir præſtantiſſimus, *cur non mulier, ſi impoſtura tantùm fuit, læta potiùs quàm triſtia prædicere voluerit, ſiquidem triſtis rerum exitus nullum periculum, lætus contrà magna præmia ei adferre potuiſſet.* Verùm nimis probat argumentum hoc, adeóque nihil probat; Facit enim contra triſtia omnia Auguria, Regibus ac Imperatoribus prolata, quæ tamen magno utplurimùm Vatibus ipſis uſui erant. Ad hæc, imminentia Saüli fata ita clara erant per ſeſe, ut metuere potuerit Mulier, ne, ſi læta prædixiſſet, ſe ridendam propinaret, ſuâmque omnem auctoritatem amitteret. Poſtremò, nec deſunt qui conjiciant, in odium Edicti contra Hariolos à Saüle promulgati, Mulierem in eo magis magiſque terrendo delectatam eſſe, ſpontéque cadentem, non modò non ſuſtentâſſe, ſed & fortiùs ad deſperationem & ruïnam impuliſſe.

XXII. Quamobrem (ut huic materiæ finem tandem imponamus) ex his quæ hactenùs diſputata ſunt, clarè patet, noſtro judi-

judicio, hoc quidquid eſt quod in hac Hiſtoria narratur, meram Pythoniſſæ fraudem, merum ejus ludum fuiſſe; proindéque, adversùs argumentum é Miraculis ductum, nihil inde concludi poſſe. Sed de his ſatis. Ad cæteras Difficultates jam tranſeamus.

XXIII. SEXTO, adversus argumentum é Miraculis & Prophetiis ductum, objiciunt, „ ſua etiam Miracula, ſuas Prophe„tias, Ethnicis non defuiſſe; fuiſſe apud illos, Oracula celeberri„ma, *Dephicum*, *Dodonæum*, aliáque; fuiſſe voces cœlitùs miſſas, „fuiſſe portenta innumera, quibus Hiſtoricorum Libri referti ſunt; „*Veſpaſianum*, v. g. cæco viſum, & manu ægro ſanitatem reſ„tituiſſe; *Hadrianum* quoque duos cæcos luce donâſſe; ſpeciatim „verò *Apollonium Tyanæum*, celebrem ſub Domitiano Philoſo„phum, Miracula innumera Chriſti Miraculis neutiquam inferio„ra patrâſſe; denique, quod ad Chriſti reſurrectionem & adſcen„ſionem in Cœlum, aliquid nihilo inferius in Hiſtoria Romana „occurrere, de *Romulo* nempe, qui dicitur in Cœlum ſublatus, „quemadmodum teſtatus eſt Vir notæ probitatis *Julius Proculus*, „qui jure jurando confirmavit, ſibi Romulum adparuiſſe, dixiſ„ſéque ſe inter Cœlites receptum Deum *Quirinum* à Romanis coli velle. Hæc aliáque hujuſmodi ab Incredulis congeruntur, ut, horum comparatione, fidem omnem Miraculis noſtris detrahant.

XXIV. Verùm, quicumque ad rem adtenderit, videbit immenſum diſcrimen eſſe inter Prodigia illa, quæ apud Ethnicos venditabantur, & ea quæ in ſacro Codice narrantur. Etenim, quod ad Miracula noſtra, illa à teſtibus fide digniſſimis referuntur, quemadmodum à nobis oſtenſum eſt. Imò verò, ipſa Mundi ad Chriſtianam Fidem Converſio, ſine armis, ſine divitiis, ſine humano ullo auxilio, vel ſi nihil aliud eſſet, luculentiſſimum præberet horum Miraculorum argumentum. At verò, longè alia eſt ratio miraculorum inter Ethnicos celebratorum. Etenim cordatiores Ethnici ea irridebant, vel dubia ſaltem ſatebantur. Itaque patet, nihil aliud fuiſſe, præter vanos Vulgi rumores, à nullo idoneo teſte confirmatos, imò & quorum falſitas claris indiciis ſæpiſſimè demonſtrabatur. *Oracula*, v. g. quid aliud erant, præter meras Sacerdotum fraudes, quibus Princi-

pes

pes & Reſpublicæ in rem ſuam utebantur. Nota eſt *Demoſthenis* argutia, qui Pythiam dicebat φιλιππίζειν, quòd ejus Oracula Philippo Macedonum Regi faverent. Nec minùs notum *Julii Cæſaris* dictum, cui cùm auguria læva nuntiata eſſent, *futura lætiora cùm vellet* *, reſpondit. Quid, quòd, ambigua utplurimùm erant Ethnicorum Oracula; velut illud,

Cræſus Halim penetrans magnam diſperdet opum vim.

ut & hoc,

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

De qua fraude Oraculorum, eruditè, non ita pridem, ſcripſit ANT. VAN DALE, Medicus Batavus: Cujus é libro multa quidem deſumpſit, ſed elegantiſſima forma donavit Clariſſimus DE FONTENELLE, in eximia ſua, & Attico ſale refertiſſima, *Oraculorum Hiſtoria*, digna omninò quæ legatur.

XXV. In genere, quæcunque Prodigia ab Ethnicis referuntur, vel manifeſtò falſa, vel dubia admodum adparent; quemadmodum ipſi Hiſtorici, qui illa in medium proferunt, ingenuè non rarò fatentur. Sic VALERIUS MAXIMUS, qui capita integra de Prodigiis & Auguriis habet, tamen illa omnia pro dubiis tradit. *Nec me præterit*, ait ille, † *de motu & voce Deorum immortalium, humanis oculis auribúſque percepto, quàm in ancipiti opinione æſtimatio verſetur: Sed, quia non nova dicuntur, ſed tradita repetuntur, fidem Auctores vindicent.* Pariter TITUS LIVIUS, qui Prodigia etiam magno numero narrat, ea tamen, in Hiſtoriæ limine, & alibi non ſemel, potiùs excuſat quàm tuetur. *Illa*, inquit ‡, *Poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum geſtarum monumentis, nec affirmare, nec refellere, in animo eſt. Datur hæc venia Antiquitati, ut, miſcendo humana divinis, primordia Urbium auguſtiora faciat. Sed hæc & his ſimilia utcumque animadverſa aut exiſtimata erunt, haut in magno equidem ponam diſcrimine.* Neque aliter Q. CURTIUS, poſtquàm Prodigia quædam narravit, *Equidem*, ait **, *plura tranſcribo quàm credo: Nam nec affirmare ſuſtineo de quibus dubito,*

* SUETON. in *Julio Cæſare*, Cap. 77. † VALER. MAXI. Lib. I. Cap. 8.
‡ T. LIVI. Lib. I. init. ** Q. CURT. Lib. IX.

dubito, nec ſubducere quæ accepi. Itaque patet Hiſtoricos ipſos, qui Miracula iſta referunt, ea non admodum confirmare; tantùm abeſt ut teſtimonium ſuum, inter cruces & ſupplicia, proprio ſanguine obſignaverint, & maximam Orbis partem, nulla vi, nulla arte, nullis humanis præſidiis, ad hanc fidem adduxerint, quemadmodum Apoſtoli. Ac proinde, nulla paritas inter illa inſtitui poteſt. Verùm, quoniam Miracula quædam, tum *Veſpaſiani*, tum *Hadriani*, tum *Romuli*, tum *Apollonii Tyanæi*, ſpeciatim opponuntur, placet verbum de ſingulis addere, ut pateat quàm infirmis nitantur fulcris, quámque proinde indigna ſint, quæ cum Miraculis in Sacro Codice narratis comparentur.

XXVI. Quod ad VESPASIANUM ſpectat, verum quidem eſt, *Tacitum* narrare *, eum, dum Alexandriæ in Ægypto verſaretur, hominem oculorum tabe laborantem, & alium manu ægrum ſanâſſe. Verùm ex ipſa narratione liquet, merum fuiſſe ludum, meram Ægyptiorum adulationem, ut peculiarem Numinum favorem, & imperium totius Orbis, Veſpaſiano portenderent. *Per eos menſes*, ait Tacitus, *quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa Miracula evenêre, quîs cœleſtis favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum oſtenderetur.* En ſcopum Miraculorum illorum. Scilicet ejuſmodi indiciis delectabantur Principes, ac ſpeciatim Veſpaſianus, cui & *Joſephus*, pari adulatione, Oracula ſuæ gentis aptaverat. Quamobrem, ut ipſi etiam adularentur Alexandrini, gens levis & mendax, ſi qua unquam fuit, unum vel alterum ægrotum, juſſu Serapidis, ad eum adduci curant, ut ab eo ſanarentur. Verùm, cùm ægri illi acceſſiſſent, tantùm abeſt ut Veſpaſianus virtutem divinam ſibi ineſſe ſentiret, ut contrà illos irriſerit, víxque induci potuerit, ut ſanationem illam tentaret. *Veſpaſianus, primò irridere, aſpernari*, ait Tacitus, *atque, illis inſtantibus, famam vanitatis metuere.* Egregium verò Miraculorum opificem, qui neſcit ipſe ſe virtute illa præditum eſſe, eóſque qui id ipſi perſuadere volunt, irridet! Quid verò faciunt Aulici, ut ſpem futuri Miraculi Veſpaſiano ingenerent?

* TACIT. Hiſt. Lib. IV.

Nimirùm conſuluntur Medici, qui reſpondent morbos illos *ope humana ſuperabiles eſſe, & ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari.* Sed quis non videt, judicium illud Miraculi pretium prorsùs tollere? Etenim, ſi morbi illi *ope humana* ſuperabiles erant, utique non magnum futurum erat Miraculum, illos ſanâſſe. Quid verò addunt, ut Veſpaſianum ad hoc opus tentandum excitent? *Id fortaſſe cordi Deis, & divino miniſterio Principem electum; denique patrati remedii gloriam penès Cæſarem, irriti ludibrium penès miſeros fore. Igitur Veſpaſianus*, addit Tacitus, *cuncta fortunæ ſuæ patére ratus, nec quidquam ultrà incredibile, læto ipſe vultu, erecta quæ adſtabat multitudine, juſſa exſequitur. Statim converſa ad uſum manus, ac cæco reluxit dies.* Quis verò hîc non videat, ut diximus, meram fuiſſe adulationem, & fictos ægrotos facili negotio produci potuiſſe, ut Veſpaſianus nihil tale cogitans, & nullam talem virtutem ſibi ineſſe ſentiens, ſpeciem quandam divinitatis his Miraculis conſequeretur? Neque obſtat, quod addit Tacitus, in fine narrationis; *utrumque, qui interfuêre, nunc quoque memorant, poſtquàm nullum mendacio pretium*: Etenim optimè fieri potuit, ut qui fraudis conſcii non erant, rem verè accidiſſe crederent, idque longo pòſt tempore tanquam verè geſtum narrarent; præſertim, cùm tantus ſit in hominibus Mirorum amor, maximéque gaudeant ſi narrare poſſint ſe aliquid miri vidiſſe vel audiviſſe.

XXVII. Neque verò alia ratio eſt ſanationum HADRIANI, quemadmodum adtendentibus facilè patebit. Factum tale eſt. Cum graviſſimo morbo laboraret Hadrianus, & ſumma in primis animi ægritudine adfectus eſſet, adeò ut ſeipſum occidere ſæpiùs tentaverit, ad eum recreandum, & quominùs ſibi ipſi violentas manus inferret impediendum, cœleſtia monita ſimulata ſunt, & vis Miraculorum patrandorum ipſi adſcripta. Placet *Spartianum* ipſum iſta narrantem audire. *Ea tempeſtate*, inquit *, *ſupervenit quædam mulier, quæ diceret ſomnio ſe monitam, ut inſinuaret Hadriano ne ſe occideret, quum eſſet benè valiturus; quod cùm non feciſſet, eſſe cæcatam. Juſſam tamen iterùm*

* SPARTIAN. inter Hiſt. Aug. Scriptores, Edit. Salm. Pariſ. 1620. p. 12.

iterùm Hadriano eadem diceret, atque genua ejus oſcularetur, receptura viſum ſi id feciſſet. Quòd cùm inſomnium impleſſet, oculos recepit, quum aqua quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluiſſet. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus, ad febrientem Hadrianum, eúmque contigit; quô factô, & ipſe oculos recepit, & Hadrianum febris reliquit. Hæc Spartianus. Verùm, quid narrationibus illis ſubjungit? *Hæc*, inquit, *Marius Maximus per ſimulationem facta commemorat.* Quod ſanè plus quàm probabile eſt, ſi, & rei occaſio, & tota narratio adtentè conſideretur.

XXVIII. Sed nec major fides habenda eſt illi Romanorum traditioni, de ROMULO in Cœlum ſublato; quanquam Julius Proculus, vir patricius, & notæ probitatis, ſacramento id confirmavit. Ac ſanè, ſi hæc hiſtoria ſtudiosè expendatur, clarè patebit rumoris occaſio, & facilè *Plutarcho* † credetur, qui id omne inter fabulas numerat. Etenim exoſus erat Senatoribus Romulus, quòd totam auctoritatem in ſe unum reciperet, neque Senatores, niſi ſpecie tenùs, in conſilium adhiberet. Igitur, cùm quodam die evanuiſſet Romulus, neque ampliùs reperiretur, magna ſuſpicio fuit, eum à Senatoribus diſcerptum fuiſſe. Hinc populus murmurare, & in Senatores inſurgere, ut de cæde Romuli ultionem ſumerent: Quorum ut motus compeſceret Julius Proculus, adfirmavit ſibi Romulum adparuiſſe, & ſe in Cœlum receptum ipſi ſignificâſſe, juſſiſſéque ut Deus *Quirinus* à Romanis haberetur. Atque hæc fuit vera origo traditionis illius, quam Plutarchus ipſe, ut jam diximus, inter fabulas numerat; quemadmodum & alias narrationes ejuſmodi, de *Ariſtea* Proconneſio, & *Cleomede* Aſtypalenſi, qui dicebantur in vitam rediiſſe. Poſtquàm verò fabulas illas irriſit, addit eximium dictum de *Animorum immortalitate*, „Corpus quidem mortale eſſe, Mentem verò æternitatis participem ad Deos „redire, poſtquàm Corporis vinculis exſoluta fuerit.„ Sed hoc obiter.

XXIX. Superſunt Miracula APOLLONIO TYANEO ad-

† PLUTARCH. in Romulo.

ſcripta; quæ à *Philoſtrato*, in ejus vita, referuntur; quæque ab hoſtibus Chriſtianæ fidei, *Hierocle*, *Porphyrio*, aliiſque, Miraculis Chriſti opponuntur atque præferuntur. Verum, quicunque ad has narrationes vel tantillùm adtenderit, his ſe decipi nunquam patietur. Primò enim tota hæc hiſtoria debiliſſimo parúmque idoneo teſtimonio nititur. Nam Philoſtratus, qui eam ſcripſit, plus quàm centum annis poſt Apollonium vixit: Floruit quippe Apollonius temporibus *Veſpaſiani*, *Titi*, & *Domitiani*; Philoſtratus verò ſcripſit tempore *Septimii Severi*, hoc eſt, ſub finem Sæculi ſecundi. Unde verò hæc omnia habuit Philoſtratus? Scilicèt ignotus quidam *Juliæ Piæ* Imperatrici, Septimii Severi uxori, chartas quaſdam tradidit, de vita Apollonii, quæ dicebantur à *Damide* Apollonii diſcipulo ſcriptæ. Julia Pia chartas illas Philoſtrato tradidit, juſsítque ut vitam Apollonii ſcriptis mandaret. Igitur, ex his chartis, & aliis quibuſdam non melioris notæ monumentis, hiſtoriam ſuam conſarcinavit Philoſtratus, quæ potiùs mera Fabula (quales Galli *Romans* dicunt) quàm Hiſtoria nuncupanda eſt. Etenim unde conſtabat, chartas illas Juliæ oblatas, à Damide re verâ ſcriptas eſſe? Et licèt Damidem auctorem haberent, unde conſtabat, ei hac in parte credendum fuiſſe?

XXX. Rursùs, pleraque miracula Apollonio adſcripta, ita ridicula & abſurda ſunt, ut ſeipſa ſatis refellant. Unum vel alterum exemplum, ſpeciminis loco, proferre ſat erit. Sic dicitur Apollonius * invitatus fuiſſe ad nuptias amici ſui Menippi. Cùm autem convivæ omnes adeſſent, & ſplendidum convivium paratum eſſet, Apollonius amicum monet, ſponſam ſuam Dæmonem fœminam eſſe: Quô dictô, Dæmon illa ſtatim evanuit, ſimul cum toto convivii adparatu, conviváſque adronitos, & famelicos reliquit. Alio tempore, cùm urbs Epheſus peſte laboraret †, eam hac ratione liberavit Apollonius. Epheſinis auctor fuit, ut miſerum mendicum lapidibus obruerent. Poſtquàm verò lapidibus obrutus eſſet, & remoti eſſent lapides, loco mendici

* PHILOSTR. de vita *Apollonii Tyan.* Lib. IV. Cap. 8.
† PHILOST. Lib. IV. Cap. 3.

dici repertus est ingens Molossus sive Canis, qui spumam terribilem in modum ore emittebat, quasi esset Leo. Statim verò urbs Ephesiorum peste liberata est, & in eo ipso loco statua Herculi ἀποτροπαίῳ erecta. Innumeras ejusmodi fabulas refert Philostratus, quæ propria absurditate abundè refelluntur.

XXXI. Postremò, ex historia constat, Apollonium illum, non modò nugatorem atque impostorem, sed & virum pessimum fuisse, qui superbia & arrogantia intolerabili præditus esset, qui rebus Politicis perpetuò se immiscerct, conjurationes excitaret, publicæ pacis perturbator esset, denique, quod cæteris cumulum addebat, qui crassissimam Idololatriam commendaret & confirmaret. Quibus omnibus abundè liquet (nec enim necesse est plura hìc congerere) quantam injuriam CHRISTO Domino nostro, sapientiæ omnis præceptori atque exemplari, veteres Christiani nominis hostes facerent, dum talem æmulum ei opponere, imò & anteponere non dubitabant.

XXXII. CÆTERUM, duo sunt, priusquàm finem faciamus, adjungenda. *Primum*: Dum negavimus veritatem Miraculorum apud Ethnicos celebratorum, nos ea potissimùm intellexisse, quæ ad erroris & Idololatriæ confirmationem facere poterant. Alia, quæ ob varias Sapientiæ divinæ rationes contingere potuerunt, & fortè contigerunt, in medio relinquimus, nec de iis pronuntiamus. Nec enim vias Providentiæ divinæ sat perspectas habemus, ut ei limites ponamus. Neque verò desunt in Sacro Codice, Prodigiorum extra Dei Populum editorum exempla. Verùm hæc & his similia, argumento é Miraculis ducto non modò non nocent, sed illud potiùs confirmant; utpote quæ Ethnicis excitandis, & ad veri Dei cognitionem adducendis inserviebant.

XXXIII. *Alterum* est quod adjungamus; nempe inter Prodigia apud Ethnicos narrata, fuisse aliquando *Phænomena*, rara quidem atque insolita, quæque propterea imperitum vulgus in stuporem ac terrorem conjiciebant, sed quæ à Causis naturalibus oriri facilè poterant, ac proinde nil causæ erat cur inter Miracula propriè dicta numerarentur. De his ita solidè & adcuratè

differit doctiſſimus FRERET, in ea Diſſertatione * cujus ſuprà jam meminimus, ut ſi de iis ulteriùs dicamus, actum agere jure videamur. Certè antiquis temporibus, ſi quid monſtri in lucem veniret, id ſtatim Prodigii loco habebatur. Si Montes ignivomi, ad magnam quandam diſtantiam, lapides, cineres, favillas, aut alia idgenus ſpargerent, dicebatur, lapidibus, aut cineribus, aut igne etiam pluiſſe. Nec dubium eſt, quin *Lux* illa *Borealis*, quæ nuper per totam Europam conſpecta eſt †, temporibus minùs eruditis, minúſque Phyſices gnaris, pro ſtupendo quodam Prodigio, magnorum eventuum prænuntio, habita eſſet. Verùm id debemus Philoſophico ætatis noſtræ ingenio, quòd inanes illi terrores evanuerint; nec niſi Phyſicorum induſtria, in horum cauſſis inveſtigandis, exerceatur.

* MEMOIRES *de Literature de l'Acad. des Inſcr. & Bel. Lettr.* Tom. VI. Edit. de la Haye, p. 76. & ſuiv.

† Viſa eſt nocte inter 19. & 20. Octobris, anni præſentis 1726. Viſa fuerat ſimilis Lux antea non ſemel, velut an. 1716. & 1721.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Inter Mira *&* Miracula *optimè diſtinguunt Theologi.* Mira, *à variis Entibus, cùm bonis, tum malis, cùm viſibilibus, tum inviſibilibus, fieri poſſunt.* Miracula *ſolum Deum, ejúſque Legatos, auctores habent.*

II.

Qui Miracula definiunt, opera viribus humanis majora, *non animadvertunt ſe Leonibus atque Urſis virtutem patrandorum Miraculorum adſcribere.*

III.

Quamvis ignoremus, quouſque ſe extendant Agentium Naturalium vires, *certiſſimè tamen ſcimus, opera non pauca vires illas ſuperare, qualis eſt ſubita Animantium productio, Mortuorum in vitam revocatio, alidque idgenus.*

IV.

Multi de Cacodæmonis potentia ita magnificè ſentiunt, ut videantur duo Principia, *ad exemplum* Manichæorum, *& Veterum* Perſarum, *ſtatuere.*

V.

Ex quo ceſſatum eſt, in variis Europæ regionibus, de iis quos Sortiarios *vocant cogitare, & in eos inquirere, contemptiſſimum illud bipedum genus evanuit.*

VI.

Hiſtoria Pythoniſſæ Endorenſis *probat Immortalitatem Animorum tunc temporis creditam fuiſſe.*

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO XVI.

Quæ est APOLOGETICA VI.

PRO

VERITATE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

Adversùs Incredulorum Difficultates.

Habita est disputatio, respondente JOELE HENRICO DE WALDKICH *Genevensi.*

THESIS PRIMA.

SUpersunt aliæ quædam Difficultates, circa *Miracula* & *Prophetias*: quibus etiam, si non pro rerum dignitate & amplitudine, certè pro Thesium nostrarum modulo, breviter respondendum est; sicque Apologeticis hisce Dissertationibus, quæ longiùs processerunt quàm animus fuerat, finis tandem imponendus.

IL

II. SEPTIMO igitur objiciunt, „non Ethnicos modò, ſed & „Veteres Chriſtianos, imò & Chriſtianos hodiernos non pau„cos, innumera protuliſſe, ac proferre etiamnum Miracula, „quæ fide prorsùs indigna videntur. Quomodo itaque, in„quiunt Increduli, tot ficta ac ementita Miracula à veris ſecer„nentur? Et cur Miraculis in Scriptura narratis, potiùs quàm „tot aliis, fides habebitur?

III. Haud diffitemur, ficta Miracula, nimio plus, ab omni retrò ævo, inter Chriſtianos prolata eſſe, atque etiamnum proferri, quemadmodum vel ex *Legendis Sanctorum*, aliiſque ejuſmodi nugarum farraginibus conſtare poteſt. Quas quidem nugas, non nos tantùm, ſed & cordatiores Pontificii nobiſcum irrident. Quis enim neſcit, exempli cauſsâ, querelas MELCH. CANI, Canarienſis Epiſcopi *, „quòd vitæ Philoſophorum à „*Diogene Laërtio*, & vitæ Cæſarum à *Suetonio*, multò ſeveriùs „& incorruptiùs ſcriptæ fuerint, quàm vitæ Sanctorum à Chriſ„tianis. Quæ etiam eſt JOH. MABILLONII, Monachi Benedictini, Viri noſtra memoria inter Pontificios doctiſſimi, expoſtulatio, tum Libro gallico *de Studiis Monaſticis* †, tum Epiſtolica Diſſertatione *de Cultu Sanctorum ignotorum*. Certè inter Chriſtianos ſemper fuerunt, præſertim verò temporibus ac locis Superſtitione laborantibus, multi ex iis quos AUGUSTINUS *Mirabiliarios* vocat, nec uno loco arguit; quorum, ſive in fingendis Miraculis audacia, ſive in admittendis credulitas, excuſari neutiquam poſſunt.

IV. Verùm, quia traduntur multa falſa, non ideò nihil eſſe verum exiſtimandum eſt. Quia non rarò falſum aurum producitur, non ideò, nullum eſſe verum ac genuinum aurum, dicendum eſt. Quia ementita à Circulatoribus venduntur remedia, non ideò nullum eſſe verum remedium, nullum verum Medicum, colligere licet. Pariter, etiamſi ficta Miracula ingenti numero producta ſint, & quotidie proferantur, non ideò,

* MELCH. CANI *Loc. Theol.* Lib. XI. cap. 6.

† *Traité des Etudes Monaſtiques, par* J. MABILLON, Part. II. Chap. VIII. §. 8.

nullum unquam verum Miraculum exſtitiſſe, ſtatuendum eſt. Contrà verò, id ipſum, quòd falſa Miracula inter Chriſtianos venditata ſint, haud improbabiliter innuit, vera Miracula antea fuiſſe; ſiquidem concipi vix poteſt, Miracula homines finxiſſe, ſi de nullo vero Miraculo fama unquam vulgata eſſet: Quemadmodum non ſine maxima veri ſpecie arguit ingenioſiſſimus & elegantiſſimus Scriptor PASCHALIUS, ſuis de Religione Chriſtiana *Cogitationibus* *.

V. Igitur, quid efficere debet illa fictitiorum Miraculorum multitudo? Hoc unum ſcilicèt, ut Miracula nobis producta diligenter expendamus, ut veritatem eorum ſedulò & cautè exploremus, neque antè illa admittamus, quàm validiſſimæ credendi rationes adpareant. Jam verò, ſi hac ratione Miracula in Sacris Literis narrata expendantur, non à fictitiis tantùm Miraculis diverſiſſima, ſed & ſupra exceptionem omnem poſita deprehendentur, prout ſuprà oſtendimus.

VI. Enimverò, ſi fictitia illa Prodigia, quibus laborat Annalium Eccleſiaſticorum fides, cum Scripturæ ſacræ Miraculis conferantur, diem à nocte, atrum ab albo, non magis diſtare, patebit. Illorum quippe falſitas variis ſe indiciis prodit, quorum nihil ſimile in iſtis deprehenditur. Pauca tantùm, ſpecimînis ergò, proferemus. I. *Primò* quidem Miracula non pauca propriâ abſurditate falſi convincuntur: quale illud eſt, quod in Novis Publicis † nuperrimè relatum vidimus, de Miſſionario quodam Pontificio apud Sinenſes, cujus caput, poſtquàm amputatum eſſet, tribus adhuc horis concionabatur, lingua exſecta per tres adhuc horas concionata eſt: Quo genere ineptiarum in *Legendis* nihil frequentius. II. *Secundò*, narrantur etiam Miracula, quibus vel ſolus narrantium character, vel ſola in iis ſeſe prodens credulitas, atque imbecille ingenium, auctoritatem omnem abrogat: quales eſſe *Legendarios* pleroſque, ſapientiores è Pontificiis facilè concedunt. III. Alia, excuſſis circumſtantiis omnibus, vel ſaltem pleriſque, earúmque falſitate perſpectâ, per ſe

* *Penſées de* PASCAL, §. XXVII. 16. † Gazette d'Amſterdam, du 6. Fevrier 1728. art. de *Rome*.

ſe ipſa ſtatim concidunt; veluti quod de *Legione fulminatrice*, precibus pluviam M. Aurelii exercitui impetrante, memoriæ proditum eſt. IV. Nonnunquam & ſilentium Scriptorum coævorum atque vicinorum, quos tale quid ſiluiſſe haudquaquam probabile eſt, miris ejuſmodi narrationibus fidem detrahit: Cujus regulæ ope, & inventio veræ Crucis ab Helena, Conſtantini Magni matre, Miraculis nobilitata, & Ampulla *Chlodoveo* Francorum Regi cœlitùs miſſa, & vulgaris cauſſa ſeceſſûs *S. Brunonis* in eremum, & alia benè multa, à Viris Doctis exſibilata ſunt. His aliiſque ejuſmodi Regulis, Fabulæ innumeræ, ac falſa Prodigia, à veris ſecernuntur. At verò nihil ſimile, imò potiùs contraria omnia, in Miraculis Scripturæ ſacræ occurrere, ſatis ſupérque in antecedentibus à nobis demonſtratum eſt.

VII. OCTAVO objiciunt adversùs Scripturæ ſacræ Miracula, „videri illa non parùm ſuſpecta, quòd urplurimùm nonniſi co„ram amicis & diſcipulis fierent, contrà ab incredulorum ac ini„micorum adſpectu removerentur. Sic, *inquiunt*, obſervatur „non ſemel, Chriſtum non potuiſſe Miracula edere in certis „locis, propter Incolarum incredulitatem; velut Matt. XIII. 58., „Marc VI. 5. ſine dubio, quia in locis illis homines ad cre„dendum non ſatis faciles erant, & fraudem faciliùs retegere „potuiſſent. Atque hinc factum, *addunt illi*, ut antequàm „Chriſtus Miracula quædam ederet, peteret ab iis qui adſta„bant, an crederent ſe illa præſtare poſſe; ſi verò non crede„rent, à Miraculis illis patrandis abſtineret. Denique, *ſubjun„gunt illi*, qui fit ut Chriſtus, ſi modò verè reſurrexit, non ſe„ſe omnibus videndum exhibuerit, contrà ſolos diſcipulos, ac „mulieres ſibi addictas, Reſurrectionis ſuæ teſtes elegerit? Uti„que debuerat potiùs Templum Hieroſolymitanum adire, & „per plateas ac vicos Hieroſolymorum ambulare, ut Phariſæis „& Sacerdotibus, imò & toti Populo Judaïco, ſeſe vivum oſ„tentaret, quò nemo de veritate Reſurrectionis ejus, adeóque „de divina ejus auctoritate, dubitare poſſet.„ Et hæc quidem eſt una ex præcipuis ac validiſſimis Objectionibus, quæ contra

veritatem Christianæ Religionis, sive olim *, sive nostrâ hâc ætate, propositæ sunt. Verùm illa, responso non uno, & quidem solidissimo, refellitur.

VIII. Etenim *primò*, Religionis hostes non semel Miraculorum illorum testes fuerunt. Sic Moses, coram Pharaone, Ægyptiisque omnibus, pleraque edidit Miracula. Sic & Christus Miracula plurima, publicè, in Templo, in vicis, in plateis, coram Pharisæis, coram Sacerdotibus, coram Judæis obstinatissimis, edidisse perhibetur. Imò verò in locis illis, Matt. XIII. 58., Marc VI. 5., non dicitur Christum nulla Miracula, sed *pauciora* tantùm, propter Incolarum incredulitatem, patrâsse. Sed in primis, Miracula illa, quæ, post Christi Ascensionem, solemni Pentecostes die, & sequentibus, patrata sunt, quis nescit ea, publicè, coram omnibus, coram Doctoribus, coram Populo, imò coram dispersis per totum Orbem Judæis, edita esse? Quocirca, multùm abest, quominùs tes eo semper modo se habuerint, ut in hac Objectione supponuntur. Hoc primum.

IX. *Secundò*, licèt nonnunquam soli Christi Discipuli ejus Miraculorum testes fuerint, imò vel si illi semper soli eorum testes exstitissent, non ideò tamen ipsorum testimonium fide indignum esset; siquidem ipsorum multùm intererat, in rei veritatem inquirere, nec dubium est quin summo studio in eam inquisiverint. Etenim, antequàm ad Christum accederent, iisdem laborabant præjudicatis opinionibus, ac reliqui Judæi, iisdem adfectibus; Iisdem proinde obstaculis à Christo abducebantur. Præterea, Christi Doctrina, ejúsque professio atque prædicatio, innumeris eos ærumnis objiciebat: Quis ergo credat, eos temerè, debitóque omisso examine, tot tantísque se malis subjeciisse? Sumamus Christi resurrectionem: Quis non videt, Apostolos, cæterósque Christi Discipulos, ad Factum illud sedulò anxiéque examinandum, proprii commodi causâ, quammaximè obligatos fuisse? Etenim, si Christus non resurrexisset, nihil amplius causæ erat, cur ejus Disciplinæ adhærerent. Si Christus non resurrexisset,

* Hanc objectionem proponit CELSUS apud *Origenem*, Lib. II. pag. 98. Edit. Cantab.

ſet, debuiſſent cum (abſit blaſphemia) impudentiſſimi Impoſtoris loco habere; ſiquidem inanibus eos promiſſis deluſiſſet. Si Chriſtus non reſurrexiſſet, fuiſſent Mortalium ineptiſſimi, ſi ejus Doctrinam perſuaderi poſſe credidiſſent, ejúſque cauſsâ tot ſeſe ærumnis, tot periculis, tot cruciatibus, tot mortibus objeciſſent. Quamobrem, dubium non eſt, quin Factum illud ſedulò excuſſerint; proindéque teſtimonium ipſorum, vel ſi ſoli teſtes fuiſſent, fide digniſſimum habendum eſſet. Hoc ſecundum.

X. *Tertiò*, hoc tamen libenter concedimus illis qui hanc Objectionem proponunt, majorem evidentiam, abſolutè loquendo, in Factis Evangelicis eſſe potuiſſe. Potuiſſet hauddubiè Chriſti Reſurrectio, coram pluribus teſtibus, publicéque magis adparere. Imò potuiſſent (quis enim negaverit?) Miracula Evangelica tanta in luce collocari, ut non magis in dubium vocari poſſent, quàm Mathematicæ demonſtrationes. Verùm id non patiebatur Religionis natura; Id non patiebatur hominum exploratio, quæ ope Religionis fieri debet. Etenim, ſi plena ac omnimoda fuiſſet argumentorum evidentia, utique omnes credidiſſent, & probi, & improbi, neque aliter à Mortalium ullo fieri potuiſſet. Itaque nec Fides virtus, nec Incredulitas res poſſibilis fuiſſet. Atqui Deus voluit, Religionis ope homines explorare; Voluit expendere, utrùm Veritatis amantes eſſent, utrùm eam ſincerè & ex animo quærerent. Propterea ſatis lucis dedit, ut Viri probi illuſtrentur; Sed & ſatis caliginis admiſcuit, ut Improbi *tenebras anteponere luci* poſſint, *quia opera eorum ſunt prava.* Quòd omnimoda evidentia Fidei naturam, ac meritum omne, evertat, non uno loco demonſtrat CHRYSOSTOMUS, v. g. in 1. Cor. II. Hom. VI. Inter recentiores verò, hanc obſervationem ſapientiſſimè urget † PASCALIUS.

XI. *Quartò*, his etiam adjiciendum eſt, Dei Providentiam, in Revelationis diſpenſatione, priori lumine rectè utentes ſæpe majori lumine donare, contrà priori lumine abutentes, illúdque exſtinguentes, ulteriori lumine privare. Quod ſanè æquiſſimum eſt, & Dei juſtitia ac ſapientia digniſſimum. Hinc

 factum

† *Penſées de* PASCAL, §. XVIII. 1. 2.

factum ut Christus plura Miracula coram Discipulis præstiterit, quàm coram Judæis incredulis. Hinc factum ut aliquando noluerit Miracula (saltem multa Miracula) certis in locis edere, ob Incolarum incredulitatem: Non quòd virtute destitueretur; nam, si defuisset virtus, defuisset semper, defuisset ubique; neque solùm *pauca Miracula*, sed nulla præstitisset. Vera ergo ratio hæc fuit, quòd nollet plura veritatis indicia exhibere, apud eos qui priora indicia obstinatè rejecerant, & pedibus conculcaverant. Et hæc fuit etiam causa procul dubio, cur é mortuis suscitatus, nonnisi Discipulis suis, piisque mulieribus, se conspiciendum præbuerit. Etenim indigni erant Pharisæi, indigni Sacerdotes, imò indigni Judæi plerique, quos Christus denuò inviseret, postquàm tanta obstinatione, tanto furore, tanta rabie, ad ultimum usque supplicium, ipsum persecuti fuerant. Sed, inquiunt, „nonne ad Christi gloriam pertinebat, „sese illis ostentare, sicque ipsis pudorem ac terrorem incutere, „ut hac ratione ad veritatem & salutem adducerentur? „ R. Imò verò, respondeo, imò sese illis ostentavit, solemni Pentecostes die, si non personali suâ præsentia, certè per Spiritum suum, & Prodigia in omnium oculis patrata: Quâ quidem adparitione, multi ad saniorem mentem adducti sunt. Ulteriùs sese iis ostentavit, sed terribilem in modum, cùm ad plectendos Judæos incredulos, eorúmque Rempublicam evertendam, non multis pòst annis accessit. Tandémque clariùs atque illustriùs sese omnibus ostentabit, in ultimo nempe Judicio, quò *videbunt quem transfixerunt*, quemadmodum loquitur Propheta. Sed verò, ut gratiosâ suâ præsentiâ ipsos post suam Resurrectionem bearet, illi planè indigni erant.

XII. *Postremò* & hoc quoque adjungendum, quomodocumque res processisset, & quantacumque præsentiæ suæ indicia Incredulis Christus obtulisset, tamen animi obstinationem atque malitiam ea omnia eludere potuisse: quemadmodum, in casu non absimili, à Christo ipso observatur, nempe in Parabola Epulonis. *Habent Mosem & Prophetas*, inquit; *Ipsos audiant. Si verò Mosi & Prophetis non crediderint, non credent etiam, vel si mer-*

mortuus resurrexerit. Luc. XVI. 29. 31. Quod quidem experientia nimio plus confirmatum est, tum post resurrectionem Lazari, tum ipso die Pentecostes, secutisque temporibus; quibus multi, adversùs evidentissima Christi & Apostolorum Miracula, animum obfirmârunt. Quin & hac ipsa quâ vivimus ætate, experimur Viros eruditissimos & sagacissimos argumentis evidentissimis obluctari, quia nempe præjudicatis opinionibus & adfectibus præpediuntur.

XIII. Atque hinc etiam solvitur NONA Objectio, itidem adversùs Miracula. Dicunt, „si tot Miracula, tam publica, tam „illustria, verè contigissent, nemo adstantium fuisset incredu„lus. „ ℞ Verùm, qui ita ratiocinantur, non cogitant quanta sit vis præconceptarum opinionum; non cogitant quanta sit vis adfectuum; non cogitant, quantoperè abhorreant homines ab iis amplectendis ac profitendis, quæ inolitis ab infantia notionibus adversantur, quæ vitia ipsorum arguunt, quæ ærumnis, quæ suppliciis, quæ morti ipsos exponerent, si pro veris admitterentur. Eximiè hanc in rem LACTANTIUS †: *Hæc nostra*, inquit, *quæ tradimus, pravæ vitiosæque mentes, aut omninò non intelligent, hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ sensus omnes gravant, imbecillesque reddunt; aut etiam si intelligent, dissimulabunt tamen, & hæc vera esse nolent, quia trahuntur à vitiis, & scientes malis suis favent, quorum suavitate capiuntur, & virtutis viam deserunt, cujus acerbitate offenduntur. Nam qui avaritia, & opum inexplebili quadam siti flagrant, quia non possunt, venditis aut dilargitis quæ amant, tenui cultu vitam degere, sine dubio malunt id esse fictum, quo desideriis suis renuntiare coguntur. Item qui libidinum stimulis incitati, ut ait Poëta, in furias ignémque ruunt, utique incredibilia nos afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos à voluptatibus suis prohibent, quibus animam suam cum corpore adjudicaverunt. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt,* NEC SI SOLEM *quidem ipsum gestemus*

in

† LACTANT. Div. Inst. Lib. VII. cap. 1.

in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ quæ illos jubet, omni potentia & honore contempto, humiles vivere, atque ita humiles, ut & accipere injuriam possint, & referre noliut, si acceperint. Ii sunt hominet, qui contra veritatem clausis oculis quoquo modo latrant. Hæc Lactantius.

XIV. Succedit DECIMA Objectio, digna etiam quæ enodetur. *Si tot Miracula olim facta sint, cur nulla hodie fiunt?* inquiunt Increduli. R. Verùm in promptu est responsio. Fiebant Miracula, cùm agebatur de nova Doctrina confirmanda: Sed eâ jam confirmatâ, necessaria ampliùs non sunt. Si quotidie fierent Miracula, Miracula ampliùs non essent. Quemadmodum ergo sapienti consilio à Deo adhibita sunt, ut Legatis à se missis auctoritatem conciliaret, ut novas Revelationes, nova documenta, appositô veluti sigillô confirmaret, non minori sapientia factum est, ut stabilitâ Revelatione perfectissimâ, Miracula cessaverint, quorum ex adsiduitate usus viluisset. Neque verò cessantibus Miraculis, veterum Miraculorum robur ablatum est, utpote quæ à testibus fide dignissimis relata sunt, & certissimis literarum monumentis consignata. Quinimò & ipsa Mundi conversio, sine auxiliis ullis humanis, & adversùs potentissima quævis obstacula, perpetuum veluti Miraculum est, quô Christi & Apostolorum Miracula luculenter confirmantur, & Christianæ Religionis veritas extra omnem dubitationis aleam collocatur.

XV. Movebatur jam Difficultas hæc, temporibus *Chrysostomi*, *Augustini*, & *Gregorii I.* Episcopi Romani: magno indicio, ut id obiter observemus, plaustra illa Miraculorum, quæ temporibus illis adsignantur, fabulam omninò sapere. Ad eam verò Difficultatem, eodem modo respondent Doctores illi, quô nos hodie respondemus. CHRYSOSTOMUS quidem, Hom. VI. in 1. Cor. II., cùm hanc sibi quæstionem proposuisset, *τινὰ ἕνεκεν κεκώλυται νῦν τὰ σημεῖα*, *quânam de caussa impediantur hodie Miracula*, statim ostendit, cessationem illam Miraculorum, Incredulorum caussam neutiquam juvare, neque ex eo quòd Miracula tunc non fierent, sequi, temporibus Apostolorum nulla fuisse: Nam, inquit,

inquit, „si Miracula tunc non facta sunt, quomodo illi, vexati, expulsi, malè habiti, communes totius Orbis inimici, nihil in se habentes quod alliceret, non splendorem, non eloquentiam, non divitias, ... Doctrinam, quam annuntiabant persuadere potuerunt? Πόθεν ἂν ἔπεισαν, εἰπέ μοι, πόθεν ἂν τὸ ἀξιόπιστον εἶχον; ὅπερ γὰρ ἤδην ἐρρήθη, Εἰ σημείων χωρὶς ἔπεισαν, πολλῷ μεῖζον τὸ θαῦμα φάνεται. *Undenam ergo persuaserunt, dic mihi, undenam fuerunt fide digni? Nam, ut jam dixi,* SI SINE MIRACULIS PERSUASERUNT, ID IPSUM EST MIRACULUM LONGÈ MAJUS. Καὶ γὰρ καὶ τότε χρήσιμα ἐγίνετο, καὶ νῦν χρήσιμα ἐ γίνεται. *Nam & tunc utiliter fiebant, & nunc utiliter non fiunt.* Mox rationem affert, cur Miracula ampliùs non fierent, nempe, ut fides magis exerceretur, ut majus ejus pretium esset: quemadmodum Christus dicebat Thomæ, *Beati qui non viderunt, & crediderunt:* Cæterùm ipsam *Mundi conversionem, innumerabilium prædictionum complementa, barbarorum philosophiam, agrestium morum transmutationem, pietatis incrementum,* perpetua veluti Miracula esse, quibus Christianæ Religionis veritas luculenter demonstretur.

XVI. Haud absimilis est AUGUSTINI responsio, Lib. XXII. de *Civitate Dei*, cap. 8. *Cur, inquiunt, nunc illa Miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere, necessaria fuisse priusquàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui Mundo credente non credit. Verùm hoc ideò dicunt, ut nec tunc illa Miracula facta fuisse credantur. Unde ergo tanta fide Christus usquequaque cantatur in Cœlum cum carne sublatus? Unde temporibus eruditis, & omne quod fieri non potest respuentibus, sine ullis miraculis nimiùm mirabiliter incredibilia credidit Mundus? An fortè credibilia fuisse, & ideò credita esse, dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt? Brevis est igitur nostra complexio. Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem: Aut certè res credibilis, ut nullis quibus persuaderetur miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem; &c.* Mox, de Miraculis Apostolorum hoc adjungit; *Hæc, ut fidem*

facerent, innotuerunt: Hæc, per fidem quam fecerunt, multò clariùs innoteſcunt. Leguntur quippe in populis ut credantur; nec in populis tamen niſi credita legerentur. Sic ille, argutè oppidò atque eleganter, ſed & ſimul ſolidiſſimè. Fateor equidem, *Auguſtinum*, in ſequentibus, Miracula quædam referre, quæ Mediolani, Carthagine, atque alibi, facta commemorat. Verùm in his *multa addita eſſe, ab iis qui omnia magnorum Autorum Scripta ſpurcis ſuis manibus contaminabant*, obſervat LUD. VIVES, ſuis ad hoc Caput Notis.

XVII. Denique propoſitæ Difficultati ſic reſpondet GREGORIUS I. Epiſcopus Romanus, Hom. 29. in Evang. *Nunquidnam, Fratres mei, quia iſta ſigna non facitis, minimè creditis? Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, Miraculis fuerat nutrienda: quia & nos, cùm arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra jam coaluiſſe videamus; & ſi ſemel radicem fixerunt, irrigatio ceſſabit.* Hæc *Gregorius I.* Quæ quomodo iis probentur, qui inter Notas Eccleſiæ perpetua Miracula numerant, ut *Bellarminus* aliique, viderint Pontificii.

XVIII. Eſt & UNDECIMA Difficultas, examine non indigna. Dicunt, „Si tot Miracula contigerint, tam publica, „tam illuſtria, initio Chriſtianiſmi, qui fit ut Scriptores illo„rum temporum, cùm Ethnici, tum Judæi, cùm Latini, tum „Græci, eorum non meminerint? Si paria hâc noſtrâ ætate fie„rent, quanto ſtudio Diariis Publicis, Libriſque Hiſtoricorum „inſcriberentur?

XIX. Verùm *primò* obſervandum eſt, Judæos à reliquis gentibus admodum contemptos fuiſſe: Itaque quidquid inter illos accidebat, ab Ethnicis vix adtendebatur. Speciatim verò Judæos, tanquam impensè credulos, ſpernebant: Unde illud Satyrici, *Credat Judæus Apella, Non ego.*

XX. *Secundò*, augebant contemptum Chriſti & Apoſtolorum, ſors eorum vilis ac depreſſa, odia, ſupplicia, perſecutiones; quibus fiebat ut iniquiſſimi rumores de iis ſpargerentur, ipſique

que

que tanquam *mundi ſordes ac purgamenta* † quaquaversùm traducerentur. Quid mirum, ſi tales homines, ab iis præſertim qui procul vivebant, nec eos niſi ex vagis rumoribus noſcebant, ſuſque déque haberentur, nec digni cenſerentur quorum memoria ad poſteros propagaretur?

XXI. *Tertiò*, prodigia Chriſtianiſmi eò faciliùs à Scriptoribus Exoticis contemni ac omitti potuêre, quòd crebræ eſſent in Populis omnibus prodigiorum narrationes, crebri ſermones de Magia & Incantationibus: Qui à plebecula cupidè auditi, à Viris gravibus & ſapientibus negligebantur. Cum his haud dubiè confundebatur Chriſti hiſtoria: Et propterea longè plurimi ne dignabantur quidem in eam inquirere, vel eam commemorare.

XXII. *Quartò*, ad Scriptores Judaïcos quod adtinet, duo tantùm illius temporis exſtant, *Philo* & *Joſephus*. Apud JOSEPHUM, ſi hodiernis Codicibus fides, luculentum exſtat de Chriſto teſtimonium, Antiq. Jud. Lib. XVIII. cap. 4. Verùm ingenuè fatemur, nos in eorum numero eſſe, qui locum illum ſpurium exiſtimant; qua de re, legendus præ cæteris *Tan. Faber*, Vir in Arte Critica verſatiſſimus, Epiſt. Lib. I. Ep. 44. Alter eſt Joſephi locus, Antiq. Jud. Lib. XX. cap. 8. de cæde *Jacobi, fratris Jeſu, qui dicitur Chriſtus*: Sed, vel ſi pro genuino admitteretur locus ille, certè tanti non eſt mentio Apoſtoli obiter injecta, ut Facta Evangelica multùm inde confirmentur. Quod ad PHILONEM, ſunt qui credant, per *Therapeutas*, quos deſcribit Lib. *de Vita contemplativa*, intelligendos Chriſtianos eſſe; quæ fuit *Euſebii*, *Hieronymi*, aliorúmque ſententia: Sed quantùm illa à vero abhorreat, à *Scaligero* aliiſque oſtenſum eſt. Quid ergo cauſſæ dicemus eſſe, cur *Philo* & *Joſephus*, Apoſtolorum coætanei, quíque res in Judæa geſtas non poterant ignorare, de Chriſtianiſmi primordiis ſiluerint? Certè in eo ipſorum negligentia, vel potiùs prævaricatio, excuſari non poteſt. Id ex eo natum, procul dubio, quòd Gen-

† 1. Cor. IV. 13.

Digitized by Google

ti ſuæ impensè faverent, & Romanorum favorem nullâ non arte demereri conarentur. Enimverò, ſi de prodigiis Chriſtianiſmi locuti eſſent, vel ea narrâſſent tanquam vera, vel tanquam falſa. Si tanquam vera, quæſitum eſſet, Cur ergo doctrinam illam rejicitis? cur Jeſum illum, qui tot Miraculis Filius Dei declaratus eſt, ſupplicio adfeciſtis? cur ejus Diſcipulos, itidem Miraculis claros, etiamnum perſequimini? Si tanquam falſa, metuebant, ne, tot Fabulis narratis, Gens ipſorum vileſceret, & à Romanis irrideretur.

XXIII. *Quintò*, hoc tamen adjungere licet, ſi non multi habeantur, at haberi tamen nonnullos magni ponderis Scriptores, cùm Ethnicos, tum Judæos, qui, utut inviti atque aliud agentes, luculenta rei Chriſtianæ teſtimonia perhibent. Quis enim neſcit, duos Scriptores graviſſimos, TACITUM & PLINIUM, de Chriſtianorum multitudine, imò & de ipſorum innocentia, notabilia admodum ſcripſiſſe? Quis neſcit etiam, JULIANUM Imperatorem, Chriſtianæ Fidei, ſi quis unquam fuit, infenſiſſimum hoſtem, Miraculorum Chriſti veritatem agnoviſſe? Et quod ad Judæos, notum quoque eſt, Talmudicos Scriptores Miracula illa non inficiari, ſed inepta ſolùm effugia, ad eorum vim declinandam, adhibere.

XXIV. *Poſtremò* & hoc quoque adjungendum, dubium non eſſe quin multi Scriptores temporis injuriâ interciderint; Qui ſi exſtarent, luculenta fortè de rebus Chriſtianis teſtimonia apud eos reperirentur. Plura non addimus de hac Quæſtione, quam plenè ac eruditè diſcuſſit ingenioſiſſimus ADDISON, Tractatu Anglico *de Chriſtiana Religione*, qui inter Opera ejus editus eſt.

XXV. Obſtrepunt iterùm Increduli; (& hæc erit Objectio DUODECIMA) Dicunt, „neminem ignorare, quàm dubia ſit „Hiſtoriæ fides, Hiſtoriæ præſertim Veteris, ejuſque potiſſimùm „quæ de religionibus & prodigiis agit. Obſervant cum *Sene-*„*ca* †, multos *incredibilium rerum commendationem parare*, & „lecto-

† SENEC. Nat. Quæſt. Lib. VII. cap. 16.

„*lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo* „*excitare; Quosdam credulos, quosdam negligentes esse; quibus-* „*dam mendaciùm obrepere, quibusdam placere*; &c. Cùm verò non levibus rationum momentis ostenderimus, Apostolos, cæterósque Scriptores sacros, & ea quæ narrant probè noviſſe, & omnes Virorum proborum & fide dignorum characteres præ se tuliſſe, regerunt Increduli, „nullum esse Historicum, ne men- „daciſſimis quidem exceptis, qui eadem non profitcatur: Ad- „dunt, fortè quidem credi Apostolis posse, si modò ea quæ nar- „rant credibilia forent; At verò illa quæ de Christi & Aposto- „lorum miraculis narrantur, veriſimilitudine prorsùs carere, & „fidem omnem superare.

XXVI. Respondemus, quæ hìc dicuntur, de crebris Historicorum mendaciis, in genere quidem vera esse, majorémque quàm dici potest plurimorum Historicorum, ad ficta Prodigia narranda, propensionem adparere. Verùm, ut facilè nimis Historicis credendum non est, ita nec omnibus pariter, & absque discrimine, fides abroganda. Jam verò, si Apostolorum, cæterorúmque Scriptorum sacrorum auctoritas expendatur, utique patebit nullos esse, in quibus tot circumstantiæ fidei generandæ aptæ concurrant, quemadmodum fusè suprà à nobis demonstratum est. Quod verò dicunt, *Facta Evangelica fidem omnem excedere*, concedimus, quòd si Facta illa in se solùm considerentur, & à suis circumstantiis ac effectis sejungantur, parùm probabilia videantur. At, si ponderentur circumstantiæ omnes, modúsque, quô Christiana Fides per Orbem prævaluit, sedulò adtendatur, profectò tantùm abest ut Facta Evangelica à veri specie abhorreant, ut contrà à veri specie prorsùs abhorreat, illa non accidisse, & sine iis rem Christianam invaluisse. Placet id evidenter ostendere; siquidem, hôc demonstratô, veritas Factorum Evangelicorum potentissimè confirmatur, & ab Incredulorum cavillis vindicatur.

XXVII. Igitur, ad initia rei Christianæ adscendentibus, constat, ante *Tiberii* Imp. tempora, nomen Christianum ignotum fuisse; paulò verò post Tiberium, *Caudii* puta & *Neronis* tem-

poribus, ingentem Christianorum numerum in Imperio Romano visum esse. Quis auctor hujus nominis? JESUS quidam, dictus & CHRISTUS, qui fabri filius dicebatur, quique, accusantibus Judæis, & judice *Pontio Pilato*, crucifixus est: Id enim, non Christiani modò, sed & *Tacitus* Historicus Ethnicus testatur. Quinam verò primi fuerunt Doctrinæ illius præcones, qui, tam brevi temporis spatio, tot hominum myriadas ad Crucifixi illius fidem & obsequium adduxerunt? Nempe pauci quidam ex Judæa homines viles, piscatores, artifices. Et quô auxiliô pauci illi Viri, tam stupendam Religionem, qualis est Crucifixi adoratio, tantæ hominum multitudini persuaserunt, & ita quidem persuaserunt, ut hæc fides nullis tormentis, nullis suppliciis, ex eorum animis evelli potuerit? Quô auxiliô, inquam, piscatores illi usi sunt, ut Doctrinam illam spargerent? An auctoritate apud Populos valebant? An armis? An pecunia? Vel, an miro quodam pollebant eloquentiæ & ingenii flumine, cui nihil obsistere posset, quódque res absurdissimas & carni ingratissimas, tanquam sapientissimas & jucundissimas exhiberet? Nihil horum in iis occurrit. Qui fit igitur, ut talis Doctrina, tam absurda primo intuïtu, adfectibus adeò ingrata, à vilibus illis præconibus, tam brevi temporis spatio, nullis humanis auxiliis, omnibus contrà adversantibus, per Orbem disseminata sit, & ab innumeris cujuscunque ordinis hominibus, inter gravissima supplicia, defensa? Auser Facta Evangelica; Auser Miracula Christi, ejus Resurrectionem, Miracula Apostolorum, & primorum Christianorum: Sanè hæc primordia Christianismi vix ac ne vix quidem concipi poterunt. Pone contrà Facta Evangelica; Pone Miracula Christi, ejus Resurrectionem, &c. statim primordia Christianismi, non possibilia modò, sed & probabilia admodum evadent. Quamobrem patet id quod modò diximus, tantùm abesse ut Facta Evangelica, circumstantiis omnibus ponderatis atque expensis, veri specie destituantur, ut contrà à veri specie planè abhorreat, Facta illa non accidisse.

XXVIII. Verùm ut id plenius adhuc eluceſcat, age, Catalogum

logum texamus plurimarum rerum improbabilium, quæ, negatis Factis Evangelicis, admittere neceſſe eſſet. Dicendum eſſet, viros, quorum omnis Doctrina, imò & vita omnis, nonniſi pietatem, ſanctitatem, veracitatem ſpirat, impudentiſſima mendacia finxiſſe, & Dei nomen ac auctoritatem, intolerandâ blaſphemiâ, ſuis illis impoſturis adjeciſſe. Dicendum eſſet, eos, quorum Scripta & Sermones & Facta homines nullatenus delirantes indicant, non modò impudentiſſimam, ſed & ſtultiſſimam Fabulam fabricâſſe; dum ſcilicèt Facta illa omnia, quæ publicè accidiſſe dicunt, cum ſuis omnibus circumſtantiis, eâ ipſâ ætate, iis ipſis in locis, & coram iis hominibus prodiderunt, qui falſitatem nullo negotio retegere potuiſſent, eámque hauddubiè revelaturi fuiſſent, ſiquidem ipſorum plurimùm intererat eam revelare. Dicendum eſſet, impoſturam & ſtultitiam illam (abſit à dictis noſtris blaſphemia) non in unius hominis caput, ſed in plurimos ſimul incidiſſe, qui tamen omnes, & ſapientiæ, & pietatis non vulgaris, non modò in Scriptis ſuis, ſed in tota vita, monumenta reliquerunt. Dicendum eſſet, Fabulam illam, adeò impudentem, adeò malè conſutam, fidem tamen impetrâſſe, & mirâ quidem celeritate ſparſam eſſe; neque modò apud paucos, ſed apud innumeros, & Judæos, & Ethnicos, & doctos & ignaros, & divites & pauperes, & Magiſtratus & Populos, quorum omnium tamen intererat Fabulam illam rejicere, ejúſque admiſſionem impedire. Dicendum eſſet, incredibilem hominum multitudinem, abſque ullis humanis auxiliis, abſque ullo emolumento, contrà inter extrema pericula, & ſupplicia omnis generis, à patriis ſacris receſſiſſe, & Doctrinam ſtultiſſimam, carníque ingratiſſimam admiſiſſe, & ad mortem uſque propugnâſſe. Dicendum eſſet, homines, qui, ut dixi, non vulgaris ſapientiæ ac pietatis indicia præbent, ſeſe ultrò ac proprio motu, Deo ſimul atque hominibus exoſos reddidiſſe, idque gratis, & nulla præſenti vel futura utilitate: Etenim impoſtura quam texebant, non poterat quin Dei iram in ipſos concitaret; ſimúlque à parte hominum nullum non malorum genus in Ipſos adcumulabat; neque aliter

eſſe

esse potuisse, sensus ipse communis docebat. Dicendum esset, impostores illos, suæ illius blasphemiæ ope, miros effectus peperisse, imò plus effecisse quàm Philosophi omnes effecerant, Idololatriam debellâsse, eximias Dei notiones tradidisse, officia hominis mirè expositisse & confirmâsse, denique innumeris hominibus, omnis ætatis, omnis sexûs, omnis gentis & conditionis, miram pietatem, virtutem, constantiam instillâsse. Postremò dicendum esset, Fabulam illam, adeò impudentem, adeò stultè concinnatam, non modò per aliquod tempus viguisse, quod nonnunquam fortè visum est, sed tantas egisse radices, ut vix ac ne vix quidem deleri potuerit; quamvis ad eam delendam nihil à potentissimis mortalium prætermissum sit; adeò ut, per saxa, per ignes, inter cruces, inter patibula, viam sibi fecerit, ipsos Reges quinetiam ac Imperatores ad se traxerit, ac per septendecim jam Sæcula in maxima & excultissima Orbis parte admittatur. Jam quærimus, Quis sanæ mentis, tot à veri specie abhorrentia, imò cum ratione adeò pugnantia, in mentem admittere queat? Quis non potiùs Evangelicæ Historiæ veritatem inde concludat, sine qua tot portenta admittenda sunt; quæque, positâ Numinis existentiâ, nihil habet quod fidem excedat? Etenim, neque Dei potentiam superant Miracula Christianismi, neque sapientia Dei indignum erat, eximiæ Revelationi, quam in Mundo institutam voluit, tot editis prodigiis auctoritatem conciliare. Quamobrem id quod diximus, certo certius est, *tantùm abesse ut Facta Evangelica verisimilitudine careant, ut contrà verisimilitudine prorsùs careat Facta illa non contigisse:* Quod erat demonstrandum.

XXIX. Verbum addemus de PROPHETIIS, circa quas hæc præ cæteris Difficultas objicitur, quæ non videtur prætermittenda. Sunt nempe qui contendant, „Christum & Apos„tolos eum sensum Oraculis Prophetarum adfingere, qui ab „eorum mente alienus erat; seu, quod idem est, loca Veteris „Testamenti, quæ in Novo laudantur, alium sensum habere, „in iis locis unde desumuntur, adeóque pro Veritate Christia-

„næ

„næ Religionis nullius ponderis eſſe.„ Hanc difficultatem cùm alii jam non ſemel propoſuiſſent, nemo tamen majori audaciâ, quàm Auctor duorum Librorum Anglicorum, nòn ita pridem editorum; Prioris titulus eſt, *De fundamentis Religionis Chriſtianæ*, &c. Poſterior eſt, *de literali Prophetia* &c.

XXX. Verùm, ut alia multa omittamus, quæ hanc in materiam proferri poſſent, ſi ex profeſſo tractaretur, notâſſe ſufficiat, non omnia Veteris Teſtamenti loca, quæ in Novo adducuntur, pro Oraculis directè ad Chriſtum pertinentibus habenda eſſe. Multa adducuntur, non tanquam argumenta aliquid probantia, ſed tanquam meræ illuſtrationes ejus materiæ quæ agebatur, tanquam meræ adcommodationes veterum dictorum Factis recentibus. Adducuntur ad innuendum, aliquid ſimile olim contigiſſe iis quæ tunc contingebant, atque ut ea quæ contingebant verbis Scripturæ exprimerentur. Sic, quæ de Populo Iſraëlitico dicta fuerant, Oſeæ XI. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, Chriſto infanti in Ægypto verſanti aptantur, Matt. II. 15. Quæ de captivis Iſraëlitis, Jerem. XXXI. 15. *Vox audita eſt in Rama* &c., aptantur luctui Bethlehemitidum, Matt. II. 17. 18. Quæ de Cœlorum ſermone Pſ. XIX. 5. aptantur Apoſtolis Rom. X. 18. Et ſic de plurimis aliis locis. Ratio illa proferendorum Scripturæ Sacræ locorum, Judæorum Doctoribus familiaris admodum erat, in quorum Scriptis nihil crebrius eſt, quàm illud שנאמר, *quod dictum eſt*, vel כתיב *ut ſcriptum eſt*, aliæque ejuſmodi formulæ, adductis Scripturæ locis, quæ vel tantillùm connexionis habent cum materia de qua agitur. Sic & nos ipſi, loca Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum, lubentiſſimè uſurpamus, iiſque materiis, de quibus ſermo eſt, adcommodamus.

XXXI. Porrò, multa etiam occurrunt Veteris Fœderis Oracula, quæ ſenſu quidem primario, ſed minùs perfecto, in aliis jam impleta fuerant, ſenſu verò pleniore ac eminentiore ad Chriſtum referuntur. Impleta fuerant quadantenùs in typis; in Chriſto verò, qui eſt Antitypus, perfectiſſimè implentur. Sunt & loca quæ adducuntur, non quòd directè ad

Christum respiciant, sed solummodò ut confectaria, in gratiam Christianæ Religionis, ex iis eliciantur. Denique, in proferendis Veteris Testamenti locis, sæpe argumenta *ad hominem* ab Apostolis adhibentur: quod genus ratiocinii in usu est apud omnes, nihilque habet quod reprehendatur. Ista verbo tantum indicamus, plenius alibi, si Deus dederit, exponenda & confirmanda. Interim verò argumento é Prophetiis ducto non exiguum pondus inesse, tum in Dissertatione IV. quæ est *de Veritate Religionis Judaïcæ*, tum in Dissertatione VIII. *de Veritate Religionis Christianæ*, evidentissimè, ut quidem putamus, à nobis demonstratum est.

XXXII. CÆTERÙM, præter Difficultates hactenus elucidatas, aliud est genus Difficultatum, quibus, iniquissimè licèt, Christiana Religio impugnatur. Ducuntur istæ à pravis Christianorum moribus, ab erroribus & superstitionibus, quibus eorum non pauci inficiuntur, ab eorundem odiis, rixis, dissidiis, &c. Verùm illa omnia, ut quivis videt, non sunt vitia Christianæ Doctrinæ, sed eorum duntaxat qui eam profitentur, qui ad eam non satis adtendunt, neque satis curant mores ac placita ad ejus regulam componere. Itaque Christianæ Religioni, apud æquos judices, non magis nocere debent, quàm Legibus benè constitutis, Civium immorigerorum vitia; vel ipsimet Rationis lumini, Hominum scelera atque ineptiæ. Ac sanè, ne adcuratissima quidem Regula iis prodest, qui ea non utuntur. Ne optima quidem Institutio, nisi sequaris, vitam ac mores dirigit. Pariter Christiana Disciplina non emendat nisi adtentos, nisi volentes, nisi suæ ipsorum sanitatis studiosos. Qui secùs fecerint, ipsorum culpa est, non verò Christianismi.

XXXIII. Verùm enimverò, si curæ nobis sit CHRISTI Domini nostri gloria, sanctissimæque ejus Disciplinæ commendatio atque defensio, postremis hisce Difficultatibus alio insuper responsi genere occurrendum est. Verbo dicam; Danda opera est, ut nos ipsos emendemus, nostrósque mores atque adfectus, quantùm in nobis est, ad Christianam Professionem adcommodemus: Quo facto, plus quàm sermonibus omnibus, orna-

ornabitur illa ac defendetur; & offendicula, quæ curſum ejus impediunt, amovebuntur. Quærit CHRYSOSTOMUS, ſub finem Homiliæ VI. in priorem Epiſtolam ad Corinthios, cur, cùm tanta olim fuiſſent Chriſtianæ rei incrementa, vix ulla ſuo ævo eſſent? Ejus verò rei cauſſam adſignat, non in ceſſatione Miraculorum, ſed in degenere Chriſtianorum vita, qui à primorum Chriſtianorum pietate ac virtute longiſſimè receſſerant. *Nec enim ſolis Miraculis*, inquit, *ad credendum inducebantur, ſed & vita Chriſtianorum.* Juxta illud Chriſti, *Luceat lux veſtra coram hominibus*, &c. *Et erat omnium cor unum, & anima una*, &c. *& vitam agebant Angelicam.* Καὶ νῦν ἂν γένηται τοῦτο, τὴν οἰκουμένην ἐπιστρέψομεν ἅπασαν, κ) σημείων χωρίς. *Et nunc quoque, ſi hoc factum fuerit, univerſum Orbem convertemus, etiam ſine Miraculis.* Ita eſt profectò: Si talis eſſet Chriſtianorum vita, qualis eſſe deberet, & qualis erat primis Chriſtianiſmi temporibus, fieri non poſſet quin hæc agendi ratio maximum Evangelio pondus adderet, ipſiſque Adverſariis reverentiam ingeneraret; quâ intercedente, multi hauddubiè ad fidem adducerentur. Faxit DEUS OPT. MAX., ut id omnes ſeriò agamus, cauſſámque Chriſtianam, non dictis tantùm, ſed & factis, promoveamus! Ei verò, à quo eximiam illam Doctrinam accepimus, REGI SÆCULORUM, IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI SAPIENTI DEO, FILIOQUE EJUS UNIGENITO JESU CHRISTO, DOMINO NOSTRO, ſit laus, honos, & gloria, in ſempiternum. AMEN.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONES
THEOLOGICÆ

De Chriſto Audiendo,
De Articulis Fundamentalibus,
De Pyrrhoniſmo Pontificio,
De Commodis Temporalibus
Pietatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO THEOLOGICA DE CHRISTO AUDIENDO.

Habita eſt diſputatio, reſpondente PAULO LUCA LA FARGUE *Regiomontano Boruſſo.*

THESIS PRIMA.

THEOLOGIA CHRISTIANA, cujus nos cognitione beavit Deus, variâ admodùm formâ ac methodô, per varias ætates, tractata eſt: ſtatim modô planô ac facili, à Chriſto & Apoſtolis tradita: poſtmodùm ornatiùs compta, allegoriis, tropis rhetoricis, & Philoſophiæ non unius pigmentis incruſtata: hinc, novis quotidie ortis diſſidiis, levibus magnam partem ac nullius frugis, tota ferè in rixando poſita: tandem, in fæce Sæculorum, tot Scholæ tricis atque argutiis, barbariſque

que loquendi formulis, impedita atque inquinata, ut nullum ferè nativæ ſuæ ſimplicitatis ac pulchritudinis lineamentum retinuerit.

II. Imò verò, poſt inſtaurata per Europam Literarum ſtudia, Sacrorúmque ritus, felicibus auſpiciis, non una in regione, purgatos, tot variæ nihilominùs, non per varias modò Sectas, ſed & in una eadémque Secta, Theologiæ tradendæ rationes ac methodi uſurpatæ ſunt, hodiéque uſurpantur, ut non tam una Diſciplina, à variis tractata ingeniis, quàm diverſiſſimæ inter ſeſe, ſibíque invicem planè repugnantes, Diſciplinæ tradi videantur.

III. In tanta pugna, quas partes ſequemur? Tot inter Doctores, quem nobis ducem magiſtrúmque deligemus? Utique, ponderatis omnibus, nihil conſultius videtur eſſe, nihil æquius, nihil ſalubrius, quàm ſi ad originem ipſam adſcendamus; quàm ſi, poſthabitis rivulis, turbidis utplurimùm atque lutulentis, Fontem ipſum adeamus; unô verbô, quàm ſi, miſſis hominibus, qui omnes ſunt errori obnoxii, eum ſequamur qui VERITAS eſt; atque ex divinis ejus Sermonibus (haud excluſis Scriptis Apoſtolicis, quæ & ipſa veram ac genuinam Chriſti doctrinam continent; uti nec cæteris Libris Sacris, quorum omnium ritè intellectorum idem eſt ſcopus) noſtram omnem, quanta quanta eſt, Theologiam deducamus.

IV. Quâ fronte conſilium hoc apud Chriſtianos culpari poſſit, haud facilè providemus. Ecquis enim Chriſtianus, vel Chriſtianum ſe dicens, vituperare Chriſtianos auſit, quòd CHRISTUM audiant atque ſequantur? Verùm tamen, cùm non deſint in Eccleſiis Chriſtianis Doctores, qui, non Chriſtum, (quidquid ſimulent) ſed ſe ſolos audiri optant; vellént-que, non in ſua modò placita, ſed & in ſuas omnes loquendi docendíque formulas jurari, placet noſtræ iſtius methodi fundamenta proponere, & ab objectis, ſi qua proponantur, publicâ diſputatione vindicare.

V. Igitur, veram Theologiam, Theologiam verè Chriſtianam, non aliunde meliùs quàm ex CHRISTI Sermonibus Factíſque

tisque deduci posse, suadet Primo summa Christi Domini nostri dignitas. Cùm enim in eo omnis plenitudo Divinitatis *habitet corporaliter*, hoc est, non in umbris atque figuris, ut sub Veteri Testamento, sed verè ac propriè; vel etiam, in humano corpore, in Homine nobis simili, Coloss. II. 9. cùm ille, per suam hanc Divinitatem, sit æterna Patris Sapientia, humanis pannis vestita, ipsum Dei Verbum *caro factum*, Deus in carne manifestatus; Joh. I. 14. I. Timot. III. 16. cùm sit *imago Dei invisibilis*, Coloss. I. 15. is, *quô visô*, *videtur Pater*, Joh. XIV. 9. qui *est in Patre*, *& Pater in eo*, ℣. 10. 11. imò qui est unum cum Patre, Joh. X. 30. cùm ille sit summus Propheta, imò Prophetarum omnium maximus; cùm *Spiritum*, non certâ mensurâ, ut Prophetæ reliqui, sed *sine mensurâ acceperit*, ut *verba Dei loqueretur*, Joh. III. 34. cùm *in eo sint thesauri omnes reconditi sapientiæ ac intelligentiæ*, Coloss. II. 3. cùm Deus, qui Veteres *Patres per Prophetas allocutus fuerat*, *nos alloqui* dignatus sit, *his ultimis diebus*, *per* hunc *suum Filium*, *qui est splendor gloriæ ejus*, *& subsistentiæ ejus character*, seu, imago ejus vivens ac subsistens, Hebr. I. 1. 3. cùm ille Deum *manifestum fecerit*, hoc est, perfectissimæ ejus doctrinæ ac voluntatis interpres fuerit; juxta illud, *Nemo unquam vidit Deum*; *Filius unigenitus*, *qui est in sinu Patris*, *ipse illum declaravit*, ἐξηγήσατο, hoc est, ejus ἐξηγητὴς seu *Interpres* fuit, Joh. I. 18. cùm ille sit *Ecclesiæ Caput*, Coloss. I. 18., cujus *Apostoli*, *Prophetæ*, *Evangelistæ*, *Pastores & Doctores*, nihil aliud sunt quàm Legati ac servi, Ephes. IV. 11. 15. cùm ille sit *auctor & consummator fidei nostræ*, Hebr. XII. 2. cùm *Deo placuerit ut omnis plenitudo in ipso inhabitet*, Coloss. I. 19. *nósque omnes* oporteat, dona quælibet spiritualia, adeóque cognitionem omnem, *ex ejus plenitudine haurire*, Joh. I. 16. Cùm, inquam, tot titulis, tot elogiis, summa Christi Domini nostri dignitas in Scriptura describatur, certè vel id unum nos movere debet, ut, in tradenda cœlesti Doctrina, eo Duce ac Magistro unicè utamur.

VI. SECUNDO non modò id colligitur ex Christi titulis & dignitate, sed & id ipsum, modô maximè notabili, maximéque conspicuô, præcepit Deus; in præclaro nempe illo *Transfigurationis* Christi die, quô, præsentibus Mose & Elia, nec non & tribus ex præcipuis Christi Discipulis, Petrô, Jacobô, & Johanne, hæ voces *ex gloria magnifica* emissæ sunt, *Hic est Filius meus dilectus, in quo acquievi*, IPSUM AUDITE. Matt. XVII. 5. Verba illa, IPSUM AUDITE, maximam habere emphasim, nemo non videt: Nec enim solùm præcipiunt, ut Christus vulgaris Doctoris loco habeatur, sed ut pro summo, imò pro unico Doctore agnoscatur, à cujus unius ore omnes in posterum pendere debeant: Etenim, quemadmodum alii nemini, neque Homini, neque Angelo, dictum unquam à Deo est modô tam illustri, *Tu es Filius meus*, Heb. I. 5. ita nec præceptum illud, de IPSO AUDIENDO, ad ullum Hominem aut Angelum, tantâ latitudine, tantâque emphasi, referri potuit. Hôc autem præceptô respicere videtur Deus ad Oraculum Deuteron. XVIII. 15. quô de Propheta sui simili, à Deo excitando, Moses dixerat; *Prophetam é medio tui, ex fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi Jehova Deus tuus*; IPSUM AUDIETIS: Et mox ỳ. 18. & 19. iteratô eôdem promissô, addiderat Deus; *Et indam verba mea ori ejus, ut eloquatur quidquid ipsi præcepero*; *Et eveniet, ut quisquis non auscultaverit verbis meis quæ locuturus est in nomine meo, ego ab illo reposcam.* Igitur, cùm Deus hôc locô de Christo dicit, IPSUM AUDITE, innuere omninò videtur, eum esse summum illum Prophetam, de quo Moses locutus fuerat, *cujus ori Deus verba sua* singulari modô *erat inditurus*, & cujus documentis *quicumque non auscultaret, pœnas gravissimas daturus* erat. Notabile verò est, eô locô, quô Christum audiri, tanta cum pompa, tantóque cum apparatu, imperat Deus, adfuisse *Mosem* & *Eliam*, statimque pòst non ampliùs visos; ut scilicèt innueretur, vererem illam Oeconomiam, in qua Moses & Prophetæ Ecclesiæ Magistri fuerant, finem tunc accipere, unúmque deinceps Christum Ecclesiæ Doctorem fore. Nec sine

caus-

cauſſa, tres præcipui inter Chriſti *Apoſtolos*, ſolemnis hujus inaugurationis, cœleſtiſque vocis, teſtes adhibentur, ut pateat Chriſtianos omnes, ne ipſis quidem exceptis Apoſtolis, principibúſque Apoſtolorum, unius Chriſti diſciplinæ ac magiſterio ſubjectos fuiſſe.

VII. Tertio, ut Deus é Cœlis, ita & Chriſtus ipſe non ſemel docet, ſe eſſe ſummum illum Doctorem, à Deo conſtitutum, cui ſoli omnimoda fides debeatur. Notabilia, hanc in rem, præ cæteris mandata illa, Matt. XXIII. 8. & 10. *Vos autem ne vocemini, Rabbi*; unus enim est vester Doctor, Christus; *Omnes autem vos fratres eſtis. Nec vocemini Doctores*; unus enim est vester Doctor, Christus. Hôc locô Chriſtus Diſcipulos ſuos abducit à Judæorum Doctorum more, qui ſummam apud Populum auctoritatem ſibi tribuebant; qui amabant prima loca in conviviis, & prima ſubſellia in Synagogis, & ſalutationes in foro; gaudebántque, ſi venerandis illis nominibus רבי & אבא, *Doctor* & *Pater*, appellarentur; denique, quorum judicia ac definitiones ab eorum diſcipulis tanti fiebant, ut, vel ſi rationem afferrent nullam (quod de *Platone* aïebat *Cicero*) ſolâ eorum auctoritate frangerentur: Unde etiamnum in Talmude, aliiſque Libris Judæorum, videre eſt, eos, cùm aliquid probare intendunt, non aliâ ferè ratione uti quàm hâc, *Ita dixit Rabbi hic vel ille.* Ab illo igitur more Diſcipulos ſuos avertit Chriſtus, prohibétque, non modò ne talem reverentiam Judæorum Doctoribus tribuant, ſed etiam ne quid ſimile ſibi ipſis arrogent, aut ulli, quicumque ſit, mortali adſcribant; quia nimirùm unus est Doctor, unus Doctor ſummus atque eximius, à Deo miſſus & conſtitutus, nempe Christus. Et propterea ſe paſſim vocat, *Eum quem Pater miſit*, κατ' ἐξοχὴν; & *Lucem Mundi*; & *Viam*, *Veritatem*, *ac Vitam*; Jubétque omnes, ut *ad ſe veniant*, ſuíque *fiant Diſcipuli*, Matt. XI. 28. 29. quia nempe, ut ibidem ait, *omnia ipſi à Patre tradita ſunt; & nemo novit Filium, niſi Pater, neque quiſquam Patrem novit, niſi Filius, & cuicumque Filius eum revelare voluerit*, ℣. 27. At-

que hinc etiam fit, ut, in tradendis Christianæ vitæ officiis, tantâ utatur auctoritate: *Audistis quod dictum est Antiquis* &c. EGO VERO DICO VOBIS &c. Matt. V. Quæ quidem docendi ratio, supra vulgares Judæorum Doctorum disciplinas ita eminebat, ut eâ non parùm commoti auditores omnes fuerint. Matt. VII. 28. 29.

VIII. Neque verò id Christus gratis, (quod nos QUARTO notari volumus) & absque idoneis argumentis sibi sumebat. Quod si fecisset, *de se testantis testimonium*, utut in se fide dignissimum, ob eximiam nempe ejus probitatem, ab omni fraude alienissimam, non magni tamen ponderis apud Judæos futurum erat. Verùm *erat alius qui testaretur*, Joh. V. 32. Neque is modò *Johannes Baptista*, qui tamen & luculentissimum ipsi perhibuerat testimonium, ℣. 33. sed testis homine major, omníque superior exceptione; *Opera quæ dederat ei Pater, ut ea perficeret, ipsa opera* sive miracula *quæ faciebat, eum à Patre missum testabantur*, ℣. 36. Hæ scilicèt fuerunt Literæ, quæ ipsi tanquam Dei Legato auctoritatem conciliabant. Hoc fuit sigillum, quô Deus, de cœlesti ejus missione, ejúsque Doctrinæ veritate, fidem faciebat; Joh. VI. 27. His verò accedebant etiam *Scripturæ*, in primis verò *Mosis* auctoritas, quem de se prophetâsse Christus affirmat Joh. V. 39. & 46. Verùm, non hic locus est istis immorandi; siquidem, non cum Judæis vel Ethnicis, sed cum solis Christianis jam agimus: Notari tamen illa oportuit, ut pateat quantis testimoniis, quámque omni exceptione majoribus, ad Christum pro summo Doctore agnoscendum nos Deus impellat.

IX. QUINTO, quod Christus sibi sumit, id & ipsi pleno ore tribuunt Apostoli. Vocant illum LUCEM VERAM, QUÆ OMNEM HOMINEM ILLUMINAT, Joh. I. 9. Ab illa verò Luce, *Johannem Baptistam*, utut à Deo missum, insignémque Prophetam, sedulò distinguunt; *Non erat* LUX, *sed* missus erat *ut testaretur de Luce*; ℣. 8. Unde & ipse nolebat, eos qui ad se accedebant, sibi adhærere; sed eos ad Christum mittebat, se longè potiorem ac præstantiorem, ℣. 15. 16. 26. 27.

Pari-

Pariter Apoſtoli declarant, ſe ad nullum alium Magiſtrum ire velle; ob divinam nempe ejus doctrinam, eximiáſque promiſſiones; DOMINE, AD QUEM IBIMUS? *Tu habes verba vitæ æternæ* Joh. VI. 68. Et propterea, tum in concionibus, tum in epiſtolis, aliter non ſe vocant quàm *Chriſti ſervos*; Dicunt, ſe pro eo *legatione fungi*; quidquid agant, quidquid loquantur, aïunt ſe *in ejus nomine* loqui & agere; aſſerunt, ſe nihil dare Fidelibus, niſi QUOD À DOMINO ACCEPERINT. I. Cor. XI. 23. & XV. 3. Verbô, Chriſtum, pro vero & unico, ſui ipſorum primùm, deinde & Fidelium omnium, Doctore agnoſcunt.

X. Atque hinc fit, ut, dum Chriſtianos à falſis doctrinis jam tum irrepentibus dehortantur, innuant, quidquid à Chriſti documentis recederet, eô ipſô vitandum fuiſſe. Sic I. Tim. VI. 3. 4. *Si quis diverſam docet doctrinam, neque accedit* SANIS SERMONIBUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *& ei quæ ſecundùm pietatem eſt Doctrinæ, is turget, nihil ſciens*, &c. Pariter I. Cor. III. 11. negat Apoſtolus, ALIUD FUNDAMENTUM PONI POSSE, PRÆTER ID QUOD POSITUM FUERAT, *nempe* JESUM CHRISTUM. Unde Epheſ. IV. poſtquàm monuit Chriſtianos, *ne eſſent ampliùs pueri, qui fluctuarent & circumferrentur omni vento doctrinæ, hominum aleâ*, ſive fraude, *& veteratoriâ ad inſidioſè fallendum verſutiâ*, illos é contrario hortatur, ut *veritatem cum caritate ſectantes, in eo per omnia adoleſcant* QUI EST CAPUT, *nempe* CHRISTO, ℣. 14. 15. Neque aliter Coloſſ. II. in eo multus eſt Apoſtolus, ut oſtendat, placita omnia, à Chriſti doctrinâ aliena, rejicienda fuiſſe: Propterea monet, *theſauros omnes ſapientiæ & intelligentiæ* in Chriſto eſſe, ℣. 3. unde colligit, *ſicut acceperant Chriſtum Jeſum*, hoc eſt, ejus documenta, *ita & in eo*, nullô aliô Doctore auditô, *incedere* porrò debuiſſe, ℣. 6. Et mox ℣. 8. eos iterùm cavere jubet, *ne quis* eos *deprædetur per Philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non* SECUNDUM CHRISTUM.

XI. SEXTO, nec alia purioris ævi Chriſtianorum ſententia

fuit; quam, adversùs non unius nominis Hæreticos, doctrinas extraneas Christi doctrinæ adjicientes, vividè semper defenderunt. Pauca de multis loca proferemus. Igitur TERTULLIANUS, Sæc. II. & III. Scriptor, Librô *de Præscriptionibus Hæreticorum*, quô *Valentinianorum*, *Marcionitarum*, aliorúmque illius temporis hæreticorum deliria refellit, inter alia multa, hæc habet, cap. 6. *Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed* ACCEPTAM À CHRISTO DISCIPLINAM *fideliter nationibus adsignaverunt.* Mox cap. 7. in Aristotelem & Philosophiam Peripateticam acriter facundéque invehitur, eáque dicit quæ utinam Christianorum Theologorum animis infixa semper fuissent: *Miserum Aristotelem!* inquit, *qui illis dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omninò tractaverit. Hinc illæ fabulæ, & genealogiæ interminabiles,* ET QUÆSTIONES INFRUCTUOSÆ, *& sermones serpentes velut cancer; à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam contestatur caveri oportere, scribens ad Colossenses*; Videte ne quis vos circumveniat per philosophiam &c. Et paulò pòst; *Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? &c. Viderint qui* STOÏCUM, ET PLATONICUM, ET DIALECTICUM CHRISTIANISMUM *protulerunt.* Quibus tandem eximium hoc dictum cap. 8. subjungit; NOBIS CURIOSITATE OPUS NON EST POST CHRISTUM JESUM, NEC INQUISITIONE POST EVANGELIUM.

XII. *Tertulliano*, popularem ejus atque discipulum CYPRIANUM adjungimus, Sæculi III. non Scriptorem modò, sed Episcopum & Martyrem celeberrimum, cujus inter varia loca huc spectantia, hoc præ cæteris notabile est, Epist. 63. *Cæcilio Fratri*; quâ, eos impugnans qui in Calice Eucharistico, non vinum, sed aquam offerebant, ostendit, NON NISI CHRISTUM SEQUEN-

sequendum esse, *nósque id obaudire & facere oportere, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit; quando ipse in Evangelio dicat;* Si feceritis quod mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos. Et quod Christus, addit, debeat solus audiri, *Pater etiam de cœlo conteſtatur, dicens,* Hic est Filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. *Quare, si* solus Christus audiendus est, *non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid,* qui ante omnes est, Christus *prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem; cùm per Isaïam Prophetam Deus loquatur & dicat,* sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes: *Et iterùm Dominus in Evangelio hoc idem repetat, dicens,* Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. *Sed & alio in loco ponit & dicit,* Qui solverit unum ex mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno Cælorum. *Quòd si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere; aut in aliud, quàm quod divinitùs institutum sit, humana traditione mutare?* Hæc ille, eximiè prorsùs; quæ utinam ii inter Christianos, qui tot mutationes in Religionem invexerunt, qui Eucharistiam in primis tantoperè adulterârunt, sive calicem plebi subtrahendo, sive adorationem Sacramenti imperando, sive alios ritus non paucos Christo ignotos adjiciendo, dum interim *Patres Ecclesiæ*, & *Traditionem* perpetuò crepant, seriò meditarentur!

XIII. Duobus illis Africanis tertium adjicimus, optatum nempe, Milevitanum Sæc. IV. Episcopum, qui Lib. 5. de *Schismate Donatistarum*, adversùs *Parmenianum* Donatistam, de vero Judice Controversiarum, & vera illarum inter Christianos definiendarum ratione, eximium planè locum habet. Agebatur scilicèt de hac quæstione, Utrùm Baptismus à Catholicis collatus iterandus esset. Affirmabant Donatistæ; Negabant Catholici. Ad illos ergo sic Optatus; *Vos dicitis, licet: nos dicimus, non*

non licet. Inter licet veſtrum, & non licet noſtrum, nutant & remigant animæ populorum. NEMO VOBIS CREDAT, NEMO NOBIS: OMNES CONTENTIOSI HOMINES SUMUS. (ô ingenuam, ô laudabilem, ô imitandam à Chriſtianis omnium partium, confeſſionem!) *Quærendi ſunt Judices. Si Chriſtiani, de utraque parte dari non poſſunt, quia* STUDIIS VERITAS IMPEDITUR. *De foris quærendus eſt Judex. Si Paganus, non poteſt Chriſtiana nôſſe ſecreta: Si Judæus, inimicus eſt Chriſtiani baptiſmatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium.* DE COELO QUERENDUS EST JUDEX. *Sed,* addit, UT QUID PULSAMUS AD COELUM, CUM HABEAMUS HIC IN EVANGELIO TESTAMENTUM? *Quia hoc loco rectè poſſunt terrena cœleſtibus comparari: Tale eſt quod quivis hominum habens numeroſos filios, quamdiu pater præſens eſt, ipſe imperat ſingulis, non eſt adhuc neceſſarium teſtamentum: Sic & Chriſtus, quamdiu præſens in terris fuit (quamvis nec modò deſit) pro tempore quidquid neceſſarium erat Apoſtolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, dum ſe in confinio ſenſerit mortis, timens ne poſt mortem ſuam, ruptâ pace, litigent fratres, adhibitis teſtibus, voluntatem ſuam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas; Et ſi fuerit inter fratres nata contentio, non itur ad tumulum, ſed quæritur teſtamentum; & qui in tumulo quieſcit, tacitus de tabulis loquitur. Vivus, cujus eſt teſtamentum,* IN COELO EST: *Ergo voluntas ejus, velut in teſtamento,* SIC IN EVANGELIO REQUIRATUR. Hæc *Optatus*; cujus quidem verba, utpote eximia, & ad argumentum noſtrum apprimè facientia, exſcribere hôc locô non piguit.

XIV. Et hæc quidem, quæ hactenùs protulimus, de CHRISTO AUDIENDO mandata & teſtimonia ferè externa ſunt. Jam, ſi ipſam CHRISTI Doctrinam ſpectemus, ſi divinos ejus Sermones, non leviter ac perfunctoriè, non ex inani curioſitate, ſed animô piô & attentô, expendamus, quàm vividè rursùs, quàm libenter, ad ei auſcultandum impellemur? Enimverò, quid, de Divinis, quæri cum modeſtia & ratione poteſt, quod non, cùm in tota Scriptura, tum ſpeciatim in Chriſti Sermonibus,

nibus, eximiè contineatur? Vis ſanas de Deo notiones? Quæris rectiſſimum illius cultum? Petis officiorum omnium, quibus hominum vita continetur, accuratam deſignationem? Optas ſummæ Felicitatis, viæque quæ ad illam ducit, minimè dubias demonſtrationes? Illa omnia, tantâ ſapientiâ, tantâ evidentiâ, tantâ dignitate, in Chriſti Concionibus, quæque Concionibus perfectè congruunt, Factis ejus comprehenduntur, nihil ut certius atque præſtantius deſiderari ultrà poſſit.

XV. Nam, ad Deum quidem quod attinet, quis veriores, quis ſublimiores ejus ideas tradidit, quàm Chriſtus? dum docet, Deum eſſe *Mentem*, adeóque purâ colendum mente; dum docet, omnia illum, à maximis uſque ad minima, Providentiâ ſuâ dirigere, adeò ut *ne paſſer quidem, niſi eô volente, in terram decidat*; dum docet, eum eſſe Optimum, imò *ſolum bonum* κατ' ἐξοχὴν, & fontem omnium bonorum; dum docet, eum, mirâ lenitate, mirâ patientiâ, mirâ clementiâ, peccatores tolerare, iiſque adſiduè benefacere, *Solem ſuum & pluviam ſuam* omnibus promiſcuè impertiendo; dum docet, eum ſummâ miſericordiâ erga nos peccatores tactum, de nobis ex hoc barathro redimendis conſilium cepiſſe, *Filiúm*que *ſuum unigenitum in mundum miſiſſe, ut quicumque in eum credit, non pereat, ſed habeat vitam æternam*; dum docet, eum *perfectiſſimum*, omniſque perfectionis exemplar, eſſe; dum docet, *regno* ejus, *potentiæ*, *gloriæ*, nullum finem fore; dum docet denique, illum æquiſſimum, qui mortalium unicuique *ſecundùm opera ipſorum ſit redditurus*.

XVI. Neque verò ab ideis illis Cultus à Chriſto præſcriptus abludit; Cultus *Spiritualis*, qui nempe Dei naturæ & perfectionibus optimè conveniat; Cultus, non *Hieroſolymis*, non in *monte Garizitano*, ſed ubique terrarum, nullô diſcrimine loci, exhibendus; Cultus, non in mactandis pecudibus, non in thure adolendo, non in carne circumcidenda, non in corporeis ablutionibus, ſed in mentis puritate, vitæque innocentia, poſitus; Cultus, ut paucis omnia includamus, in

ſummâ Dei reverentiâ, fide, amore, timore, fiduciâ, laudibus, precibus, gratiarum actionibus, imitatione, & obſequio, ſitus.

XVII. Jam, quod ad cætera vitæ OFFICIA, quibus homines, tum inter ſeſe, tum ſibi etiam ipſis obligantur, quàm eximiæ Leges æquitatis, caritatis, manſuetudinis, miſericordiæ, beneficentiæ, veracitatis, candoris, temperantiæ, modeſtiæ, patientiæ, moderationis, à divino illo Doctore ac Legiſlatore noſtro poſitæ ſunt? dum nos jubet *aliis facere, quicquid nobis factum vellemus*; quâ unâ lege pars longè maxima Diſciplinæ morum continetur: dum nos jubet, *proximos* noſtros (quô nomine homines omnes, etiam extranei, etiam inimici, comprehenduntur) *inſtar noſtrî ipſorum diligere*: dum nos jubet, quicquid facultatum, quicquid conſilii, quicquid opis habemus, in aliorum uſum impendere, *nudos veſtire, famelicos cibare*, oppreſſos erigere, afflictos ſolari: dum nos jubet eſſe *manſuetos, pacificos, miſericordes*; qui autem tales fuerint, verè *beatos* pronuntiat: dum nos jubet, etiam provocatos, etiam peſſimè habitos, à *maledictis* abſtinere, imò ab *ira* ipſa temperare, contrà *bonum pro malo rependere*: dum nos jubet, ita alienos à mendacio & fraude eſſe, ut nobis *nudè affirmantibus, neque jurantibus*, fides habeatur; ita alienos à pecuniæ ſiti, ut *theſaurum noſtrum habeamus in cœlis*; ita alienos à ſuperbia, ambitione, vanæ gloriæ ſtudio, ut *qui major eſt, minoribus ſeſe ſubjiciat*, neque ullum officii genus nimis demiſſum arbitretur; ita alienos à fœda libidine, ut non *factis* tantùm *illicitis*, ſed & *deſideriis* abſtineamus: poſtremò, dum nos jubet, novum vitæ genus ingredi, quô ipſorum *infantulorum* ſimplicitatem, puritatem, ac modeſtiam, factis exprimamus.

XVIII. Quemadmodum verò ſanctiſſimis Legibus Diſcipulos ſuos Chriſtus informat, ſic & validiſſima ad earum praxim INCITAMENTA iis adjungit: Non exiguum lucrum, non inanes plauſus, quibus homines vulgò capi ſolent; ſed quicquid ſanctiſſimum ac utiliſſimum vel fingendo concipere poſſu-

poſſumus. Si quid rerum æquitas valet; ſi quid ipſa Dei reverentia; ſi quid divinæ perfectiones, ad imitandum nobis propoſitæ; ſi quid divina beneficia, plenâ manu in nos effuſa; ſi quid æternæ miſeriæ metus, ſi quid perpetuæ *Felicitatis* deſiderium atque exſpectatio; his machinis, his incentivis, nos ad obſequium diſciplinæ ſuæ præbendum impellit Chriſtus.

XIX. Sed neque ab his Chriſti Sermonibus, eximiis oppidò ac verè divinis, ſanctiſſima ejus FACTA ſejungenda ſunt. Nam, & omnium, quas præcepit, virtutum, abſolutiſſimum *exemplar* præbuit; &, qui ſummus planéque ſtupendus, tum ſui in Deum obſequii, tum ſui in nos amoris, cumulus fuit, *vitam ſuam in pretium redemptionis pro nobis dedit*; *ſanguine* ſuo, noſtra *eluit ſcelera*, Deúmque propitium nobis effecit; & tandem, ut eximiis illis, omnémque captum ſuperantibus, de *Corporibus ſuſcitandis*, *æternâque in Cœlis vitâ*, promiſſionibus fidem faceret, ipſe ex tumulo ſuſcitatus, atque in Cœlum, videntibus Apoſtolis, ſubvectus eſt.

XX. Et hæc quidem eſt doctrina Chriſti; hæc ejus THEOLOGIA; mira certè, ſublimis, divina, ſi rerum ipſarum momenta ſpectentur; ſed & ſimul, modô ita planô, ita familiari, propoſita, ut omnium, vel maximè rudium, captui accommodata ſit. Nullæ barbaræ locutiones; nullæ inutilium quæſtionum tricæ; nihil quod artem, nihil quod Scholam vel minimùm ſapiat. Omnia plana ac facilia, non aliunde quàm ex vulgi uſu, & recepto ſermone, deſumpta. Similitudines, Parabolæ, ex rebus obviis, ac velut é trivio. Argumenta, ratiocinationes, non quæ Doctos ſolos afficiant, ſed quarum vim vel ruſticus atque idiota poſſit agnoſcere. Quæ quidem omnia ita ſapienter ſuis quæque locis aptantur, ut res vel maximè ſublimes ipſis quaſi ſenſibus ſubjiciant. Verbô, ſi DEUS hîc loquatur, patet illum Hominibus loqui, & *linguâ filiorum hominis* verba facere.

XXI. Accedant nunc *Myſtæ*, *Philoſophi*, quotquot rerum ſacrarum notitiâ excellere exiſtimabantur. Quis eorum, Chriſ-

ti Sermonibus, non jam dicam aliquid præſtantius, ſed par vel ſecundum, unquam protulit? Multa, fateor, vera ac utilia, Philoſophi Ethnici dixêre: At quàm imperfecta illa, ſi cum Chriſti dictis conferantur? Quantis illa erroribus, quantis illa dubiis, permixta? Quanta pars eorum, (ut *Epicurei*) Deum quidem verbis ſtatuebat, ſed re tollebat? Quanta pars (ut *Stoïci*) Deum cum Mundo confundebat? Quanta pars (ut *Academici* atque *Pyrrhonii*) nihil eſſe certi contendebat, & de Divinis in utramque partem diſputare non verebatur? Speciatim verò, quàm hæſitanter, vel ſapientiſſimi illorum (ut *Socrates*, *Cicero*, *Seneca*, &c.) de vita futura loquebantur? Itaque, veriſſimum eſt, quod de iis aſſerit Paulus, illos, *dum ſe ſapientes dicerent*, re verâ *deſipuiſſe*, Rom. I. 22. neque *Deum*, ſaltem ut par eſt, *ſapientiâ ſuâ cognoviſſe*. I. Cor. I. 21. Proindéque, in rebus divinis, parùm digni ſunt qui audiantur.

XXII. Sed neque illi Chriſto comparandi, atque in Sacris audiendi, *Judæorum Doctores* erant, qui tamen *Scientiæ clavem* penès ſe eſſe gloriabantur. Non *Phariſæi*; qui vanis traditionibus, & multis quidem Legi Dei contrariis, Religionem adulteraverant. Non *Sadducæi*; qui magnum illud Religionis caput, de animorum immortalitate, & vita futura, rejiciebant. Non *Scribæ* omnes ac *Legiſperiti*, utpote qui errores craſſiſſimos maximéque damnoſos fovebant, v. g. de pietate in externis poſita, de ſummo pretio Cæremoniarum, de Iſraëlitis omnibus, vel ob ſolum genus, Deo gratis, de cæterarum Gentium apud Deum vilitate, aliiſque hujuſmodi. Quanto rectiùs, quanto ſapientiùs, de iſtis omnibus CHRISTUS noſter ſentit! quámque proinde dignior eſt, cujus documentis attendatur!

XXIII. Imò verò, nec *Moſem* & *Prophetas*, utut à Deo adflatos, nec niſi vera prædicantes, ulteriùs audire licet, niſi quantùm ad CHRISTUM ducunt, CHRISTÓque famulantur. Enimverò, illi Servi, Chriſtus Dominus: Illi puerilis ætatis informatores atque duces; Chriſtus, jam adultorum, & ad ma-

majorem perfectionem adducendorum, magiſter: Illis, lux quidem vera, ſed lux crepuſculi, lux auroræ tantùm; Chriſto, ſplendor meridianus. Igitur, *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem prophetârunt*: Verùm *à diebus Johannis Baptiſtæ*, aliquid perfectius ſequitur, initium habet *Regnum Cœlorum*. Matt. XI. 12. 13. *Lex per Moſem data eſt; ſed gratia & veritas exſtitit per* Jesum Christum, Joh. I. 17. Proindéque *nos omnes* oportet, non ex diſciplina Moſis, non ex parcis Prophetarum laticibus, ſed *ex Chriſti plenitudine*, veritatem & gratiam haurire, ℣. 16.

XXIV. Quæ cùm ita ſint, haudquaquam mirum eſt, ſi, agente in terris Chriſtô, cœleſtiſque ſuæ Sapientiæ theſauros expromente, illi omnes qui affectibus & opinionibus præjudicatis non omninò excæcati erant, *mirati ſint doctrinam ejus*, Matt. VII. 28. illius, ſupra vulgares Doctores, præſtantiam agnoverint, ℣. 29. denique in has eruperint voces, *Neminem unquam hominem, ut hunc hominem, locutum eſſe*. Joh. VII. 46.

XXV. Quæro igitur, beatô illô tempore, quô in terris Chriſtus verſabatur, cœleſtiſque Regni myſteria tantâ ſapientiâ in lucem prodebat, Ecquæ tunc vera Theologia, imò, ecquæ ſola vera fuerit? Nonne illa, imò illa ſola, quæ divinis Chriſti Sermonibus atque Factis continebatur? Atqui nos eandem habemus, ſi non ab ore dicentis fluentem, certè in tabulis Evangelicis fideliter repræſentatam. Quidni igitur ei adhæremus? Quidni eâ contenti ſumus? Quidni, exemplô piorum illorum diſcipulorum atque mulierum, qui optimi procul dubio Theologiæ Candidati erant, ad pedes Chriſti piè adſidemus, ejus dicta pronâ mente excipimus, iis animum paſcimus, fidem inſtituimus, ſpem erigimus; ea denique, non ſermone tantùm, ſed & opere ipſo exprimimus? Hinc profectò plus veræ Theologiæ, quàm ex omnibus Theologorum, cùm veterum, tum recentiorum, commentariis acciperemus.

XXVI. Neque verò alium in finem, tot eximii Chriſti Ser-

mones, unà cum rebus ab eo geſtis, Dei Providentiâ in literas relati, atque ad nos tranſmiſſi fuêre, niſi ut ad eos, tanquam ad certiſſimam regulam, fidem noſtram, quanta quanta eſt, atque vitam, exigeremus. Itaque, ut Dei propoſito hac in parte faciamus ſatis, ſimúlque gratum noſtrum animum, ob adſervatum nobis tam pretioſum theſaurum, teſtemur, omninò convenit, noſtríque officii eſt, THEOLOGIAM noſtram omnem ex ſacris illis fontibus deducere.

XXVII. Verùm quid tot argumentis opus, ut Chriſtianis probetur, CHRISTUM verum & unicum illorum Doctorem eſſe? Nonne vel ipſum CHRISTIANORUM nomen, in quod baptizati ſumus, nonne vel ipſa THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ appellatio, nobis tacentibus, id abundè docet? Potes, ſi velis, *Lombardo*, *Scoto*, *Calvino*, *Luthero*, teipſum addicere: At, dum id agis, deſine tandem *Chriſtianus* appellari, eámque Theologiam, quam nobis venditas, *Chriſtianam* vocare.

XXVIII. Ac re verâ, quicquid hactenus diximus, de CHRISTO AUDIENDO, ac pro ſummo Doctore habendo, ita clarum apertúmque eſt, ut nemo ſit, qui, palàm ſaltem, ei auſit contradicere. Omnes Chriſtum Magiſtrum clamant; omnes veram ac genuinam ejus doctrinam ſequi profitentur. Verùm tamen, cùm res diverſiſſimas, imò & adverſâ fronte pugnantes, pro vera Chriſti doctrina obtrudant, utique neceſſe eſt, eorum plurimos falli aut fallere; proindéque non alia eſt via, verum à falſo ſecernendi, quàm ſi ad CHRISTUM ipſum recurramus, déque ſingulis, non ex ipſorum jactantia ac definitionibus, ſed ex ſola, cum CHRISTI dictis, convenientia, vel repugnantia, judicium feramus.

XXIX. Enimverò, quod multi dicunt, ad veram Chriſti doctrinam noſcendam, atque à falſis ſecernendam, alius quidem audiendam *Eccleſiam*, alius audiendos *Romanos Pontifices*, alius audienda *Concilia*, alius audiendos *Veteres Patres*, alius audiendam *Traditionem*, alius audienda *Orthodoxorum Theologorum* judicia, (ut plurima jam omittamus, quæ in hanc

hanc materiam diſputari poſſent, nec ſemel diſputata ſunt) notâſſe ſufficiat, illos qui ſic ſtatuunt, nodum, quod aïunt, in ſcirpo quærere; eóque, per longas ambages, operoſóſque circuitus, contendere, quod juxta ipſos ſitum eſt. Ac ſanè, quod ad ipſos Chriſti ſermones, illi certè ita plani ſunt, ita faciles, ita populares, (ſaltem ad ſummam rerum quod attinet) ut eos vel ruſticus atque infans poſſit intelligere. At verò, ut ſententia *Patrum*, *Conciliorum*, *Romanorum Pontificum*, &c. tota denique *Traditionis* ſeries, animo concipiatur, id, non ſine immenſo labore, infinitiſque diſquiſitionibus, imò verò ne ſic quidem, obtineri pro certo poteſt. Igitur, quid illi faciunt, qui Sermonum Chriſti intelligentiam ab his Judicibus pendere volunt? Idem faciunt (liceat dixiſſe) quod qui, *Genevâ Lugdunum* iturus, non totam modò *Europam* atque *Aſiam*, ſed & ultimas *Novi Orbis* plagas, peragrandas exiſtimaret. Vel, ut alio ſimili, magis ad rem accedente, utamur, perinde faciunt ac illi qui *Socratis* diſciplinam intellecturi, quæ, tum apud *Xenophontem*, tum in quibuſdam *Platonis* Dialogis, clara ſatis ac expedita eſt, dicerent legenda ac intelligenda, non modò *Platonis* & *Ariſtotelis* opera omnia, ſed & univerſas *Platonicorum* ac *Peripateticorum* Philoſophorum commentationes; quæ, ut notum eſt, tanto numero ſunt, & multæ quidem tot ſpinis hirſutæ, ut, iis terendis atque devorandis, ne longiſſima quidem vita ſufficiat. Haud aliter hîc ſe res habet, dum Chriſti doctrina, plana per ſe ac facilis, ex immenſa Scriptorum ſylva, ac per mille nodos inſolubiles, exponenda pronuntiatur.

XXX. Ecclesiæ nomen ſanctum eſt; nec dubium, quin, ſive dum docet, ſive dum hortatur, ſive dum arguit, magna cum veneratione atque obſequio audienda ſit. Verùm, cùm plurimæ Societates, é diametro ſibi contrariæ, nomen illud ac dignitatem ſibi tribuant, conſtétque illam ſolam audiendam Eccleſiam, quæ veram Chriſti Doctrinam tradit, utique de *Eccleſia* ex *Doctrina* potiùs, quàm de *Doctrina* ex *Eccleſia* judicandum eſt. Nec juvat dicere, non quamvis Eccleſiam, ſed

ſed Eccleſiam *Catholicam*, veræ fidei Judicem eſſe: Etenim, ſi, per nomen illud, omnes quæ ubique ſunt, quæque unquam in Orbe fuerunt, Eccleſiæ intelligantur, quid juvat de Eccleſia loqui? an Eccleſia hoc ſenſu ſumpta unà unquam congregata eſt, ut de fide judicium ferret? &, an ulla in Orbe eſt Eccleſia particularis, quæ titulum illum poſſit aſſumere? At, ſi, per *Catholicæ* nomen, intelligatur ſolummodò major pars Eccleſiarum, unde conſtat majorem partem eam ſemper eſſe quæ meliùs ſentit? &, nonne exempla contraria, tum in Sacris Literis, tum in Eccleſiæ Annalibus, paſſim occurrunt? Dices, Eccleſiam quæ audienda eſt, eſſe Eccleſiam *Orthodoxam*, Theologóſque *Orthodoxos*. Rectè; ſed titulos illos unumquemque ſibi tribuere, adeóque illos nihil probare, nemo non videt.

XXXI. Verùm demus, ſatis innoteſcere, quænam Eccleſia audienda ſit: At, noſcendum ulteriùs eſt, & quidem certiſſimè noſcendum, cujus ore ac miniſterio illa loquatur: Quâ de re, cùm illi ipſi, qui Eccleſiam maximè venditant, inter ſe non conſentiant, contrà graviter hac de re litigent, profectò vel hinc ſatis liquet, nihil certi hac in parte eſſe. Ac ſanè, ſi illos audis, qui ad *Concilia* provocant, ingentem catalogum producent *Paparum* errantium, aut ſibi invicem adverſantium; *Liberium* formulæ Arianæ ſubſcribentem, *Zoſimum* Pelagio & Celeſtio faventem, *Honorium* Monothelitam, *Vigilium* trium Capitulorum defenſorem, *Johannem* XXII. ſex deceſſorum ſuorum definitiones infringentem, ipſum etiam graviſſimarum hæreſium inſimulatum &c. Contrà, ſi Paparum fautores audieris, parem catalogum *Conciliorum*, falſa definientium, ſibique invicem contradicentium, tibi proferent. Rectè omnes, dum cæteros refellunt; Peſſimè, dum propriis placitis adſtruere fidem nituntur.

XXXII. Quos PATRES dicunt, homines fuiſſe, adeóque errori obnoxios, neque ipſi diffitentur, nec, ſi negarent, difficile probatu eſſet. Certè, alios parùm doctos, alios parùm ſedulos fuiſſe; alios iræ, alios invidiæ, alios aliis affectibus litâſſe;

litâſſe; aliis mendacium obrepſiſſe, aliis placuiſſe; denique alios aliis, in plurimis, adverſatos eſſe, ita clarum apertúmque eſt, ut à nemine ignorari queat. Ut jam mittamus, quàm incerta ſit, tum ob Libros eorum deperditos, tum ob Libros ſpurios aut interpolatos, tum ob ſtyli obſcuritatem, tum ob materiæ difficultates, tum ob alias cauſſas non paucas, vera ac genuina illorum ſententia.

XXXIII. Quòd ſi verò incerta ſit, erroríque admodum obnoxia, ſingulorum Patrum ſententia, quid de Traditione exiſtimabitur, quæ nonniſi illorum placitis ac teſtimoniis conſtat? Ac re verâ, tantùm abeſt, ut, quæ venditantur pro Traditione, verè tradita à Chriſto vel Apoſtolis appareat, ut contrà eorum non pauca, ut *Purgatorium*, *Indulgentiæ*, *Sanctorum* defunctorum *Invocatio*, tum genuinæ Chriſti doctrinæ in Libris Sacris contentæ, tum puriorum Sæculorum placitis, é diametro adverſentur.

XXXIV. In genere (ſi ſolos *Apoſtolos*, Spiritu Chriſti donatos, adeóque ab omni errore immunes, exceperis) nullus eſt Doctor, nullus Cœtus, nulli Libri, nulli Canones, quantæcumque auctoritatis vel antiquitatis ſupponantur, quos tanquam ſupremos Judices, in rebus fidei, audire liceat. Etenim generalia ſunt præcepta iſta: *Cavete à falſis Doctoribus: Videte ne quis vos deprædetur &c. Omnia explorate; quod bonum eſt, tenete: Si nos ipſi, vel Angelus de cœlo, aliud evangelizaverit, præter id quod vobis evangelizatum eſt, anathema ſit*; &c. Proindéque, ſi rectam Theologiam eligere nobis velimus, illa, non ab humanis Doctoribus, qui omnes ſunt errori obnoxii, ſed à ſolis Christi documentis, fallere neſciis, accipienda eſt.

XXXV. Et ſanè, *puriùs* ex fonte bibitur, quàm ex rivis. Certiùs doctrina Magiſtri cujuſpiam, ab ipſo illo Magiſtro accipitur, quàm ab iis qui ſe poſtea diſcipulos ejus venditant. Sic nemo neſcit, *Socratis* diſcipulos, & *Platonis*, & *Ariſtotelis*, & aliorum Philoſophorum, à Magiſtrorum ſententia ſæpiſſimè receſſiſſe, atque in varias abiiſſe Sectas, quarum nulli,

de Magiſtri placitis, tutò ſatis credi poterat. Quod verò reliquis Diſciplinis, illud etiam, ſinente Deô, Chriſtianæ Doctrinæ accidit. Quò longiùs ab ortu receſſit, pro variis hominum ingeniis, variè quoque interpolata eſt; ad eundem ferè modum, quô aquarum rivi, puri ſtatim ac limpidi, poſtmodum ſoli, quod tranſcurrunt, ſordibus turbantur ac inficiuntur. Res clara eſt; neminémque, cui Doctrinæ Chriſtianæ hiſtoria vel tantillùm perſpecta ſit, inficias iturum puto. Quamobrem, ſi quis Chriſti doctrinam illibatam tenere cupiat, hunc profectò, ad Fontem adſcendere, neque ab hominibus, ſed à CHRISTO ipſo, accipere illam neceſſe eſt.

XXXVI. Ut verò, ſic, purior ac certior, ita & magis *pia* Theologia noſtra futura eſt. Ac ſanè, ingenuè fatendum, eam Theologiam quam Scholæ tradunt, non ſatis ad pietatem compoſitam eſſe. Nimis arida, nimis jejuna eſt. Multa habet, quæ *quæſtiones magis præſtant, quàm ædificationem*, quemadmodum ſuô jam ævô de nonnullis querebatur Paulus. Oſtendat id, exemplíſque firmet, Vir, cui melùs quàm nobis credetur, Scholaſticarum argutiarum objurgator acerrimus, veræ autem Theologiæ, quæ in pietatis ſtudio ſita eſt, promotor adſiduus; ERASMUS nempe, qui, in locum I. Tim. I. 6., ubi quorundam Doctorum ματαιολογίαν ſeu *vaniloquium* caſtigat Apoſtolus, eximiè in hunc modum diſſerit. *Quantum ad pronuntiationem attinet*, inquit, MATÆOLOGIA *non multùm abeſt à* THEOLOGIA, *cùm res inter ſe plurimùm diſcrepent. Proinde nobis quoque cavendum eſt, ne ſic ſectemur* theologiam, *ut in* matæologiam *incidamus; de frivolis nugis ſine fine digladiantes: Ea potiùs tractemus, quæ nos transforment in Chriſtum, & cœlo dignos reddant. Quorſum enim attinet decertare, quot modis accipiatur peccatum, privatio duntaxat ſit, an macula inhærens animæ? Hoc potiùs agat Theologus, ut omnes horreant oderíntque peccatum. Totis ſeculis diſputamus, an gratia quâ Deus nos diligit ac trahit, & quâ nos illum viciſſim diligimus, eadem ſit gratia, & an ſit aliquid creatum, an increatum? Illud potiùs agamus, puris precibus, innocentiâ vitæ,*

piis

piis factis, ut eo munere nos dignetur Deus. Digladiamur ſine fine, quid diſtinguat Patrem à Filio, & utrumque à Spiritu Sancto, res an relatio, &, quî conſiſtat, tres dici, quorum nullus ſit qui alius, cùm ſint una eſſentia? Quanto magis ad rem pertinet, hoc modis omnibus agere, ut ternionem illum, cujus majeſtatem ſcrutari fas non eſt, piè ſanctéque colamus & adoremus, illiúſque concordiam ineffabilem noſtrâ concordiâ quoad licet exprimamus, quo contingat aliquando & in illius aſciſci conſortium. Diſputamus, quî fieri poſſit, ut ignis quo cruciabuntur impiorum animæ, cùm ſit materialis, agat in rem incorpoream? Quantò magis referebat, huc totis viribus eniti, ne quid in nobis reperiat ignis ille, qualis qualis eſt, quod exurat. Hæc ille, eximiè prorsùs, & quibus utinam attenderetur! Jam verò, quæ ille carpit, quæque ſunt alia iſtis ſimilia, planè abſunt à CHRISTI Sermonibus. Nihil ibi vanum, nihil otioſum. Omnia ad Deum ducunt. Omnia, ad pietatem ingenerandam, ſunt comparata.

XXXVII. Quemadmodum verò magis pia, ſic quoque magis *pacifica* erit, ex Chriſti Concionibus hauſta Theologia. Nos quod attinet, qui ex Schola ſapimus, Theologiam habemus *rixoſam*, *elencticam*, *polemicam*. Semper iraſcimur; ſemper litigamus: Neque modò de rebus gravibus, ſed etiam de leviſſimis: Neque tantùm de rebus ipſis, ſed de meris vocibus perſæpe. At verò Chriſtus, Doctor ille pacis, *non contendit, non clamat; vox ejus in plateis non auditur*, Matt. XII. 19. Iraſcitur; ſed adversùs Doctores ſuperbos, avaros, hypocritas, qui zelum Dei & Religionis, affectibus ſuis obtendebant. Iraſcitur; ſed adversùs eos qui domum Dei in venditorum ac nummulariorum tabernam vertebant. De cætero, placidè docet; quæſtionéſque ac lites innumeras, quas nos magni facimus, planè omittit. Quæ quidem eò non dicimus, quaſi eliminari Controverſias omnes velimus; Novimus quippe, virum Dei, *πρὸς τὸ ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας*, *ad arguendos contradicentes*, paratum eſſe debere. At ſi Controverſiæ momento-

ſæ ſint, utique principia ad eas ſolvendas in Chriſti Sermonibus abundè reperientur.

XXXVIII. Atque hinc novum, Chriſti Theologiæ, ſupra reliquas, commodum exſurgit; quòd illa nempe longè *brevior* ſit, & pauciora capita contineat. Scilicèt, in immenſum crevit, à Chriſti diebus ad noſtra tempora, ea Diſciplina, quæ Chriſtiana dicitur. Quælibet ætas aliquid de ſuo addidit. Hinc tot quæſtiones, tot diſtinctiones, tot tricæ, tot argutiæ; quæ quidem non tam res obſcuras explicant, quàm rebus claris tenebras offundunt. Hinc tot Libri omnium generum, omnium Sectarum, omnium temporum; quorum ut vel tituli noſcantur, res immenſi penè laboris eſt. At verò, has omnes ambages ipſa Chriſti doctrina ignorat: Unô Librô, paucis capitibus, & iis quidem perbrevibus, comprehenditur.

XXXIX. Rursùs, ut brevior, ſic & *planior* eſt, facilior, magis popularis, ea Theologia quam Chriſtus docet. Abſunt ab eâ perplexa omnia; caret technicis vocibus; neſcit barbarum illud & γραφικὸν dicendi genus, quod ex Scholis Philoſophicis, neſcio quô malô fatô, in Theologicas derivatum eſt. Nôrat ſcilicèt ſummus ille Doctor, Religionem ad omnes ſpectare, ad plebem non minùs quàm ad Doctos. Nôrat, ea, quibus omnium ſalus, & æterna quidem ſalus, vertitur, nunquam ſatis perſpicuè, nunquam ſatis populariter doceri poſſe. Itaque omnium captui ac ruditati ſeſe accommodat. Unde, ad eum intelligendum, neceſſe non eſt, Diſciplinis excultum eſſe; Sola pietas, animíque rectitudo, ad id ſufficit.

XL. Denique, cùm Scriptores omnes humani, qui de rebus divinis agunt, utpote homines, innumeris laborent defectibus, multa falſa veris adjungant, multa vilia gravibus immiſceant, adeóque lectoribus tædium ac nauſeam non rarò creent, contrà qui CHRISTI Sermones legit, ejúſque Facta contemplatur, (ſaltem ſi animô piô ac devotô ad ea accedat) rarâ quâdam ac inuſitatâ voluptate perfunditur. Liceat dixiſſe; Nos homines ſæpe nugas agimus, etiam cùm res maximè ſerias maximéque divinas attingimus. At in Chriſto, nil

nil niſi grave, niſi utile, niſi momentoſum. Omnia, ad Dei reverentiam, ad vitæ inſtitutionem, ad conſcientiam regendam ac tranquillandam, pertinent. Nos perſæpe aliud agimus, etiam cùm *hoc agere* maximè oportuerat. At Chriſtus ſeriò ubique negotium ſalutis agit. Ab eo nunquam deflectit, neque ut paſcat curioſitatem, neque ut admirationem excitet, neque ut propria commoda promoveat. Semper *occupatur in negotiis Patris ſui*, quemadmodum ipſe aiebat. Ejus cibus, ejus voluptas eſt, & quidem voluptas unica, *facere voluntatem Patris*, hominéſque, ad eam faciendam, æternámque felicitatem comparandam, excitare. Ubinam nos meliorem Scholam, ubinam ſanctiorem ac perfectiorem Theologiæ Magiſtrum reperiemus?

XLI. Interim, ne quis calumnietur, eáque nobis affingat, à quibus ſumus alieniſſimi, id monemus iterùm iterúmque, quod ſuprà jam Th. III. atque alibi paſſim monuimus; ſcilicèt, dum nos Chriſti Sermones tantoperè extollimus, non ideò tamen Scripta Apoſtolica, uti nec cæteros Libros Sacros, ullatenùs poſthaberi aut excludi velle. Ac ſanè, cùm unus idémque Spiritus, nempe Dei Spiritus, Spiritus Christi, Scriptores illos omnes adflaverit, utique, non Chriſto opponendi, ſed amicè conjungendi ſunt. Nam, ut de *Veteri Teſtamento* primùm dicamus, quis neſcit Chriſtum ejus veritatem ubique ſupponere atque confirmare? Imò quis neſcit, Chriſtum eo uti, ut auctoritatem ſibi apud Judæos conciliet? ſi quid autem minùs perfectum Vetus illa Oeconomia habuit, quales erant de ritibus leges, ab eo emendari atque perfici? Quod verò ad *Apoſtolos* ſpectat, quis Chriſtianus ignorare poteſt, illos Spiritum Chriſti accepiſſe, à divino illo Spiritu *in omnem veritatem deductos* eſſe; denique, ſe illo donatos, Miraculis probatum dediſſe? Igitur, ſive dum ea repetunt, quæ Chriſtus jam docuerat, ſive dum ea quæ Chriſtus ipſe, habitâ temporum ratione, ſuorúmque captui ſeſe accommodans, ſubobſcurè tantùm innuerat, (qualia ſunt, de natura regni Chriſti, de antiquandis Cæremoniis, de rejectione Judæorum,

de Gentium vocatione, aliisque nonnullis capitibus) clariùs proferunt atque explicant, certè non alia ipsis fides, non alia reverentia, quam ipsorum Magistro debetur; Juxta illud Christi, *Qui vos audit, me audit; qui vos rejicit, me rejicit; qui verò me rejicit, rejicit eum qui misit me.* Luc. X. 16. Verùm tamen, cùm tota Scriptura eximia sit, fatendum est CHRISTI Sermones, totámque ejus historiam, singulari quâdam præstantiâ, supra reliquas partes eminere: Adeò ut, qui Sermones illos accuratè meditatus fuerit, perspectósque habuerit, (haud neglectis, iterùm repetimus, quæ ex cæteris Scriptoribus Sacris peti possunt illustrationibus) is profectò VERAM THEOLOGIAM, Theologiam VERE CHRISTIANAM, didicisse existimandus sit.

XLII. Sed neque, in iis quæ disseruimus, animus nobis ullatenùs fuit, Scriptorum Ecclesiasticorum, cùm antiquorum, tum recentium, laudi ac pretio quidquam detrahere. Multi sanè, id lubenter agnoscimus, suo in genere præstantissimi sunt; neque inutilem, Christianæ Doctrinæ, tum exponendæ, tum illustrandæ, tum defendendæ, operam dederunt. Verùm pareant homines piissimi, doctissimi, clarissimi, si, debitas eis laudes tribuendo, eos tamen CHRISTO postponamus; CHRISTÚMque, quem pro duce ipsi agnoscunt, pro duce etiam nostro ac Magistro unicè sequamur.

XLIII. Postremò, nec ea quæ diximus, de natis circa Christi doctrinam Controversiis, ita intelligenda sunt, quasi Controversias omnes ignorari penitùs vellemus. Utinam, utinam ignorari possent! Utinam Religio, quæ doctrina est pacis, in belli tubam conversa non esset! Utinam unica pugna, unica controversia inter nos vigeret; nempe quis, in Deo colendo, ejúsque voluntate exsequenda, promptior esset! At, hoc statu quò sunt res nostræ, velimus, nolimus, pugnandum est; neque ignorari Controversiæ possunt, ab iis saltem qui Religioni docendæ præficiuntur. Est hoc malum necessarium: Est hic *unus ex laboribus*, una ex ærumnis, una ex crucibus, *quas Deus dedit filiis hominum, ut in iis sese exerceant.* Verùm,

rùm, ut jam diximus, ad eas tractandas, déque iis rectè judicandum, abundè lucis atque præsidii apud Christum repériemus. Etenim, si illæ ad Religionis fundamenta pertineant, dubium non est quin principia omnia, ad eas intelligendas necessaria, tradiderit Christus: At, si nihil de iis dicat, neque quidquam quod ad eas spectet, id manifesto indicio est, illas magni momenti non esse, adeóque ad Religionis fundamentum non pertinere.

XLIV. Quod superest, cùm ex dictis pateat, veram Theologiam, Theologiam vere Christianam, non ab hominibus, sed à Christo solo, ejusque documentis atque factis, petendam esse, nostrum est, divinæ huic Sapientiæ nos totos addicere: ei attendere, eam meditari: ad eam, cogitationes nostras omnes, studia nostra omnia convertere: nullam aliam Fidei regulam imponi nobis ab aliis permittere: nullam & nos aliis imponere: qui eam nobiscum tuentur, neque illam hactenus plenè intelligunt, eos pro Fratribus tamen agnoscere, donec *& ipsis id quod latet Deus aperiat*: denique ad eam prestiùs sequendam, factisque exprimendam, non hostili animô, sed amicô fraternôque studiô, nos invicem excitare: memores dicti illius Christi, unus est Doctor vester, nempe Christus: omnes autem vos fratres estis.

XLV. Coronidis vice, non possumus non, eximium Erasmi locum, in quem incidimus, hic adtexere; quô argumentum à nobis tractatum, mirâ elegantiâ ac soliditate, exponitur atque confirmatur. Extat in egregio libello, cui titulus, *Paracleſis, id est, adhortatio ad Christianæ Philosophiæ studium*; quô, inter alia piè ac eruditè dicta, hæc habet. *Primum est scire quid docuerit* Christus, *proximum est præstare. Neque enim ob id, opinor, cuiquam sibi Christianus esse videatur, si spinosâ molestâque verborum perplexitate, de instantibus, de relationibus, de quidditatibus ac formalitatibus disputet, sed si quod* Christus *docuit & exhibuit, id teneat, exprimatque. Non quòd horum studium damnem, qui in argutiis hujusmodi*

non

non ſine laude exercuerunt ingenii ſui vires: ſed quòd exiſtimem; & verè, ni fallor, exiſtimo, puram ac germanam illam Chriſti Philoſophiam non aliunde feliciùs hauriri quàm ex Evangelicis & Apoſtolicis litteris, in quibus, ſi quis piè philoſophetur, orans magis quàm argumentans, & transformari ſtudens potiùs quàm armari, is nimirum comperiet, nihil eſſe, quod ad hominis felicitatem, nihil quod ad ullam hujus vitæ functionem pertineat, quod in his non ſit traditum, diſcuſſum, & abſolutum. Sive quid diſcere cupimus, cur alius auctor magis placet, quàm ipſe CHRISTUS? *Sive vivendi formam requirimus, cur aliud nobis prius eſt exemplum, quàm archetypus ipſe* CHRISTUS? *Sive pharmacum aliquod adverſus moleſtas animi cupiditates deſideramus, cur alibi putamus remedium eſſe præſentius? Sive cupimus reſidem ac langueſcentem animum expergefacere lectione, quæſo, ubi reperias igniculos æquè vivos & efficaces? Sive viſum eſt animum ab hujus vitæ moleſtiis avocare, cur aliæ magis placent delitiæ? Cur ſtatim malumus ex hominum litteris* CHRISTI *ſapientiam diſcere, quàm ex ipſo* CHRISTO? *qui quod pollicitus eſt, ſeſe ſemper nobiſcum fore, uſque ad conſummationem ſeculi, in his litteris præcipuè præſtat, in quibus nobis etiamnum vivit, ſpirat, loquitur, penè dixerim, efficaciùs quàm cùm inter homines verſaretur. Minùs videbant, minùs audiebant Judæi, quàm tu vides & audis in Evangelicis litteris, tantùm ut oculos & aures adferas, quibus ille cerni & audiri poſſit.* Et pòſt paullò. *Mahumetæi ſua tenent dogmata; Judæi & hodie ab ipſis cunabulis ſuum ediſcunt Moſem: Cur nos non idem præſtamus* CHRISTO? *Qui Benedicti profitentur inſtitutum, regulam ab homine, eóque penè idiota, & idiotis ſcriptam, tenent, ediſcunt, imbibunt. Qui Auguſtiniani ſunt ordinis, auctoris ſui regulam callent. Franciſcani Franciſci ſui traditiunculas adorant, &c. Cur illi plus tribuunt regulæ ab homine ſcriptæ, quàm univerſi Chriſtiani ſuæ regulæ, quam omnibus tradidit* CHRISTUS, *quam omnes ex æquo profeſſi ſunt in baptiſmo, denique quâ, ut ſexcentas etiam addas, nulla poſſit eſſe ſanctior?* Mox, quibuſdam interjectis, de CHRISTO ſic addit: *Hunc auctorem nobis, non Schola*

Schola Theologorum, ſed ipſe Pater cæleſtis, divinæ vocis teſtimonio comprobavit, idque bis, primùm ad Jordanem in baptiſmo, deinde in monte Thabor in transfiguratione: Hic, *inquit,* eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, IPSUM AUDITE. *O ſolidam auctoritatem, vereque, ut iſti vocant, irrefragabilem! Quid eſt,* IPSUM AUDITE? *Nimirum, hic unicus eſt Doctor, hujus unius diſcipuli ſitis. Attollat ſtudiis ſuum quiſque, quantum volet, auctorem; hoc de uno citra exceptionem dictum eſt* CHRISTO. Hæc *Eraſmus*, eximiè, ut ſolet: quibus & gemina, tum alibi paſſim in operibus, tum præſertim in elegantiſſimo ac utiliſſimo tractatu, cui titulus, *Ratio ſeu methodus compendio perveniendi ad veram Theologiam*, ad quem Lectores amandamus.

COROLLARIA.

1. *Illi ſunt optimi* THEOLOGIÆ *Candidati, qui eam*, non ſcholæ, ſed vitæ, *diſcunt.*

2. *Non Philoſophicis argutiis Deo grati ſumus, ſed animô ad ejus obſequium compoſitô. Huc tota* THEOLOGIA *referenda eſt.*

3. *Niſi quis* renatus *fuerit, & factus fuerit* ſimilis infanti, *& omnes turgidæ atque eriſticæ Sapientiæ notiones poſuerit, nunquam ei ad veram* THEOLOGIAM *aditus patebit.*

4. THEOLOGIA *Revelata, Theologiæ Naturalis principia ſupponit.*

5. *In Revelatione, multa quidem ſunt, quæ Lumen naturale nunquam detexiſſet; ſed nihil quod Lumini naturali adverſetur. Alioqui, nos, non Chriſtianos, ſed Pyrrhonios, eſſe oporteret.*

6. *Religio in ſolis præceptis moralibus ſita non eſt: Etenim dantur ſummi momenti Veritates, quæ, additis minis ac promiſſis, in N. T. inculcantur.*

7. *Sed qui illis veritatibus aſſenſum præbet, & promiſſis Chriſ-*

ti confidit, nec tamen ejus præcepta exſequitur, miſerè Deo ſibique illudit.

8. *De Myſteriis ſapiendum ſobriè, neque ultra id quod ſcriptum eſt.*

9. *Controverſiæ inter* Proteſtantes *agitatæ tanti non ſunt, ut mutuæ eorum tolerantiæ atque concordiæ intercedere debeant.*

10. *Illa utriuſque Cœtûs coalitio, ad ſacram Synaxim unà celebrandam, quæ, in Orphanotrophio Regiomontano, ſub auſpiciis* SERENISSIMI ET POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS, *non ita pridem inſtituta eſt, commendatione eſt dignissima; optandúmque eſſet, ut exemplum illud alii ſequerentur.*

11. *Fides, quæ* cor purificat, *&* vincit mundum, *Mundo & Scholæ ferè ignota eſt.*

12. *Qui alios, vel ob minimum diſſenſum, Orco adjudicant, cavere debent, ne ipſi, ob caritatis defectum, à Deo damnentur.*

FINIS.

BRE-

BREVIS ET PACIFICA

DE

ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS DISQUISITIO,

Quâ, ad PROTESTANTIUM Concordiam, mutuámque Tolerantiam, via ſternitur.

Habita eſt diſputatio, reſpondente JACOBO SERCES *Genevenſi.*

DE ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS, (quô non aliud datur gravius momentoliúſque argumentum, ſeu ut veram ideam Religionis habeamus, ejúſque eſſentiam ab aliis capitibus minùs eſſentialibus minúſque momentoſis diſtinguamus, ſeu ut diſcamus pia & Chriſtiana moderatione uti erga illos qui in capitibus non-neceſſariis à nobis diſſentiunt, non verò illos dam-

nare, à communione noſtra ejicere, imò & Orco addicere, prout multis ſolemne eſt) ut breviter, quantùm fieri poterit, dilucidéque verba faciamus, decem in capita noſtram hanc tractationem diſtribuemus. *Primò* dicemus, quid per ARTICULOS FUNDAMENTALES & NON-FUNDAMENTALES vulgò intelligatur. *Secundò* oſtendemus, talem diſtinctionem re verâ dari. *Tertiò* Notas Articulorum Fundamentalium minùs rectas, minúſque commodas, rejiciemus. *Quartò* eas Notas, quæ optimæ & convenientiſſimæ nobis videntur, proferemus. *Quintò* expendemus, an certus quidam ac definitus Articulorum Fundamentalium numerus ſtatui poſſit. *Sextò* videbimus, quomodo agendum ſit cum iis qui fundamentaliter à nobis diſſentiunt. *Septimò*, quomodo cum iis quorum diſſenſus non eſt fundamentalis. *Octavò* exemplum diſſenſûs fundamentalis, in noſtris cum *Eccleſia Romana* diſſidiis, proponemus. *Nonò* exemplum diſſenſûs non-fundamentalis, in diſſidiis quæ inter *Proteſtantes* intercedunt. *Decimò*, Conſilia quædam pacifica ac ſalutaria, quæ ad Chriſtianorum concordiam faciant, Virorum piorum & pacis amantium examini ſubjiciemus.

CAPUT PRIMUM.

Quid per Articulos Fundamentales, *&* non-Fundamentales, *intelligatur. Diſtinctiones quædam ſecuturæ tractationi præmittuntur.*

ARTICULI FUNDAMENTALES ea ſunt Religionis capita, quæ ad ejus eſſentiam ſeu fundamentum ita pertinent, tantíque ſunt in ea momenti, ut, iis demptis, ſtare nequeat Religio, vel ſaltem præcipua quadam, planéque neceſſaria, ſui parte deſtituatur. Sic, *Deum eſſe*, eſt Articulus Fundamentalis, imò Fundamentalium omnium primus; quia, ſublatâ Dei exiſtentiâ, Religionem omnem tolli neceſſe eſt. Pariter, *Deum eſſe Ens beneficum, Cultores ſuos certiſſimè remune-*

muneraturum, est etiam Articulus Fundamentalis; siquidem, ablatâ Dei bonitate, & munificentiâ, longè maximum ad pietatem & virtutem tollitur incitamentum. Unde Apostolus, Hebr. XI. 6. docet, *eum qui ad Deum accedit*, hoc est, Deum aliquo cultu prosequitur, *oportere credere Deum esse, & esse remuneratorem eorum qui ipsum requirunt.*

Cùm verò, sublatâ Religione, vel saltem præcipua quadam sui parte destitutâ, fieri nequeat, ut suos exserat fructus, hoc est, nos Deo gratos præstet, & ad salutem adducat, hinc sequitur, Articulos Fundamentales eos etiam esse, quorum cognitio atque fides, ad Dei gratiam, salutémque obtinendam, necessaria est.

Denique, cùm vinculum Communionis Ecclesiasticæ sit ipsamet Religio, partésque omnes Religioni essentiales, hinc etiam colligere est, Articulos fundamentales eos esse, quorum professio ad Communionem Ecclesiasticam cum homine aliquo, vel aliqua Societate, fovendam requiritur. Perperàm quippe in Religionis societatem cooptarentur, qui Religioni essentialia, atque, ut ita dicamus, vitalia, tollerent aut subruerent.

Et hæ quidem sunt ideæ receptissimæ, quæ *Articulorum Fundamentalium* nomini à Theologis vulgò alligantur. Vellent nonnulli, ut, majoris distinctionis ergò, Fundamentalia *respectu rerum*, seu Religionis ipsius, & Fundamentalia *respectu personarum*, distinguerentur. Quinetiam sunt qui tria genera Fundamentalium, seu necessariorum, distinguant; necessaria *ad Salutem*, necessaria *ad Religionem*, & necessaria *ad Ecclesiam*. Verùm quamvis distinctiones illæ suo fundamento suóque fructu aliquando non careant, ut in sequentibus videbimus, tamen utplurimùm, putà in cursu rerum ordinario, hæc omnia eódem redeunt, neque sunt aliud præter diversas Articulorum Fundamentalium proprietates atque sequelas. Etenim, quæ sunt Fundamentalia *respectu rerum*, seu *Religionis* ipsius, eadem sunt Fundamentalia *respectu personarum*, quibus Religio debitè proposita est, quæque facultatibus ad eam percipiendam requisitis non destituuntur: Unde fit, ut, sine illis

lis, neque Deo grati, *Salutisque* compotes esse, neque pro veris ac genuinis *Ecclesiæ* membris haberi, in cursu rerum ordinario, possint. Neque verò aliunde melius cognoscere licet, quid sit *Religioni* essentiale, quidve ad hominem in *Ecclesiam* recipiendum requiratur, quàm ex iis Scripturæ locis, quibus *Salutis* conditiones statuuntur; quemadmodum in serie hujus Diatribæ plenius demonstrabitur.

Itaque, his missis, præstat alias quasdam distinctiones hôc locô præmittere. Et PRIMO quidem, cum variæ Revelationes Dei fuerint, aliæ aliis clariores atque ampliores, putà Revelatio merè naturalis, Revelationes Patriarchis concessæ, Revelatio Mosaïca, & Revelatio Christiana, utique, pro variis illis Revelationibus, Articuli Fundamentales variè statuendi sunt. At verò hic præcipuè agimus de Christiana Revelatione, proindéque de iis Articulis, qui ad ejus essentiam pertinent, aut non pertinent.

SECUNDO, ut variæ Revelationes, ita & varius, modis innumeris, Hominum status, varium ingenium, variæ dotes, variæ in quibus collocati sunt à Deo circumstantiæ: Quorum omnium, in Articulis Fundamentalibus designandis, rationem haberi necesse est.

TERTIO observandum, adversus quædam Religionis capita duplici modo peccari posse; vel simplici *ignoratione*, vel directâ *negatione* aut *impugnatione*: Quæ quidem *ignoratio* atque *negatio* potest à variis causis ortum ducere, variásque circumstantias ac sequelas adnexas habere, quarum aliæ aliis nocentiores, vel magis innocuæ sunt.

QUARTO, duplici etiam modo fundamentaliter errari potest; vel aliquid fundamentale dissertè negando, vel aliquid fundamento adjungendo, quod ipsum destruat. Priori modo adversùs fundamentum impingebant, qui negabant Resurrectionem, de quibus Paulus 1. Cor. XV. Posteriori modo, illi Galatarum Doctores, quos tam severè sua in Epistola objurgat Paulus.

QUINTO, dum dicimus, Articulos Fundamentales illos esse,

se, sine quorum cognitione & fide salus obtineri nequit, non id ita intelligendum est, quasi neminem eorum qui aliquem ex illis Articulis ignorant, aut circa illum errant, ad salutem perventurum existimemus. Adest quippe, ut in vitiis atque peccatis, ita & in ignorantia atque erroribus, duplex remedium; alterum à parte nostra, nimirùm *Pœnitentia*, seu generalis, seu particularis; alterum à parte Dei, putà ejus *Misericordia*; Quorum ope, ut peccatis gravissimis, ita & gravissimis erroribus, veniæ locum dari posse, à nemine negari potest.

Sexto, potest materia hæc omnis duplici modo spectari; vel respectu modi *ordinarii*, quò res procedunt, quémque Deus in Verbo significavit; vel respectu modorum *extra ordinem* positorum, quibus Deus agere potest, & quibus eum persæpe agere, vix potest in dubium vocari. Hic verò agimus de via ordinaria: Extraordinarias Dei sapientiæ & libertati relinquimus.

His in genere ita prænotatis, quorum usus in sequentibus patebit, sequitur ut hanc distinctionem Veritatum atque Errorum, in *Fundamentales* & *non-Fundamentales*, non inanem esse ostendamus.

CAPUT SECUNDUM.

Dari re verâ Articulos Fundamentales, *&* non-Fundamentales, *in Religione.*

DAri Articulos *fundamentales*, & *non-fundamentales* in Religione, duplici modo demonstrari potest, tum ex natura rei, tum ex Scriptura.

Primò id docet rei natura. Ac sanè, si nulla daretur talis distinctio, dicendum esset, vel nullas esse Veritates fundamentales, & cognitu necessarias, vel omnes Religionis Veritates tales esse: Atqui neutrum dici potest.

Quod *nullæ Veritates sint cognitu necessariæ*, nemo nisi Atheus statuere

ſtatuere poteſt. Ac ſanè, quicumque Deum agnoſcunt, id ſaltem agnoſcere debent, Dei cognitionem neceſſariam eſſe. In Regno vel Republica degentes, non poſſunt ſine culpa ignorare, dari aliquem Principem vel Magiſtratum ſub quo vivunt, & cui morem gerere oportet: Imò debent Leges illius Regni, vel illius Reipublicæ, perſpectas habere; Etenim ignorantia Juris, ut notum eſt, minimè excuſat. Quantò magis igitur neceſſe eſt, ipſum Orbis Dominum, poſitáſque ab eo Leges, quantum quidem licet, cognoſcere? Quòd ſi verò neceſſe ſit illum Orbis Dominum nôſſe, utique, indignas ejus ideas habere, ei turpiſſima vitia adſcribere, eum cum viliſſimis Creaturis confundere, eíque fœdum & crudelem cultum exhibere, fieri non poteſt quin ipſi diſpliceat, neque id proinde culpâ vacare exiſtimandum eſt. Quæ omnia cùm dici poſſint, vel ſi nulla detur Revelatio, quantò magis, poſitâ Revelatione, in qua Deus certam ſui notionem dederit, & certum ſui cultum præceperit, iſta cognitu neceſſaria habenda ſunt?

Quòd verò *omnes Religionis Veritates ſint fundamentales & cognitu neceſſariæ*, id ita abſurdum eſt, ut à nemine ad rem adtendente affirmari queat. Quis enim concipiat, Deum omnes, nullâ exceptâ, Religionis Veritates, ab omnibus & ſingulis neceſſariò cognoſci velle, omnéſque proinde pari loco & gradu habendas eſſe? Quis concipiat, Veritates omnes Chronologicas, Geographicas, Criticas, nomina omnia propria, circumſtantias omnes vel minimorum eventuum, ad Religionem pertinentium, cognitu neceſſarias eſſe? Sanè Religionis ſcopus non eſt, ingenium exercere, & memoriam onerare, ne dicam obruere, tanto Veritatum omnis generis numero. Scopus Religionis eſt, reverentiam ac amorem Dei animis noſtris ingenerare, nóſque ad certa officia impellere. Itaque, quæ Veritates ad ſcopum illum maximè faciunt, ſunt maximè momentoſæ; Quæ autem, vel nullatenùs, vel parùm admodum, ad finem illum referuntur, eæ procul dubio minoris momenti, adeóque non omninò neceſſariæ exiſtimandæ ſunt.

Rurſus, qui dicerent Veritates omnes Religionis fundamentales

tales esse, cognitúque ad salutem necessarias, eos oporteret, vel perpetuis terroribus angi, vel seipsos infallibiles censere; ita ut omnes, nullâ exceptâ, veritates perspectas habeant, & in nullo, ne minimo quidem, capite errent. Quis verò sobrius tantùm sibi arrogare ausit?

Denique, ut diceretur, Veritates omnes Religionis fundamentales esse, omnésque Errores exitiales, id probari necesse esset. At verò id nunquam probabitur. Contrà, & bonitas, & sapientia Dei, huic adsertioni quammaximè adversantur. Cùm igitur constet, neque nullas esse Veritates fundamentales, neque omnes tales esse, hinc sequitur discrimen illud, inter Veritates *fundamentales*, & *non-fundamentales*, omninò statuendum esse.

Secundò, ut id ex rei natura, ita & ex Scriptura evidenter colligitur. Certè 1. Corint. III. 10. 11. 12. apertè distinguit Apostolus inter ipsum *fundamentum*, & ea *quæ fundamento superstruuntur*. Et hæc quidem fundamento superaddita duplicis statuuntur generis; Quædam bona atque utilia, quæ *aurum*, *argentum*, & *margaritæ*, dicuntur; Quædam vana, imò & noxia, quales sunt futiles quæstiones, definitiones temeratiæ, Cæremoniæ ad superstitionem vergentes; quæ omnia *ligni*, *fœni*, ac *stipulæ* nomine veniunt. Illa, in igne Examinis, aut divini Judicii, salva *permanebunt*: Ista verò *exurentur*; sed eorum tamen auctores atque fautores, *tanquam per ignem*, hoc est, non sine difficultate, salvari poterunt.

Pariter Philip. III. 15. 16. distinguit Apostolus, ea in quibus Christiani inter se consentiunt, & juxta quæ eos incedere decet, & alia in quibus, salvâ pietate & concordiâ, dissentire possunt. *Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus*; id nimirum quod de Legalibus Prærogativis & Cæremoniis antea dixerat: *At si quid aliter sentiatis, id quoque Deus vobis revelabit. Interim in iis ad quæ pervenimus, eâdem incedamus regulâ, idem sentiamus*; vel, *eodem modo affecti simus*, & concordiam servemus.

Sic, multis in locis docent Apostoli, quædam tanti momenti esse, ut, qui in iis erret, & à doctrina Christiana re-

cedat, non graviter modò increpandus, ſed & à noſtra communione removendus ſit; velut, Galat. I. 8. 1. Tim. VI. 3. 4. 5. 2. Joh. 10. Et hæc quidem momentoſa capita variis titulis in Scriptura indigitantur; Vocantur θεμέλιος *fundamentum*, ὁ τῆς ἀρχῆς λόγος, vel, τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῦ θεῦ, *ſermo initialis*, vel *elementa initii Eloquiorum Dei*, ἡ ὑγιαίνουσα διδασκαλία, vel τύπος ὑγιαινόντων λόγων, *ſana doctrina*, *forma ſaniorum ſermonum*; ὁ λόγος τῆς ἀληθείας, *ſermo veritatis*, ἡ διδασκαλία ἡ κατ' εὐσέβειαν, *doctrina quæ eſt ſecundùm pietatem*; &c. Contrà, aliis in locis docetur, quædam talia eſſe, ut qui in iis errant tolerandi ſint; v. g. Rom. XIV. & XV.; qua de re infrà à nobis dicetur.

Nequè verò nova eſt, nobiſque propria, illa Capitum Religionis diſtinctio; ſed ab omni retrò ævo, & apud omnium partium Theologos locum obtinuit. JUDÆI certè ſuas habent Veritates Fundamentales, quas ראשי אמונה, עקרים, יסודות vocant Rabbini. Unde *Moſes* ille *Maimonides*, Rabbinorum eruditiſſimus, primum Librum ſuæ יד חזקה ſeu *Manûs fortis*, יסודי התורה *de fundamentis Legis* inſcribit, hiſque incipit verbis: יסוד היסודות ועמוד החכמה לידע שיש שם מצוי ראשון והוא ממציא כל נמצא *Fundamentum fundamentorum & columna ſapientiæ eſt, cognoſcere, eſſe illic primum Ens, illúdque exiſtentiam largiri omnibus Entibus.*

Apud Veteres ECCLESIÆ PATRES, nihil crebrius quàm τὰ πρῶτα, τὰ στοιχεῖα, τὰ ἀναγκαῖα, de primariis & fundamentalibus Chriſtianæ Doctrinæ capitibus. Hæc eſt *Regula fidei*, *ſola immobilis*, *& irreformabilis* Tertulliano; *ultra quam nihil ſcire*, *omnia ſcire eſt.* De Virg. veland. cap. I. Verùm à primariis illis Articulis, *quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur*, (verba ſunt *Vincentii Lirinenſis*) alias diſtinguunt *divinæ legis quæſtiunculas*, in quibus, ſalvâ fidei compage, diverſum ſentire licet: Qua de re exſtant *Juſtini Martyris*, *Irenæi*, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Auguſtini*, aliorúmque, teſtimonia, quæ nos brevitati ſtudentes omittimus.

Et hinc quidem ortum habuerunt *Symbola*, ſeu *Confeſſiones Fidei*, deinde & *Catecheſes*, quibus primaria Fidei Capita, à Cate-

Catechumenis profitenda, continebantur: Quæ brevia, initio, atque ſimplicia, pòſt, occaſione diſſidiorum in Eccleſia ortorum, ita aucta ſunt & multiplicata, ut *tot fides exiſtere quot voluntates*, quereretur *Hilarius*.

Pontificii quæſtiones *de fide*, à quæſtionibus quæ *non ſunt de fide*, ſollicitè diſtinguunt: Et illarum quidem determinationem ab Eccleſia pendere volunt; in cujus proinde arbitrio ſit, numerum Articulorum Fidei augere vel minuere. Rursùs, præter fidem *implicitam*, quâ credatur quicquid Eccleſia credit, non diffitentur quædam *explicitè* credenda eſſe: Itaque diſputant inter ſe, quænam illa ſint Fidei capita, quæ explicitè credenda ſunt; Et alii quidem plura, alii pauciora ſtatuunt, alii verò docent numerum illorum non poſſe determinari. Quæ omnia ſatis oſtendunt, quantumlibet mutatis nominibus, eos tamen à recepta illa *Fundamentalium* & *non-Fundamentalium* diſtinctione non abhorere.

Denique apud Protestantes, & variarum quidem partium, Theologos, ita obvia eſt, tantóque recepta conſenſu, diſtinctio illa, ut eos in teſtimonium advocare neceſſe non ſit. Itaque, miſſâ ulteriori celebris illius diſtinctionis confirmatione, videamus jam, quibus *notis*, ſeu *criteriis*, Fundamentalia à non-Fundamentalibus dignoſci queant: Et ſtatim quidem *falſas notas* rejiciamus; deinde *rectiores*, noſtro judicio, *regulas* proponamus.

CAPUT TERTIUM.

Falſæ Notæ Articulorum Fundamentalium rejiciuntur.

Primo hîc ſeſe nobis offert ſententia *Pontificiorum*, qui volunt, ea omnia quæ Eccleſia, tanquam de Fide, determinat, eô ipſô ad Fidem ſpectare; proindéque Eccleſiam, ſuis definitionibus atque Decretis, Articulorum Fidei numerum augere poſſe. 2. Verùm ſententia illa facili negotio refellitur.

Nam primò, nulli unquam Cœtui, nullíſque Doctoribus, talis auctoritas à Deo conceſſa eſt. 2. Ipſi Apoſtoli docent, ſe *non dominari fidei Chriſtianorum*, neque quidquam iis *tradere*, *niſi quod à Domino acceperint.* 2. Cor. I. 24. I. Cor. XV. 3. 3. Jubentur Fideles omnes, expendere quæcumque à Paſtoribus docentur; *cavere à Pſeudo-prophetis*; *omnia expendere*, *quod bonum eſt retinere*; Et, *ſi vel Angelus é cœlo*, *vel ipſimet Apoſtoli aliter doceant*, *ipſis Anathema dicere.* Matt. VII. 15. I. Theſſ. V. 21. Gal. I 8. 9. Igitur ne minimum quidem dogma Chriſtianæ Fidei adjungere poſſunt Paſtores, nedum ut Articulorum Fidei numerum pro arbitrio augere queant. 4. Vera Eccleſia, & veri Paſtores, non aliter dignoſci poſſunt, quàm adtendendo an fundamenta Religionis retineant, an verò ab iis recedant; tantùm abeſt ut ipſa Eccleſia, ipſíque Paſtores, eorum immutandorum & multiplicandorum jus habeant. Itaque Nota illa, quam proferunt Pontificii, omninò precaria eſt, imò verò tyrannica & Antichriſtiana; ſiquidem hæc eſt maxima tyrannis, & intoleranda ſuperbia, ſibi tribuere jus definiendi quid ad ſalutem ſit cognitu neceſſarium, & in tanti momenti negotio Verbo Dei aliquid addere.

SECUNDA ſententia eorum eſt qui volunt, quidquid in Scriptura traditur, eô ipſô eſſe Fundamentale: Et huc quidem trahunt verba Pauli, Rom. XV. 4. *Quæcumque antè ſcripta ſunt*, *ſcripta ſunt ad noſtram inſtitutionem*; nec non illud, 2. Tim. III. 16. *Tota Scriptura divinitùs eſt inſpirata*, *& utilis ad doctrinam*, *ad redargutionem*, *ad correctionem*, *& ad inſtitutionem in juſtitia.* R. Verùm, ut jam diximus, quis concipiat, quæcumque in Libris Sacris habentur, cujuſcunque tandem generis ſint, nomina propria hominum, locorum, animalium, plantarum &c. ſinguláſque circumſtantias vel minimorum Factorum, ita cognitu neceſſarias eſſe, ut abſque illarum cognitione nemo ſalvus eſſe queat? Neque verò id ſibi volunt ea Pauli verba quæ adducuntur: Etenim ſenſus locorum illorum non eſt, ſingula dicta, ſingulas voces, ſingulas ſyllabas, in Scriptura contentas, aliquid palmarium continere, adeóque cognitu neceſſa-

rias

rias esse; sed tantummodò, Doctrinam Libro illo contentam, résque capitales in ea traditas, maximo documento nobis esse; in iisque, quidquid ad institutionem, quidquid ad hortationem, quidquid ad emendationem, pertinet, abundè contineri. Imò verò, in loco Rom. XV. 4. & toto capite XIV., fusè docet Paulus, *infirmos in fide tolerandos*; neque alium in finem additur; *Nam quæcunque antè scripta sunt* &c. quàm ut documentis in Scriptura contentis ad mansuetudinem & tolerantiam Christianam erudiamur: Quod ipsum ostendit, dissensum aliquem, in capitibus non momentosis, quanquam Scriptura traditis, haudquaquam capitalem esse.

Tertia Nota, quâ multi utuntur, ad Fundamentalia à non-Fundamentalibus distinguenda, ab *Analogia*, quam vocant, *Fidei*, seu, quod idem est, à Systematibus Theologicis, desumitur. Variæ à variis adhibentur methodi: Hic unum vel alterum exemplum, specimini loco, referre sat erit. Sic dicunt nonnulli, quæcunque caussas Salutis continent, eô ipsô ad Salutem necessaria cognitu esse: Atqui, addunt, in Salutis caussis, tria distingui possunt, destinatio, adquisitio, & adplicatio; Destinatio in æterna Dei Prædestinatione facta est; Adquisitio per meritum & satisfactionem Christi; Adplicatio per virtutem & operationem Spiritûs S. Itaque non illa modò omnia, sed & quæstiones omnes ad hæc pertinentes, cognitu ad salutem necessarias esse colligunt. Sunt & alii qui sic arguant: Christus est fundamentum, juxta illud Apostoli, *Nemo potest aliud fundamentum ponere, præter illud quod positum est, Jesum Christum*, 1. Cor. III. 11. Atqui in Christo varia spectari possunt, putà ejus Persona, Naturæ, Status, Officia, Beneficia, &c. ad quæ capita, Quæstiones innumeras, imò verò Theologicas omnes Quæstiones, referri posse nemo non videt. 3. Verùm, qui ita ratiocinantur, quanquam nihil dicunt quod non sit certissimum, imò & momentosissimum, tamen confundunt id quod ad parandam Salutem necessarium fuit, cum eo quod est *cognitu* necessarium. Quæ duo tamen quammaximè inter se differre, vel sola infantium, surdorum, mente captorum, denique

Patrum V. T., exempla docere poſſunt. Res ſimilitudine à cibis deſumpta non parum illuſtratur: Quis enim neſcit, innumera ad ciborum coctionem & diſtributionem requiri, quæ tamen cognoſci neceſſe eſſe, ut quis nutriatur, nemo dixerit?

Et hactenus quidem eas Notas rejecimus, quæ *in exceſſu* peccare videntur: Verùm aliæ ſunt quæ *in defectu*, quæ non minus rejiciendæ ſunt. Harum in numero QUARTA Nota erit; ſcilicèt illa ſola Fundamentalia eſſe, quæ à Chriſtianis omnibus, atque omni ævo admiſſa ſunt. ℟. Verùm, ſi hæc Regula valeret, haud ſcio an quidquam dici poſſet Fundamentale; ſiquidem jam ab ipſo Apoſtolorum tempore fuerunt Doctores, Chriſtianorum nomen ementiti, qui res maximè capitales, maximéque neceſſarias, everſum irent. Fuerunt v. g. qui Reſurrectionem corporum negarent, 1. Cor. XV. 2. Tim. II. 18. Fuerunt qui negarent Chriſtum in carne veniſſe, quemadmodum ex 1. Joh. IV. 3. conſtat. Fuerunt qui Cæremonias Legis ad ſalutem neceſſarias dicerent; Imò fuerunt qui neceſſitatem bonorum operum inficiarentur; quemadmodum ex variis Epiſtolarum locis apparet. Unde multi Doctores illorum temporum, etiam ex iis qui Chriſtiani dicebantur, vocantur Ἀντίχριστοι, *falſiloqui*, *Pſeudo-prophetæ*, *Redemptorem abnegantes*, &c. Et quis neſcit peſtiferas inter Chriſtianos haud multò pòſt exortas Sectas, *Gnoſticorum* nempe, *Marcionitarum*, *Manichæorum*, &c. à quibus maximi momenti dogmata, qualis eſt Dei unitas, neceſſitas bonorum operum, neceſſitas defendendæ Martyrio Veritatis, impudenter negata ſunt. Itaque, ſi valeret ea Regula quam impugnamus, vix quidquam Fundamentale dici poſſet.

Nonnulli (& hæc eſt QUINTA Nota quam rejicimus) eò uſque reſtringunt fundamenta Religionis, ut dicant, præter obedientiam mandatis divinis, & poſitam in promiſſis Evangelicis fiduciam, Fundamentale nihil eſſe. ℟. Fatemur nos, obedientiam finem eſſe, adeóque partem præcipuam Religionis: Nam, ut aïebat Chriſtus ipſe, *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi modò ea faciatis.* Joh. XIII. 17. *Et finis mandati*, teſte Pau-

Paulo, *Charitas eſt*; 1. Tim. I. 5. Et *Religio pura & immaculata, eſt, viduas atque orphanos inviſere, ſeque purum à mundanis ſordibus ſervare.* Jacob. I. 27. Verumtamen dici nequit, ſi modò accuratè loqui velimus, ſola obedientia atque fiducia, totam, quanta quanta eſt, Religionis eſſentiam conſtare. Etenim obedientiæ atque fiduciæ fundamentum ſunt Veritates, cùm natura notæ, tum à Deo revelatæ, quæ proinde fundamenti partem conſtituunt. Unde Paulus, eo loco quem jam protulimus, docet, eum *qui ad Deum accedat, oportere credere Deum eſſe* &c. Chriſtus verò docet, *eam eſſe vitam æternam, ut cognoſcatur unus verus Deus, & quem miſit Chriſtus Jeſus.* Hebr. XI. 6. Joh. XVII. 3.

Sexto, ſunt qui velint *Symbolum* illud, quod *Apoſtolicum* vulgò dicitur, Fundamentalium indicium ac veluti menſuram eſſe. Nec diſſitemur, quin hæc Hypotheſis ad verum proximè accedat; quâ de re in ſequentibus plura. Sunt tamen & nonnulla quæ obſtant, quominùs ei penitùs adquieſcamus. Primò enim, cùm inter Doctos conſtet, Symbolum illud ab Apoſtolis ſcriptum non eſſe, ſed multo pòſt tempore, & varia fuiſſe, non uno in Articulo, illius exemplaria, utique cauſſa nulla eſt, cur Scripto humano, quantumvis antiquo & venerabili, tantùm tribuatur auctoritatis, ab eóque ſalutis leges pendere exiſtimentur. 2. Neque verò quæcunque in eo exſtant, tanti ponderis videntur, ut abſque illorum cognitione ſalus obtineri nequeat. Verbi gratiâ, etiamſi quis fortè ignoraret, quod de *deſcenſu in Inferos* dicitur, & nomen *Pontii Pilati*, & alia fortè nonnulla, erroribus jam antiquatis oppoſita, non videretur propterea de Salute periclitari. 3. Vice verſâ, multa abſunt ab hoc Symbolo, putà quæ pertinent ad mores, quæ tamen cognitu, non minus quàm factu, neceſſaria eſſe nemo dubitaverit. Itaque, miſſis Criteriis illis, aluſque quæ abſque idonea ratione adducuntur, veriores jam tutioréſque Regulas producere conabimur.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Principia, quorum ope Articuli Fundamentales, *&* non-Fundamentales, *dignoſci poſſunt.*

PRIMUM noſtrum PRINCIPIUM hoc eſt: *Nullius rei cognoſcendæ, neque credendæ, neceſſitatem nobis incumbere, quæ nobis claiè revelata non fuerit, & ad quam credendam facultates à Deo neceſſarias non acceperimus.* Principium hoc evidentiſſimæ eſt veritatis. Ac ſanè, quis concipiat, Deum æquiſſimum, Hominúmque amantiſſimum, velle id ab iis credi, quod ipſis non revelaverit, imò clarè non revelaverit, vel ad quod credendum naturâ inepti ſint? Inter iniqua *Caii Cæſaris* facinora hoc memoratur, † quod Legem aliquam, *minutiſſimis litteris, & anguſtiſſimo loco* ſcribi curâſſet, *uti ne cui deſcribere liceret*, ſícque plures in eam peccantes plecterentur. Verùm abſit, ut tam ſævam támque iniquam agendi rationem Enti optimo æquiſſimóque adſcriptam velimus.

Ex hoc autem Principio, hoc poriſma magni momenti colligere licet; *Articulos Fundamentales non eſſe eoſdem omnibus, ſed pro varia Revelationis menſura, variiſque hominum dotibus, & circumſtantiis, varios eſſe.* Ratio in promptu eſt: Cùm enim variè admodum ſeſe revelaverit Deus, & varias admodum dotes Hominibus largitus fuerit, diverſiſſimiſque in ſtatibus & circumſtantiis eos locaverit, fieri omninò nequit, ut omnes ad eandem cognitionis menſuram, candémque fidem, obligentur.

SECUNDUM noſtrum PRINCIPIUM tale eſt: *Quid ad Salutem neceſſariò credendum ſit, quiſve Error à Salute excludat, eum ſolum decernere poſſe, qui ſit Salutis & Exitii Dominus, adeóque ſolum Deum.* Principium hoc evidentiſſimum quoque eſt; neque à quoquam, qui quidem ſeriò ad rem adtenderit, in

† SUETON. in *Caïo Cæſare*, cap. 41.

in dubium vocari poteſt. Enimverò, cujus eſt, quæſo, Salutis atque Exitii conditiones ſtatuere, niſi *unius* illius *Legiſlatoris, qui poteſt ſervare & perdere?* Jacob. IV. 12. Unde & colligit Apoſtolus, *Tu quis es, qui alium damnas?* Ibid. Confer Rom. XIV. 10.

Cùm autem Deus duplici modo voluntatem ſuam declaraverit, Lumine naturali, & Revelatione, nihil Fundamentale cognitúque neceſſarium habendum eſt, niſi quod Deus, alterutro horum modorum, neceſſarium definiverit.

Et Lumine quidem Naturali, nonniſi pauca hac de re habentur. Hoc unum ferè aſſeri poteſt, tanquam naturâ notum, quod obſervat Apoſtolus, *Oportere eum qui accedit ad Deum, credere Deum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum qui ipſum requirunt.* Hebr. XI. 6.; Quæ duo Principia, cum evidenter adnexis, ſi quis ſtatueret, & Dei voluntatem cognoſcere, cognitam ad praxim revocare, omni ope conaretur, haud ſcio equidem, an quidquam ipſum fugeret, quod Lumine Naturali neceſſarium demonſtretur.

Verùm ulteriùs procedit Revelatio; & Capita quædam credenda præcipit, tanquam ad ſalutem neceſſaria; à quibuſdam verò credendis, ſub pœna damnationis, dehortatur. Dicit, in cognitione certarum rerum, *vitam æternam ſitam* eſſe; qui ea crediderit, *placere Deo, beatum eſſe, ſalvum fore*, &c. qui verò ea non crediderit, *damnatum iri, placere Deo non poſſe, manere in peccatis ſuis, iram Dei manere ſuper eo* &c. Ex quibus dictis colligere licet, iis quibus Evangelium nuntiatum eſt, quíque facultatibus ad illud percipiendum requiſitis non deſtituuntur, Articulos illos Fundamentales, cognitúque ad ſalutem neceſſarios eſſe.

Verùm enimverò, præter illa Capita, quæ diſertè, totidémque verbis, neceſſaria pronuntiantur, *Ea etiam quæ per neceſſariam ac evidentem illationem ex Principiis illis fluunt, neceſſariorum ſeu Fundamentalium catalogo ſunt adſcribenda:* Quod quidem Tertium erit, de hac materia, Principium noſtrum. Ac ſanè, Conſequentiæ claræ ac neceſſariæ, ejuſdem ſunt naturæ

cum ipſis Principiis, ejuſdem ordinis, ejuſdem momenti; imò verò in ipſis Principiis veluti includuntur, neque ab iis, propriè loquendo, differunt. Verbi gratiâ, poſitô Deô, præcipua ejus Attributa ita neceſſariò evidentérque exinde ſequuntur, ut non minoris momenti cenſenda ſint.

Sed verò dicimus, *neceſſariam ac evidentem illationem.* Etenim, Conſectaria dubia, obſcura, longè petita, in eadem claſſe cum ipſis Principiis poni, eodémque loco haberi, iniquum eſſet: Quod ſi fieret, omnia huc traherentur, nullúſque eſſet Articulorum Fundamentalium finis.

Et hæc quidem eſt, nobis judicibus, vera & unica via, quâ res Fundamentales à non-Fundamentalibus, tutò ac facilè dignoſci poſſunt; Putà cognitio Voluntatis Divinæ, declaratio ipſius Dei, ſeu ipſis verbis, ſeu per neceſſariam ac evidentem illationem: Etenim, ut jam obſervavimus, quis Salutis atque Exitii conditiones ſtatuere queat, quis Leges ea de re ferre, niſi ille, imò ille ſolus, quem penès eſt ſervandi ac perdendi arbitrium? Proindéque, *qui res à Deo non revelatas, vel dubias atque obſcuras, tanquam Fundamentales Chriſtianis imponunt* (quod facit Eccleſia Romana, aliíque fortè qui ejus veſtigia calcant) illi profectò, quicumque tandem ſint, *tyrannicè ſeſe gerunt; eámque auctoritatem, quæ ſoli Deo competit, nefario auſu uſurpant.*

Verùm, quamvis hæc præcipua ſit, imò fortè unica Articulorum Fundamentalium Nota, facilioris tamen & commodioris diſtinctionis ergò, quædam alia Principia hîc adjungemus. Eſto igitur QUARTUM PRINCIPIUM; *Fundamentalia clara, popularia, à Scholæ tricis ſalebriſque aliena.* Ratio evidens: Cùm enim Religio ex æquo ad omnes pertineat, nec minùs ſit Vulgi quàm Doctorum, imò magis Vulgi quàm Doctorum, ſanè quicquid Vulgi captum excedit, eô ipſô pro Fundamentali, ſeu neceſſario, habendum non eſt. Religio certè à Scholaſticis argutiis ita differt, ut nihil magis. A plebeiis, & ad plebeios data Scriptura. Chriſtus gratias agit, quòd hæc, *ſapientibus abſcondita, infantulis revelentur.* Paulúſque, *non multos ſapientes*

les inter Corinthios fuiſſe aſſerit. Unde & idem ſedulò monet, quanto ſtudio Cœleſtis Doctrina à mundana Philoſophia diſtinguenda ſit. Igitur *in ſimplicitate fides eſt*, ut verba *Hilarii* hic adſcribamus: *Non enim per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere ſollicitat. In expedito & facili eſt æternitas: Jeſum ſuſcitatum à mortuis per Deum credere, & ipſum eſſe Dominum confiteri.* Hilar. de Trin. Lib. X. in fine.

Quintum Principium: *Fundamentalia numero pauca.* Cauſſa eadem quæ ſuperioris: Nec enim minùs multitudine quàm difficultate Articulorum, Vulgi mentes obruerentur: Quamobrem eos anguſtis Divina bonitas terminis incluſit, *ut ſimplicitas conſulat audientium ruſticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ*; quæ verba ſunt *Divi* Augustini. Unde *Caſaubonus*, nomine Jacobi I. Magnæ Britanniæ Regis, *Veriſſimè*, inquit, *in explicatione τῶν ἀναγκαίων, ſcriptum eſſe Rex arbitratur, rerum abſolutè neceſſariarum ad ſalutem non magnum eſſe numerum.* Caſaub. Epiſt. ad Card. Perron.

Sextum Principium: *Fundamentalia ſæpe ſæpiùs, & variis quidem modis, in Scriptura iterata atque inculcata.* Eſt etiam hæc Regula Divinæ bonitatis & æquitatis conſectarium: Cum enim Scriptura non alium in finem tradita fuerit, quàm ut nos *ſapientes ad ſalutem* efficeret, dubitari nequit quin ea quæ ad ſalutem inprimis faciunt, crebrò in ea proponantur, fortitérque inculcentur. Certè fundamenta quarumcunque Diſciplinarum, non leviter, & quaſi currendo, à bonis ac ſapientibus Præceptoribus adtinguntur; ſed ea ſubinde repetere atque inculcare ſolent, uſquedùm à Diſcipulis clarè percipi, eorúmque in animis altiſſimas radices agere poſſint: Quis verò dubitet, ſupremum illum, longéque ſapientiſſimum, Humani Generis Præceptorem Deum, eadem cautione atque prudentia, in cœleſtibus documentis tradendis uſum eſſe?

Septimum Principium: *Fundamentalia pia, hoc eſt, non modò Pietati neutiquam adverſa, ſed é contrario ad Pietatem utilia, imò & neceſſaria.* Ac ſanè, non alius eſt Religionis ſco-

pus, quàm nos ſanctos efficere. Hic eſt finis totius Evangelii. Huc ſpectant, & Myſteria omnia, & Præcepta, & Promiſſa, & Minæ. Unde vocatur Evangelium, *Myſterium pietatis*, *Doctrina quæ eſt ſecundùm pietatem*; Et aſſeritur, præter *Novam Creaturam*, hoc eſt, *obſervationem mandatorum divinorum, nihil juvare.* Itaque hinc clarè conficitur, Quicquid nullius eſt ad Pietatem uſûs, eô ipſô non eſſe Veritatem Fundamentalem; Quicquid verò Pietatem evertit, neque cum ea ſtare poteſt, eſſe Errorem Fundamentalem. Obſervandum autem, nos non dicere; Quicquid ad Pietatem conducere poteſt, eſſe ſtatim Fundamentale: Etenim multa poſſunt eſſe pia, vel pietatis ſpeciem habere, quæ Chriſtianiſmo eſſentialia non ſunt, imò & aliquando, ſi penitiùs inſpexeris, ne vera quidem eſſe deprehenduntur. Cujus generis multas eſſe Fabulas, multa humani cerebri figmenta, Sæculorum omnium experientia plus ſatis docet.

OCTAVUM PRINCIPIUM: *Sæpe res ipſa Fundamentalis eſſe poteſt, modus verò rei, & circumſtantiæ, minimè fundamentales.* Fluit hoc ex prioribus Principiis. Etenim, cùm res ipſa tantùm in genere revelata eſt, & tanquam neceſſaria à Deo impoſita, tunc certè res ipſa tantùm pro Fundamentali habenda eſt, non verò modus & circumſtantiæ, quæ pari evidentia, aut cum ſimili neceſſitatis charactere, revelata non ſunt. Et re verâ paucissimæ ſunt res, præſertim in Divinis, quarum modum & circumſtantias perfectè noſcamus. Itaque ſi modus, & circumſtantiæ, & cauſſæ, & adjuncta omnia, pro Fundamentalibus habenda eſſent, multa eſſent Fundamentalia minimè clara, captúmque noſtrum longè excedentia; contrà quàm in Princ. I. & IV. obſervatum eſt.

NONUM PRINCIPIUM: *Duplici modo fundamentaliter errari poteſt; non modò aliquid fundamentale diſertè negando, ſed & aliquid Fundamento ſuperſtruendo & adjiciendo, quod ipſum inficiat atque deſtruat.* Principium hoc cap. I. jam occupavimus. Ratio eſt evidens. Nec enim ſatis eſt, Veritates Fundamentales ore admittere, ſi, contrariis aſſertionibus, aut agendi modis, ipſô

ipſô factô evertantur. Satis non eſt, v. g. unum Deum adorandum docere, ſi eodem tempore res creatæ, Divi, Angeli, Imagines, Cruces, &c. Ethnicorum exemplo colantur.

Tandem, his omnibus Principiis, quæ ad dignoſcenda Fundamentalia non parùm facere exiſtimamus, Decimum adjungere libet, quô noſtra, ſeu de nobis ipſis, ſeu de aliis, judicia, temperentur atque dirigantur; ſcilicèt, *Cùm agitur de nobis ipſis, tutius eſſe, vel à minimis Erroribus, quaſi Fundamentales eſſent, abhorrere, & in Veritatum Divinarum cognitione, quàm longiſſimè poſſumus, progredi: At cùm de aliis agitur, nonniſi cautè admodum, maximâque cum caritate & manſuetudine, pronuntiandum eſſe.* Enimverò, ut ſuæ ipſius ſaluti conſulere, quammaximâ ſollicitudine ac diligentiâ, prudentia jubet, contrà Chriſtianæ Caritatis eſt, ad cæteros damnandos, & exitialium errorum poſtulandos, nonniſi invitum, reluctantem, ſummâ denique rerum ipſarum & Divinorum Oraculorum evidentiâ coactum, procedere.

CAPUT QUINTUM.

An certus quidam Articulorum Fundamentalium *numerus definiri poſſit?*

Occurrit hîc Quæſtio vexatiſſima, quámque nobis non licet intactam relinquere; *Utrùm ſcilicet certus quidam ac definitus Articulorum Fundamentalium numerus ſtatui poſſit?* Quin Articuli illi, ſatis ad uſum ac inſtitutionem, ab unoquoque dignoſci poſſint, nullatenùs dubitamus; imò & Regulas, quarum ope notitia illa haberi queat, ſuperiori capite indicavimus. At verò, ut illi ad certum quendam ac definitum numerum revocentur, ita ut nec plures nec pauciores eſſe conſtet, id verò eſt quod, neque neceſſarium, neque poſſibile eſſe, cum Theologis noſtris contendimus. Rationes, cur ita ſtatuamus, hæ ſunt.

PRIMO, quia Articuli illi non ſunt iidem omnibus. Alii nimirum ſub Veteri Teſtamento fuerunt; Alii ſunt ſub Novo. Alii iis qui ſenſuum & rationis uſum habent; Alii infantibus, pueris, ſurdis, imbecillo ingenio laborantibus. Alii iis quibus Evangelium liberè audiendi facultas eſt; alii, quibus Evangelium magna ex parte occultatur, quales ſunt, v. g. ruſtici innumeri, in Hiſpaniæ aut Luſitaniæ pagis degentes. Alii incipientibus, atque in Chriſto veluti pueris; Alii provectioribus, quales eſſe debuerant Hebræi illi, quos ob ſuam in diſcendo tarditatem carpit Apoſtolus; Hebr. V. 12. Itaque, ſicut abſurdum eſſet, veſtem quandam communem petere, quæ omnibus ſtaturis conveniat; aut menſuram quandam cibi, quæ omnibus ſtomachis; aut menſuram quandam laboris, quæ omnibus artificibus; pariter Articuli quidam, qui ab omnibus cognoſcendi ſint, vix ac ne vix quidem ſtatui poſſunt.

SECUNDO, quia pro vario concipiendi & diſtinguendi modo, modò pauciores & generaliores, modò plures magiſque ſpeciales, numerari poſſunt. Ac ſanè, in Scriptura ipſa, modò neceſſaria ad ſalutem unum ad caput referuntur, modò ad duo, modò ad plura. Modò dicitur, nihil ſciendum proponi niſi *Chriſtum crucifixum*, 1. Cor. II. 2.; modò docetur, *hanc eſſe vitam æternam, ut noſcamus unum verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum*, Joh. XVII. 3. Modò omnia referuntur ad ſolam Chriſti *reſurrectionem*; Modò ad ſolum ejus *in carne adventum*. Modò ſola *Fides* requiritur; modò *Fides* & *Pœnitentia*; Modò *Fides per caritatem operans*; modò *nova Creatura*; modò etiam ſola *Caritate tota Lex impleri* dicitur. Quæ omnia ſatis oſtendunt, poſſe neceſſaria ad ſalutem, modò ad pauciora redigi, modò in plura diſpeſci membra; proindéque certo quodam numero, qui neceſſariò ſemper idem ſit, circumſcribi non poſſe.

TERTIO, quia dubitari non rarò poteſt, utrùm Doctrina aliqua particularis, verbi gratiâ, conſectarium quoddam ex Doctrina momentoſa eductum, expoſitio particularis Dogmatis cujuſdam generalis, inter Fundamentalia reponenda ſint. Exem-

pla

pla in Moralibus paſſim occurrunt; de fœnore v. g., de mendacio, de alea, de eleemoſynæ menſura, aliiſque innumeris. Quod ſi vero in rebus practicis tot dubia emergant, quidni in rebus theoreticis paria deprehendantur? Quis verò, niſi ſummoperè audax, ſingularum illarum Quæſtionum momenta determinare, & Salutis aut Exitii limites in iis ſtatuere auſit?

Quarto, ut definiri pro certo non poteſt, quot ſint præcisè Virtutis gradus, quot ſint præcisè Officiorum genera, quot ſint præcise bona opera, pii ſermones, eleemoſynæ &c. quæ ab unoquoque requiruntur, ut ad Salutem perveniat, pariter, quinam præcisè cognitionis gradus eum in finem requirantur, non ſine ſumma temeritate à nobis homuncionibus determinaretur. Quid ſit ultimum in rebus ejuſmodi, quinam ſint neceſſariorum & non-neceſſariorum limites, dicant illi qui divinarum Perfectionum, divinæ putà Juſtitiæ, & divinæ Miſericordiæ, limites perſpectos habent: Nos id captum noſtrum ſuperare, libenter agnoſcimus. His *accedit*, (ut verbis utar celeberrimi *Witſii*) *quòd Divina Gratia tenuiſſimo quandóque filo electos Chriſto jungat; & ardentiſſimæ charitatis flammæ, ac ſinceriſſimum Deo placendi ſtudium, in iis ſe animabus exſerant, in quibus perexigua eſt cognitio Articulorum fidei. Et quis hîc, ipſo non præeunte Deo, exactè definiat, minimum illud in ſingulis articulis, ad quod indiſpenſabiliter alligatum ſit judicantis Dei tribunal?* Wits. in Symb. Apoſt. Exercit. II. §. XV.

Postremo, quod de Religione, ejúſque Articulis neceſſariis hîc dicimus, ex cæteris Artibus atque Diſciplinis non parum illuſtratur. Quis enim dixerit, exempli cauſſâ, quot præcisè Veritates ab eo noſci debeant, qui, vel peritus Logicus, vel peritus Mathematicus, vel peritus Juriſconſultus, haberi velit? Imò quis dixerit, quid præcisè alimentorum, ad vitam ſuſtentandam, requiratur? Neque tamen, ob illam ignorantiam, periculum eſt, ne nos fame conſumi ſinamus. Sed &, quis dixerit, quot ciborum genera, & quot venenorum ſpecies, in Orbe reperiantur? Quod tamen non impedit, quominùs,

&

& cibis uti, & à venenis abſtinere, optimè poſſimus. Quid mirum ergo, ſi de cibis animi ſalutiferis, erroribúſque exitialibus, idem dicatur?

Verùm enimverò, inquiet aliquis, quomodo poterit Chriſtiani conſcientia tranquilla eſſe, ſi ignoret, quot præcisè noſci oporteat, ut ſalutem adipiſcatur? &c. Verbo dicam; Si quis ſincerè veritatem amet, eámque pro viribus quærat, Dei opem imploret, illos adeat qui ipſi poſſunt lucem præbere, denique nihil negligat, nihil omittat, quo ulteriùs atque ulteriùs in Veritatis atque Sanctitatis tramite progrediatur, utique poteſt pro certo ſtatuere, Deum ſibi non defuturum, neque paſſurum ut quidquam ſibi neceſſarium ignoret; vel, ſi quid neſciat, ſicubi erret, ſicubi ceſpitet, Deum benignè ipſi condonaturum, ut Patrem filiis.

CAPUT SEXTUM.

Inter eos, quorum diſſenſus Fundamentalis eſt, *Communio Eccleſiaſtica haberi nequit.*

SEquitur, ut videamus, quomodo agendum ſit, ſeu cum iis qui *fundamentaliter à nobis diſſident*, ſeu cum iis quorum *diſſenſus non eſt fundamentalis.*

Et ad illos quidem quod adtinet, quin illi ſint modis omnibus, æquis tamen atque legitimis, ab erroribus revocandi, & ad ſaniorem mentem reducendi, dubium nullum eſt. At, ſi hæc omnia fruſtrà fuerint, neque conſortio illorum uti liceat, quin eorum labe inficiamur, utique, non privata modò familiaritate, ſed & Eccleſiaſtica ipſorum communione abſtinendum eſt.

Expreſſa ſunt eam in rem Scripturæ juſſa: Quibus & Rationum graviſſimarum pondus accedit.

Loca Scripturæ hæc ſunt præ cæteris. Gal. I. 8. 9. *Si vel nos ipſi, aut Angelus é cælo evangelizet vobis præter id quod vobis*

vobis evangelizavimus, anathema eſto. 2. Cor. VI. 14. 15. 16. *Ne impari jugo copulemini cum infidelibus. Quod enim conſortium juſtitiæ cum injuſtitia? & quæ communio luci cum tenebris; & quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Et quæ conſenſio Templo Dei cum Idolis?* Quamvis enim de Infidelibus, & Idololatria Ethnica, potiſſimùm hîc agatur, non minùs hæc de Chriſtianis, Ethnicorum ſuperſtitionem ac idololatriam imitantibus, intelligenda ſunt. Rom. XVI. 17. *Rogo vos, fratres, ut obſervetis eos qui diſſidia & ſcandala, præter doctrinam quam vos didiciſtis, creant; & declinate ab eis.* 1. Tim. VI. 3. 4. 5. *Si quis diverſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, is turget, nihil ſciens; ſecede ab iis qui hujuſmodi ſunt.* Tit. III. 10. *Hæreticum hominem, poſt unam atque alteram admonitionem, rejice.* 2. Joh. 10. 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite: Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malis.* Apoc. XVIII. 4. *Et audivi aliam vocem é cælo dicentem, Exite ex ea, populo mi, ne participes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.*

His accedunt Rationes graviſſimæ, ex *natura Eccleſiæ, Dei reverentia, decoro atque ordine Cultûs Divini, propriæ Salutis cura, emendatione eorum qui errant, & exemplo aliis dando*, deductæ: Quæ omnia, brevitatis ſtudio, nonniſi verbo indicamus.

CAPUT SEPTIMUM.

Inter eos, quorum diſſenſus non eſt Fundamentalis, *Communio Eccleſiaſtica fovenda, & mutua Tolerantia exercenda eſt.*

ALia ratio eſt eorum, qui nonniſi *in capitibus non-fundamentalibus à nobis diſſentiunt.* Quamvis enim optandum eſſet, ut nullus planè inter Chriſtianos diſſenſus exiſteret, omnibuſ-

nibúsque ex æquo innotescèret Veritas, tamen cùm id, per varietatem ingeniorum, discrimina institutionis, & humanæ mentis imbecillitatem, sperare non liceat, proximum est, ut, salvâ manente Religionis essentiâ, cætera patienter ferantur; Dissentientésque in rebus non-fundamentalibus, sese pro Fratribus nihilominùs agnoscant, Communionem Ecclesiasticam inter se semper colant, & Christiana tolerantia erga se invicem utantur. Quam ad rem, & luculenta *Scripturæ* præcepta, & *Rationes* potentissimæ, maximóque numero, existunt.

Et inter loca quidem SCRIPTURÆ, quibus hujusmodi Tolerantia præcipitur, principem locum occupat integrum Caput XIV., & pars XV., Epistolæ ad Romanos. Quô locô, occasione dissidiorum inter primos Christianos existentium, de Cæremoniis Legalibus, de discrimine v. g. ciborum & dierum, jubet Paulus, ut *infirmi fide*, hoc est, ii qui minùs rectè de rebus illis sentiebant, nihilominùs à cæteris *assumantur*, hoc est, pro genuinis Fratribus, verísque Ecclesiæ membris, admittantur; non *contemnantur*, non *damnentur*, sed eorum *infirmitates ferantur*. XIV. 1. 3 4. 10. XV. 1. Ut autem id Romanis persuadeat, tam vividè, tam potenter, tam copiosè cum iis agit, támque odiosa ex contraria praxi consectaria deducit, v. g. quòd sic usurpetur Dei auctoritas, quod sic *perdantur ii pro quibus Christus mortuus est*, quòd sic *destruatur opus Dei*, &c. ut pateat, quantoperè res ipsi cordi fuerit, hancque Dissentientium Tolerantiam inter primaria maximéque momentosa Christianæ Religionis officia esse.

Neque verò in eo solùm loco Officium illud præscribit Paulus, sed & in cæteris passim Epistolis. Certè 1. Cor. VIII. IX. X. cùm ageretur *de Idolothytis*, ostendit, Christianos minùs rectè sentientes, non modò patienter tolerandos fuisse, sed & cæteros eorum infirmitati se adcommodare debuisse: Quod quidem à seipso factum testatur Apostolus. *Cùm liber sim ab omnibus, omnibus me ipsum servum feci. Et factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifaciam; iis qui sub Lege sunt, quasi essem sub Lege, ut eos qui sunt sub Lege lucrifacerem: Exlegibus, ut ex-*

lex,

lex, ut lucrifaciam exleges: Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifaciam: Omnibus factus sum omnia, ut omninò aliquos servem. 1. Cor. IX. 20. 21. 22. Imò verò innuit, versibus sequentibus, se ita agere debuisse, ut posset gloriæ cœlestis particeps fieri. Unde sequitur, quantumcunque quis religiosus sit, & quantumcunque laborem in prædicando Evangelio insumat, si interim careat mansuetudine & tolerantia erga Fratres dissentientes, non posse Deo gratum, Salutisque participem esse.

Et quis eximio illo Charitatis encomio, quod toto capite XIII. ejusdem Epistolæ exstat, ad eandem Tolerantiam non moveatur? Hi quippe sunt inter præcipuos Charitatis caracteres, quòd sit *longanimis*, quòd *omnia ferat*, *omnia credat*, *omnia speret*, *omnia toleret*, ℣. 4. 7. Quod, si ad vitia atque defectus, non minùs profectò ad errores, præsertim errores leves, & fundamentum Religionis non adtingentes, referendum est.

Verum quidem est, Apostolum, in Epistola ad Galatas, adversus quosdam Pseudo-Doctores, vividum admodum esse. Sed id ipsum Tolerantiæ necessitatem non parùm confirmat; siquidem Doctores illi erant *Intolerantes*, volebántque Cæremonias Legis, tanquam ad Salutem necessarias, Christianis omnibus imponi: Quô positô, Christiana Fides non parùm adulterabatur. At, dum in Doctores illos invehitur Apostolus, multus est in caritate & tolerantia, in his ipsis sententiarum divortiis, commendanda, Gal. V. 13. 14. 15. 20. 22. Jubétque, ut *in spiritu lenitatis* erigantur qui ceciderint, *& alii aliorum onera ferant*, Gal. VI. 1. 2. Tandem, postquàm docuit, essentiam Christianismi, neque in *circumcisione*, neque in *præputio*, hoc est, neque in observandis, neque in omittendis Cæremoniis Legalibus, sed in *nova creatura*, hoc est, in vera ac reali sanctimonia, positam esse, hoc effatum addit, quô tolerantiam dissentientium, in rebus non-fundamentalibus, vovet simul atque præcipit; *Quicumque juxta hanc regulam incedent*, h. e. qui consenserint circa essentiam Christianismi, & juxta hanc regulam vitam composuerint, utcumque de aliis idem planè non

ſentiant, *pax ſuper eos, & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei.* v. 15. 16. Si pacem, ſi miſericordiam, iis omnibus voveat promittátque Apoſtolus, an ergo damnandi, an Orco addicendi, an à communione Chriſtianorum removendi ſunt?

At verò nullus eſt locus, quò Tolerantia diſſentientium in præter-fundamentalibus clariùs præcipiatur, quàm is, quem ex Epiſt. ad Philippenſes, III. 15. 16., ſuperiùs jam adduximus. Quis enim non videat, velle Apoſtolum, Chriſtianos, *in iis ad quæ pervenerint*, hoc eſt, in rebus fundamentalibus, *eadem regula incedere*, & *inter ſe concordes eſſe*; Si quid verò *diverſum ſentiant*, exſpectare uſquedùm *Deus* minùs rectè ſentientes *illuſtret*, & ad perfectiorem Veritatis cognitionem adducat, ſervatâ interim inter ſe invicem Chriſtianæ fraternitatis & charitatis compage? Quò & pertinet pathetica illa ad concordiam adhortatio, quæ initio capitis II. ejuſdem Epiſtolæ occurrit. Denique vult Paulus, *τὸ ἐπιεικὲς* Chriſtianorum, eorum *moderationem*, manſuetudinem, & in ferendis aliorum defectibus ac infirmitatibus facilitatem, *omnibus innoteſcere.* IV. 5.

Sed nec dubium eſt, quin tot hortationes, ad *ſe mutuò tolerandum, cum omni manſuetudine & modeſtia*, ad *ſervandam ſpiritûs unitatem per vinculum pacis*, ad *veritatem cum caritate ſectandam*, ad *omnem amaritudinem, iram, excandeſcentiam, clamorem, maledicentiam, deponendam*, ad *induenda viſcera miſericordiæ, benignitatis, modeſtiæ, manſuetudinis, lenitatis*, ita ut *alii alios tolerent, ſibíque mutuò condonent*, Epheſ. IV. 2. 3. 15. 31. 32. Coloſſ. III. 12. 13. dubium, inquam, nullum eſt, quin loca illa, aliáque idgenus, quibus refertæ ſunt Apoſtolorum Epiſtolæ, potiſſimùm ſpectent ad diſſidia Chriſtianorum Judaïzantium cum cæteris Chriſtianis, quibus temporis illius Eccleſiæ non parùm turbabantur. Horum remedium, juxta Apoſtolos, non aliud erat quàm *Tolerantia*, quâ diſſidentes Chriſtiani erga ſe mutuò uti debuêre.

Quæ quidem omnia quanti ſint ponderis, ad parem hodiernis hominibus commendandam Tolerantiam, fatebitur, quicum-

cumque ad ſequentes circumſtantias animum advertet. 1. Apoſtolos infallibiles fuiſſe. Jam, ſi Apoſtoli, qui erant infallibiles, noluerunt pro imperio diſſidia illa componere, ſed maluerunt Tolerantiam utrique parti commendare, quantò magis nos ita agere decet, qui errori obnoxii ſumus? 2. Non actum fuiſſe de re nihili, ſed de materia graviſſima, de diſcrimine Legis & Evangelii, de re neutiquam ſpeculativa, ſed ad praxim cultúmque non parùm ſpectante. Quot ſunt, bone Deus, quot ſunt longè minoris momenti, inter hodiernos Chriſtianos, Controverſiæ? 3. Utrinque fuiſſe argumenta non comtemnenda, hinc quidem Legem à Deo datam, illinc Chriſtianæ Liberratis defenſionem. 4. Paulum, qui tanto ſtudio Tolerantiam inculcat, zelo Legis, ad furorem uſque, antea incenſum fuiſſe. 5. Denique, hæc Tolerantiæ præcepta, poſt viſum Petro cœlitùs oblatum, & Synodum Apoſtolicam, data fuiſſe: Quo tamen viſo atque decreto, Controverſiæ illæ ſatis ſupérque definitæ videbantur. Qui ad circumſtantias illas adtendent, illáſque æqua lance ponderabunt, utique agnoſcent, Apoſtolicas de Tolerantia præceptiones, ſi valuerunt ipſorum ævô, multò magis noſtris temporibus, noſtriſque in Controverſiis, valere debere.

Quid multis? Ubicunque Chriſtus & Apoſtoli, charitatem, manſuetudinem, pacis ſtudium, commendant, ubicunque contrà à rixis, diſſidiis, ſchiſmatibus nos dehortantur, in iis omnibus locis, eam Tolerantiam imperari, de qua jam agimus, certiſſimum eſt. Verùm, ut ejus neceſſitas clariùs pateat, placet, illis Scripturæ teſtimoniis, graviſſimas quaſdam Rationes adjungere, quas nonniſi indicabimus, fuſiorem earum explanationem Lectorum peritiæ & pietati relinquendo.

I. Officium noſtrum eſt, communionem colere cum omnibus Chriſti Diſcipulis: Nam vult Chriſtus, Diſcipulos ſuos eſſe *unum*, Joh. XVII. 11. 21. 22. 23. Et paſſim in Scripturis, Eccleſia tanquam *unum Corpus* deſcribitur. Igitur communio colenda eſt cum iis omnibus de quibus non conſtat, eos titulo Chriſti Diſcipulorum indignos eſſe: Quo titulo certè indigni

non ſunt, qui Fundamentalia omnia retinent, nec niſi in præter-Fundamentalibus à nobis diſſentiunt.

II. Tanta ſunt, & tam eximia, ea de quibus conſentiunt Chriſtiani, in Fundamentalibus concordes, ut cætera indigna ſint quæ ipſos turbent, & à ſe mutuò ſejungant. Argumentum hoc vividè perſequitur Paulus, Epheſ. IV. 1. 2. 3. 4. 5. 6., quô locô haud ſcio an quidquam potentius in gratiam Tolerantiæ proferri poſſit. *Precor vos*, inquit Apoſtolus, *ego captivus in Domino, ut ambuletis prout convenit ei vocationi quâ vocati eſtis; cum omni modeſtia & manſuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alii alios per charitatem; ſtudentes ſervare unitatem Spiritûs per vinculum pacis.* Nam, addit, *unum eſt Corpus, & unus Spiritus, ſicut & vocati eſtis in unam ſpem vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſupra omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.* Qui in rebus tantis nobiſcum conſentiunt, eorúmque magnitudine ac momento, ut par eſt, tanguntur, næ iniqui in ipſos, contumelioſi in Chriſtum ſimus, ſi eos pro Fratribus habere nolimus.

III. Sublatâ eâ Tolerantiâ quam commendamus, nulla pax, nulla concordia, in Eccleſia ſtare poterit. Ac ſanè ut ſit Pax, duæ tantùm dantur viæ, vel *omnimodus Conſenſus*, vel *Tolerantia* erga leviter errantes exercenda. *Conſenſus omnimodus* planè impoſſibilis eſt: Tanta quippe eſt ingeniorum diverſitas, tam varia inſtitutio, tam variæ dotes, tam varia rerum ipſarum, ut ita dicamus, latera, ut, omnes idem de omnibus planè ſentire, fieri prorsùs nequeat. Neque verò id unquam fuit, inde ab Eccleſiæ primordiis, ad noſtra uſque tempora; neque unquam, ad finem uſque Sæculorum, videri poterit. Quamobrem, ut pax in Eccleſia detur, ad *Tolerantiam* leviter errantium omninò recurrendum eſt.

IV. Vel ob *omnes & ſingulas* opinionum diverſitates communio abrumpenda eſt, vel ob *quaſdam* tantùm. Nemo dicat, ob *omnes & ſingulas*; Etenim, hoc pacto, tot eſſent Eccleſiæ & Sectæ, quot capita. Si ob *quaſdam* tantùm, quodnam aliud diſcrimen ſtatui poteſt, quàm hoc; Ea nempe quæ ad eſſen-

eſſentiam ſeu fundamentum Religionis pertinent, immota retinenda eſſe; Ea verò quæ ad fundamentum illud non ſpectant, Tolerantiæ objectum eſſe?

V. Vel credimus, eos qui in rebus non-fundamentalibus à nobis diſſentiunt, Deo oxoſos eſſe, & damnatum iri, vel non credimus. Id credere, ſummæ eſſet profectò crudelitatis ac temeritatis. Si verò id non credamus, quare illos averſemur? Si credimus, Deum illos pro Filiis habere, quidni eos pro Fratribus habeamus? Si credimus, eos in Cœlis Deum nobiſcum laudaturos, quidni velimus, jam in terris, Deum cum ipſis colere?

VI. Vel credimus, univerſa, quæ ad Religionem ſpectant, perfectè jam cognita eſſe, nihilque ampliùs detegi poſſe; vel credimus, dari poſſe quædam cognitionis incrementa, quaſdam receptarum ſententiarum emendationes. Prius temerarium prorsùs eſſet, & ab humanarum rerum conditione planè alienum. Imò hæc eſſet intoleranda ſuperbia, à qua doctiſſimi quique quammaximè alieni ſunt. Etenim *cognoſcimus ex parte, prophetamus ex parte*, ut ait Apoſtolus. Si verò fieri progreſſus poſſint, omninò tolerantia opus eſt, erga illos qui aliquid novi proponunt. Nam Intolerantia progreſſus omnes ſufflaminat, exſtinguit donum Prophetiæ, & barbariem ac pigritiam inducit. *Quis enim moneat*, ut aïebat ille, *ſi monuiſſe periculum erit?*

VII. Intolerantia non tollit diverſitates opinionum, ſed efficit ſolummodò, ut qui à receptis placitis diſſentiunt, opiniones ſuas diſſimulent, imò & contra animi ſenſa non rarò loquantur. Quod quàm indignum ſit viris bonis, & Miniſtris Evangelii, ſatis pro merito defleri non poteſt. Dices, malè agere qui ſic agunt. Fateor. Sed neque illi, qui, immodico ſuo rigore, hypocriſi illi anſam præbent, culpa vacare exiſtimandi ſunt.

VIII. Tolerantia Veritati amiciſſima, Intolerantia contrà ei inimiciſſima eſt. Nam ſi Fortes nolint tolerare Infirmos, neque Infirmi Fortes tolerabunt; Etenim omnes ſibi ipſis fortes videntur. Sic omnes ſe mutuò damnabunt atque proſcribent; ac

ac proinde Veritas multis ex locis exſulabit. Contrà, ſi paſſim regnet Tolerantia, Veritas plena fruetur libertate, Rationúmque momentis ac ponderibus facilè vincet.

IX. Tolerantia, Errantibus ad Veritatem addueendis aptiſſima eſt; Contrà, Intolerantia eorum inſtitutioni ac emendationi non parùm adverſatur. Nam, ſi eos damnemus, & à communione noſtra expellamus, illi à nobis abhorrebunt; & quicquid ipſis dicemus, ſuſpectum ipſis erit. Contrà, ſi mitiùs cum ipſis agamus, cóſque pro Fratribus habere non deſinamus, amicè etiam nos reſpieient, & ad rationes noſtras libentiùs æquiúſque animum adpellent.

X. Ex Intolerantia, odia, rixæ, diſſidia, ſchiſmata in Eccleſiis & Academiis, tumultus in Societate. Dices, potiùs ex tolerantia diverſarum ſententiarum, ſchiſmata exoritura: Verùm, ſi rectè ad rem advertatur, patebit, mala illa omnia, haudquaquam ex tolerantia, quæ per ſe manſueta eſt & innoxia, ſed contrà ex ſpiritu intolerantiæ, originem dueere: Qui ſi ſemel ſuffocaretur, *diverſum ſentire, illæſâ amicitiâ*, ſemper *liceret.*

XI. Chriſtiani, ac præſertim Doctores, his Controverſiis occupati atque diſtenti, plurimos labores utiliores, magiſque neceſſarios omittunt; In primis ſtudium Pietatis & Sanctitatis eâ de cauſâ non parùm negligitur.

XII. Effieit Intolerantia, ut Chriſtiani diverſarum partium de ſe mutuò defendendis neutiquam cogitent, adeóque communem cauſſam deſerant, imò & prodant. Hine *Julianus* Imperator, ut Chriſtianos per ſe invieem perderet, diſſidentes Doctores accerſebat, & ſecum invicem committebat; gnarus, teſte *Ammiano Marcellino*, Lib. XXII. cap. 5. *nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum.* Certè Proteſtantium cauſa, ex inteſtinis ipſorum diſſidiis, quantùm detrimenti acceperit, nemo ignorat.

XIII. Ex his diſſidiis magnum oritur ſcandalum. Impii hinc occaſionem ſumunt Chriſtianiſmo illudendi; Dicunt, apud Chriſtianos nihil eſſe certi, cóſque, ob nullius non generis quæſ-

quæſtiones, ſe mutuò averſari atque diſcerpere. Notum, quanto apparatu, quantiſque triumphis, nuperus quidam Pyrrhonius, varia de Prædeſtinatione Syſtemata exagitaverit, nimiúmque rigorem, quocum hæc materia paſſim tractatur, ſuam in rem converterit.

XIV. Qui nolunt, Errores non-fundamentales tolerari, oportet ut ſeipſos Infallibiles credant. Nam ſi ſe crederent errori obnoxios, utique cogitarent, tolerantia ſibi ipſis opus eſſe poſſe, adeóque parem tolerantiam cæteris non denegarent. Dicerent;

Hanc veniam petimúſque damúſque viciſſim.

XV. Si tolerantia peccatis ac vitiis levioribus concedatur; (quod nemo negaverit) quidni & ejuſdem ordinis Erroribus concederetur? Etenim, an vitia & peccata ſunt aliquid levius, quàm cogitationes parùm accuratæ, de rebus ſublimibus atque obſcuris, quæ aliquando ſola in mente reſident, nihilque mali extrinſecùs pariunt.

XVI. Rursùs, confirmatur hæc Tolerantiæ neceſſitas, exemplo Dei ipſius, qui tanta patientia atque bonitate Hominum infirmitates tolerat, quique inſigni tolerantia uſus adparet, in omnibus Revelationibus & Oeconomiis. Certè, dum craſſis Hebræorum ideis ſe adcommodabat, humanóque more cum ipſis agebat & loquebatur, quid hoc erat niſi benigniſſima ipſorum inſcitiæ, ad adultam uſque ætatem, tolerantia? Cujus etiam in Chriſtiana Revelatione non unum ſpecimen exiſtere, quicumque ad rem adtenderit, facilè perſpiciet.

XVII. Confirmatur & Tolerantia exemplo Christi. Nam, obſecro, quot errores ſuis in Apoſtolis ac Diſcipulis toleravit Chriſtus, uſquedùm immiſſô Spiritûs igne eos abſumeret? Putà, de natura Regni ſui, de ſua Morte, de Cæremoniis, de Vocatione Gentium, &c. Erant Apoſtoli non rarò ἀληθέστεροι; Et tamen debilem illam fidem inſigni lenitate ac patientia tolerabat Chriſtus.

XVIII. Confirmatur & eadem Tolerantia exemplo Apostolorum: Qui, quamquam Infallibiles, ut ſuprà vidimus, tamen, & tolerantiam exercuerunt ipſi, & ab aliis exerceri voluerunt.

XIX. Qua in re & imitatores Succeſſores ſuos habuêre, PRIMITIVÆ nempe ECCLESIÆ PATRES, ſaltem piiſſimos & ſapientiſſimos; Quos inter, non una opinionum rituúmque diverſitas pacem Eccleſiæ neutiquam turbabat, quemadmodum præ cæteris oſtendit *Socrates*, Hiſt. Eccl. Lib. V. cap. 22. Unde, ſi qui fortè exiſterent, qui rigidiùs, quàm par erat, Fratres damnarent, & à communione ſua ejicerent, ut *Victor* in cauſa Paſchatis, & *Stephanus* in Quæſtione de baptiſmo Hæreticorum, auſis illis parùm Chriſtianis cæteri obſiſtebant, eáque vividè increpare neutiquam verebantur. Fateor, creviſſe Intolerantiam, unà cum cæteris Eccleſiæ malis, fulminúmque ac anathematum, de rebus leviſſimis, vix ullum finem fuiſſe. Verùm non ſic docuerat Chriſtus: non ſic egerant primi ac puriſſimi Ductores Chriſtianorum: Et quanta malorum ilias inde ſecuta ſit, nemo ignorat.

XX. Denique, ne plura hîc congeramus, conſentientes hîc habemus quotquot ſunt verè ſapientes, noviſſimorum temporum THEOLOGOS. † In immenſa ſylva, nonniſi duos, unum Tigurinum, alterum Bernenſem, hoc loco adpellabimus. Prior eſt Vir Clariſſ. *Joh. Wirtzius*, mediô Sæculô præteritô S. Theologiæ in Schola Tigurina Profeſſor. Is in *Diſquiſitione Theologica* de Sanctorum Communione, *Fundamentum*, inquit, *Communionis & Societatis Sanctorum in terra, eſt, ἓν θεὸς καὶ πατὴρ, ἓν κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα, adeóque conſenſio & convenientia in fundamentalibus Fidei articulis. Itaque ubi hoc fundamentum non eſt, ubi non eſt in fundamentalibus conſenſus, ibi Societas & Communio, quam in Symbolo profitemur, locum non habet, ſed iſtud B. Johannis*: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non aſfert &c. *Ubi verò ἑνότης fundamenti & Fidei Chriſtianæ inconcuſſa manet, ibi κοινωνία Societáſque Sanctorum locum habet, & habere, inconcuſſáque manere debet, etſi in uno alteróve, fundamentum non labefactante directè, diſſenſio ſit, ut & in ceremoniis & ritibus. Quemadmodum enim Eccleſiam non tollunt quælibet*

† Vide plurima hanc in rem teſtimonia in Collectione à nobis edita, cui titulus, *Nubes teſtium pro moderato & pacifico de rebus Theologicis judicio, & inſtituenda inter Proteſtantes concordia.*

libet diſſidia, ſed diſſidia fundamentum Fidei evertentia, ita nec quælibet diſſidia καταστάσιν *& ſocietatem Sanctorum tollunt, ſed ſola illa, quibus fundamentum Fidei directè, ſive totum, ſive ex parte, læditur & quaſſatur.* Et mox. *Summa; Conſenſus in fundamentalibus, in neceſſariis ad ſalutem dogmatibus, ad Sanctorum Communionem requiritur: In non fundamentalibus etiam, in problematibus, quin & in ceremoniis & ritibus, conſenſus perpulcher & in optatiſſimis eſſet: ſed in hac imperfectione, in hac tanta Eccleſiarum particularium, locorum, humanorum ingeniorum diverſitate & varietate ſperari non poteſt: Salva autem Sanctorum communio manere poteſt, conſenſu in fundamentalibus manente ſalvo.* §. 61. 62. 67. 70. Ex quibus colligit, Eccleſias Evangelicas concordiam inire poſſe, imò etiam debere. Alter eſt Vir quoque Celeberrimus, *Bened. Aretius*, in ipſo Sæculo Reformationis Bernenſium Theologus. Is, *Problematum Theologicorum* parte III. cap. *de Concordia Eccleſiæ*, docet, Concordiam illam eſſe *conſenſum de præcipuis religionis veræ articulis, non obſtante donorum diverſitate.* Iterùm repetit, eam *in primis fidei articulis poſitam eſſe. Primos vocamus*, addit, *qui ad ſalutem neceſſarii ſunt, quos nobis Symbolum expreſſit; In his obtinere conſenſum concordiam dicimus. De reliquis cùm non poſſit tranſigi, ferenda eſt judiciorum diverſitas: Imò, quod eſt majus, in iis ſæpe liberè fateri poſſumus ignorantiam noſtram; quod Auguſtinus habet, Chriſtianus ad multa reſpondere poteſt, ignoro. Id contra eos valet, qui in minutiſſimis etiam omnium judiciorum confirmationem exigunt; Ac niſi in omnibus ſubſcribatur, parata habent fulmina, hæreſes, ſectas, anathemata, imò carceres & mortes. Exempla ſi res poſtularet, produci poterunt non inepta, ſed ſciamus nos morem hunc Eccleſiæ veræ nunquam fuiſſe; in ea homines malitioſi illa ſuſtinent incendia, ut poſſint* καταστάσιν. *Sed cogitent ipſi quàm rem impoſſibilem requirant & abſurdam. Nullum certè unquam ingenium tam elimatum emerſit, cujus judicio omnium doctorum ſententiæ ſubſcriberent.* —— 2. *Et donorum diverſitas hoc ipſum ſecum trahere videtur. Quid enim, ſi datum mihi non ſit quod tibi, aut tibi quod mihi, aut utrique*

quod tertio, quid, inſectabimur diſſentientes? utique pietas hoc non fert. 3. *Ac ſi rem penitiùs inſpiciamus, non caret interdum ſua utilitate, excitantur ingenia, expenduntur rationes, confertur ſibi ipſi Scriptura, ponderantur argumenta, poſterique dies intelligunt, quod initio ſecùs videbatur.* Rectè ille, imò rectiſſimè.

Cæterùm, nos non latet, adverſus eam, quam hîc adſtruximus diſſentientium Tolerantiam, non pauca objici poſſe. Sed verò ex antè dictis ita facilè diluuntur, ut iis refellendis immorari neceſſe non ſit. Duo tantùm in genere obſervabimus. *Primum*, quæcumque contra Tolerantiam objiciuntur, objici contra Scripturam ipſam, contra Paulum Apoſtolum, quem pro ea ſtare, eámque ſtudioſiſſimè commendare, oſtendimus. *Alterum*, ſi qua fortè exſtent Tolerantiæ incommoda, longè plura atque majora ex intolerantia naſci. Quod quidem non temerè à nobis adſeri, ſed experientia Sæculorum omnium comprobari, quicumque in rebus Eccleſiæ, cùm Veteris, tum Recentioris, non omninò hoſpites fuerint, confitebuntur.

CAPUT OCAVUM.

Exemplum Diſſenſûs Fundamentalis, *in noſtris cum* ECCLESIA ROMANA *diſſidiis.*

ET hæc quidem, quæ hactenus diximus, nonniſi generalia, maximam partem, fuêre. Nunc placet, exemplum *Diſſenſûs Fundamentalis*, & exemplum *Diſſenſûs non-Fundamentalis*, in celebertimis, nobíſque proximis, Chriſtianorum Societatibus, breviter hic exhibere; quò poſitarum à nobis Regularum uſus adpareat.

Prioris exemplum non alibi illuſtrius occurrit, quàm in noſtris cum ECCLESIA ROMANA diſſidiis. Quod antequàm oſtendamus, nonnulla hîc præmonenda ſunt. 1. Ut rectum de Ro-

Romana Religione judicium fiat, non adtendendum, quid hic vel ille privatus homo, quid hic vel ille privatus Doctor ſentiat, ſed adtendendum ad Acta Publica, Conciliorum Decreta, quæ illi pro lege habent, Praxim perpetuam, miniméque damnatam, imò contrà imperatam magno ſtudio atque laudatam. 2. Admittere quidem Pontificios Capita omnia fundamentalia Religionis Chriſtianæ, ſed alterô modô à nobis notatô adverſus fundamentum impingere, ea nempe fundamento adjiciendo ac ſuperſtruendo, quæ ipſum convellant, magnáque ex parte diruant. 3. Non omnes tamen Pontificiorum Errores ejuſdem ponderis eſſe; alios quidem tolerabiles, ſed alios tales qui tolerari prorsus nequeant. 4. Diſtinguenda quoque tempora: Nam quædam certo tempore tolerari poterant, dum minor eſſet lux, dum Errores minùs confirmati, dum major diſſentiendi libertas, quæ alio tempore, & mutatis circumſtantiis, intoleranda prorsùs evaſêre, poſtquàm major lux affulſit, poſtquàm plura adfuêre media inveſtigandæ veritatis, & poſtquàm ea, quæ libera priùs erant, in Legis formam abiêre. 5. Diſtinguendum judicium de Hominibus, à judicio de Rebus ipſis. De Hominibus, præſtat judicium cohibere, eóſque Dei judicio relinquere, ſaltem niſi apertiſſimæ judicandi rationes adſint. De rebus ipſis, Dogmatibus nempe, Cultibus, Regimine, ex Dei Verbo judicare licet.

His prænotatis, fundamentalem eſſe noſtrum ab Eccleſia Romana diſſenſum, nullámque proinde, rebus ut ſunt ſtantibus, communionem cum ea iniri poſſe, his argumentis breviter oſtendimus.

I. Primo quidem, cùm velint, nos ea credere & profiteri, & credere quidem ac profiteri tanquam Articulos Fidei, quæ non credimus, quæ falſa eſſe novimus, imò quæ abſurda & contradictoria eſſe perſuaſi ſumus, ſanè non poſſumus, ſalvâ conſcientiâ, cum iis conſociari; Oporteret, nos eſſe Hypocritas, in re omnium graviſſima & momentoſiſſima, & in qua talis ſimulatio abſque ſummo piaculo admitti nequit. Verbi gratiâ, volunt nos credere *Tranſſubſtantiationem*, quam

tamen ſcimus eſſe infinitarum abſurditatum & contradictionum congeriem. Volunt, nos credere *Purgatorium*, ſuorum *Sanctorum interceſſiones* atque potentiam, aliáque bene multa, quæ ad minimum planè dubia, imò falſa & Scripturæ adverſa eſſe novimus. Legatur vel ſola *Profeſſio Fidei Pii IV.*, quæ ad mentem Concilii Tridentini ſcripta eſt, ejúſque Decretis adnexa: Patebit, eos qui aliter ſentiant, damnari, diris devoveri, adeóque in ea Communione, abſque intoleranda hypocriſi, vivere non poſſe.

Dices, non omnes ad ea credenda obligari, ſed ſolummodò ad ſe Eccleſiæ ſubjiciendum. ℟. Verùm, præterquàm quòd multa obſtant, quominùs nos ei Eccleſiæ ſubjiciamus, ut infrà videbimus, certè quicunque ei ſe ſubjiciunt, eô ipſô ſe ſubjicere tenentur Decretis omnibus Conciliorum, iiſque proinde Dogmatibus, de quibus jam ſermo eſt.

Regeres, Concilium Tridentinum non ubique receptum fuiſſe, v. g. in Gallia. ℟. Sed 1. in iis ipſis locis, ubi Decreta de Diſciplina admiſſa non ſunt, quemadmodum in Gallia, admittunt nihilominùs Decreta de Fide, qualia hæc ſunt de quibus dicimus. 2. Pleraque ex iis quæ ſtatuta ſunt in Concilio Tridentino, in antecedentibus Conciliis jam ſtatuta fuerant; v. g. Cultus Imaginum in Concil. Nicen. II., Tranſſubſtantiatio in Concil. Later. an. 1215., &c.

Addes, multos tamen eſſe in Eccleſia Romana, qui hæc non credant. ℟. Verùm illi, nomine Pontificii, re tamen non ſunt; ſuæque Eccleſiæ anathematiſmis ab ea ejiciuntur: Itaque viderint, quâ bonâ fide, quáve cum conſcientiæ pace, in ejus gremio manere queant. Nos certè, ea ſentientes quæ nos ſentimus, coaleſcere cum Ipſa, abſque ſumma hypocriſi, neutiquam poſſumus.

II. Alia eſt inſuperabilis, cur id nequeamus, ratio; nempe Eccleſiæ Romanæ ſententia, de ſuprema Regula, ſeu SUPREMO JUDICE Controverſiarum Fidei. Si quid momentoſum, ſi quid fundamentale ſit in Religione, hoc eſt procul dubio, Quænam ſit Regula Fidei, quinam ſit ſupremus Judex in Religione, quæ-

quænam ſit ſuprema auctoritas, cui omnimoda fides debeatur? Hic certè, ſi alibi uſpiam, locum habet quod ait *Lucretius*,

In fabrica, ſi prava eſt regula prima,
Omnia mendosè fieri atque obſtipa neceſſe eſt.

Enimverò, ſi id pro Regula Fidei admittitur, quod ſit fallax, & errori obnoxium, hinc nullis non erroribus, nullis non abſurdis porta aperitur. Atqui talis eſt Regula, talis Judex, tale Principium, quod habet Eccleſia Romana, dum dicit Ecclesiam, hoc eſt, ſeipſam, eſſe Infallibilem credendorum normam, eſſe ſupremum Controverſiarum Judicem, cui ſe ſubjicere omnes tenentur.

Ne autem dicant, nos ſine cauſa Principium illud rejicere, duo vel tria, omni exceptione majora, hîc breviter notare ſat erit.

Et *primò* quidem, ſi quid unquam validum eſt, ad probandum aliquem Infallibilem non eſſe, hoc eſt procul dubio, ſi certiſſimè conſtet, eum actu erraſſe, & quidem modò craſſò ac palpabili, & quidem ſæpe ſæpiùs; in primis verò ſi ea determinaverit, quæ abſurda ſint, quæ impoſſibilia, quæ manifeſtam & multiplicem involvant contradictionem. Atqui conſtat, tale quid definiviſſe Romanam Eccleſiam, dum definivit Tranſſubſtantiationem. † Ac per conſequens, vel ſola Tranſſubſtantiatio Romanæ Eccleſiæ Principium funditùs diruit.

Secundò, ut evertatur Regula Fidei Pontificiorum, magno labore opus non eſt. Poſſumus quieſcere, eóſque velut é longinquo ſecum invicem pugantes conſpicere. Nam, ſi Eccleſia ſit Infallibilis, vel Infallibilitas reſidet in Papa, vel in Conciliis, vel in Conciliis ſimul cum Papa. Atqui Papam non eſſe Infallibilem, optimè oſtendit Eccleſia Gallicana. Concilia non eſſe Infallibilia, optimè oſtendunt Itali. Conciliis cum Papa junctis, pars alterutra fidem etiam non rarò abrogat. Itaque, vel Ipſi ſoli, nobis tacentibus, & quieſcentibus, ſe mutuò perimunt, ſuæque Regulæ vitium demonſtrant.

Quòd

* De multiplicibus contradictionibus, quas Tranſſubſtantiationis dogma includit, vide Diſſertationem noſtram cui titulus, *Solus Quæſtionis, unàm Ασύγατα, ſeu Contradictoria, propriè loquendo, credi poſſint?* Theſ. XXI.

Quòd autem non leve ſit, & exigui momenti, inteſtinum hoc ipſorum diſſidium, cùm ex innumeris aliis litibus, magno æſtu olim agitatis, tum ex hodierna præſertim, de Conſtitutione *Unigenitus*, luce meridianâ clarius patet. Etenim cernitur magna Eccleſiæ Gallicanæ pars, quæ Papam graviſſimorum errorum, circa Fidem, circa Doctrinam de Moribus, circa Diſciplinam Eccleſiæ, publicis Scriptis inſimulat. Viciſſim Papa adverſariis ſuis iterùm iterúmque anathema dicit. Alii Epiſcopi ſunt pro Papa; Alii contra Papam: Nec patet hactenus, tantæ contentionis quis exitus futurus ſit. Igitur, quàm inſani ac imprudentes eſſemus, ſi tam momentoſis, de Quæſtione omnium maxima, putà de Regula Fidei, concertationibus nos implicaremus! In quibus, ut quod res eſt dicamus, utrique victores adparent, dum adverſarios impugnant; utrique victi, dum ſua ipſi ſtatuminare ac defendere nituntur.

Tertiò, eò juſtiùs ab hac Regula abhorremus, quòd omnem Fidei certitudinem adimat, & Pyrrhoniſmum neceſſariò ſecum trahat. Nam, ut certi eſſemus de Eccleſiæ auctoritate & infallibilitate, oporteret eam, vel ex Lumine naturali, vel ex Scriptura, vel ex Eccleſiæ ipſius definitionibus, innoteſcere. Jam autem, neque ex *Lumine naturali* colligitur; nam illud non eſt naturâ notum, dari Eccleſiam Infallibilem: Neque ex *Scriptura*, juxta ipſos; ſiquidem dicunt, Scripturæ auctoritatem & ſenſum non aliter quàm ope Eccleſiæ cognoſci poſſe; & præterea loca Scripturæ quæ huc trahuntur, planè aliena ſunt: Nec denique ab ipſa *Eccleſia*; nam hæc eſſet ineptiſſima Principii petitio, dicere Eccleſiæ credendum eſſe, quia Eccleſia id determinat.

Sed nec ſatis eſt, quòd ſit Eccleſia, imò Eccleſia Infallibilis, nôſſe, niſi ſciatur *quid ſit* illa, ubi reſideat, per quem loquatur; Qua de re, quantùm inter ſe diſſideant, mutuiſque ſe telis confodiant, modò diximus.

Rursùs, ſi vel hac de re conſtaret, ſciendum præterea quibus in rebus errare nequeat Eccleſia; An in rebus *Facti*, non minùs quàm in rebus *Juris*; An in rebus *Diſciplinæ*, non minùs quàm in rebus *Doctrinæ*; &c.

Adhæc,

Adhæc, ſciendum, quid requiratur, ut valeant, vimque Legis obtineant, illæ Eccleſiæ definitiones; Si Bullæ Papales, quando cenſeantur legitimæ? quando Papa, *ex cathedra*, ut aiunt, loquatur? Si Concilia, quando legitima? quænam legitima eorum membra? quinam legitimus procedendi modus? quænam verè Oecumenica? &c. Quæ omnia quàm incertam reddant Regulam Fidei Pontificiorum, quantóque jure proinde illam rejiciamus, nemo non videt.

III. Verùm una ex præcipuis cauſſis, cur diſſenſum illum, qui inter Nos & Pontificios intercedit, fundamentalem eſſe affirmemus, ducitur à Cultu, qui non modò planè diverſus eſt, ſed & talis ut conciliari, atque in unum compingi, prorsùs nequeat. Certè eum Cultum, quem exercet Eccleſia Romana, & ſub anathematis pœna injungit, & cujus etiam neglectum graviſſimis pœnis temporalibus vindicat, (qualis eſt adoratio Euchariſtiæ, Imaginum, Reliquiarum, Crucis; qualis eſt etiam Sanctorum & Angelorum Invocatio, & ſi qua ſunt ejuſdem furfuris) eundem nos pravum, illicitum, Verbo Dei repugnantem, ſuperſtitionis ac idololatriæ pleniſſimum, exiſtimamus. Non jam agitur de expendendo, utrùm erremus, necne. Hoc certum eſt, dum ita ſentimus, non poſſe nos ei Eccleſiæ, quæ Cultum illum præcipit, conſociari. Nam, ut ait Apoſtolus, de argumento non abſimili, *quæ communio lucis cum tenebris? quæ conſenſio Templo Dei cum ſimulacris?* &c. 2. Cor. VI. 14. 15. 16. Unde mox, verbis Prophetæ colligit, *Exite é medio eorum, & ſeparamini, inquit Dominus, & impurum ne attingite*; &c.

Quæ ratio quàm valida ſit, ſequentibus obſervationibus, nonniſi verbo indicandis, confirmamus. 1. Non eſſe diſſenſum hunc ſpeculativum, ſed totum practicum, in quo tota, quanta quanta eſt, Cultûs divini ratio vertitur, quique proinde gravior momentoſiórque eſſe non poteſt. 2. Hunc eſſe ſcopum Chriſtianæ Religionis, ejúſque proinde eſſentiam ac fundamentum, nos à cultu rerum creatarum, à cultu eorum *qui natura non ſunt Dii*, ad cultum unius veri Dei transferre:

Unde patet, quàm graviter peccent, qui nos contrà à vero Deo, ad cultum rerum creatarum, imò & mutorum simulacrorum, retrahunt. 3. Quomodocunque incruſtetur ac defendatur Cultus ille, certè ipſo facto ita conſtat, praxíque publica haudquaquam damnata ita celebratur, ut in dubium vocari prorsùs nequeat. 4. Denique hæc ratio, ſi alia ulla, clara, eſt, aperta, facilis, omnium captui adcommodata. Nullo hîc acumine, nulla ſagacitate, opus eſt; Regulæ Verbi Dei apertæ ſunt; Praxiſque contraria in omnium oculos incurrit.

IV. Poſtremò, ut Errores graviſſimi in Doctrina, & Superſtitiones intolerandæ in Cultu, ita & TYRANNIS in Regimine tanta eſt, ut jugo illi verè ἀβαστάκτῳ, planéque Antichriſtiano, humeros adcommodare neutiquam poſſimus. Certè hîc occurrit Monarchia Papalis, planè uſurpata; Leges, Chriſti Legibus planè adverſæ; diſpenſationes à Legibus Divinis, v. g. in Conjugiis; ſolutio Juramentorum, etiam inter Reges & Principes, quæ quidem ſumma perfidia, imò & Societatis ſubverſio eſt; farrago Legum de cæremoniis, quibus Judaïſmus atque Ethniciſmus revocatur, & Libertas Chriſtiana prorsùs adimitur; Anathemata in diſſentientes, etiam de rebus leviſſimis, v. g. de numero Sacramentorum; denique ſupplicia, carceres, cruces, vivicomburia, Inquiſitio, &c. Quibus omnibus à Communione Pontificia ita abſterremur, ut, quamdiu ſtabit Papæ auctoritas, ejus nos regimini ſubmittere, ejúſque arbitrio noſtram quietem, vitam, fidem, conſcientiam, committere porsus nequeamus.

Verbó; Exeutiatur Papæ jugum; (quod quàm ſit intolerabile, ipſimet Pontificii nimio plus ſentiunt;) Conſcientiis vis ne inferatur; Religio ex ſolo Dei Verbo æſtimetur; Exſulent à Cultu, quæcunque idololatriam ſapiunt: Tum de incunda Conſociatione, nobis non invitis nec repugnantibus, conſultationes haberi poterunt.

CAPUT

CAPUT NONUM.

Exemplum Diſſenſûs non-Fundamentalis *in diſſidiis quæ ſunt inter* Protestantes; *eos nempe qui* Lutherani, *cum iis qui* Reformati *dicuntur. Non obſtare diſſidia illa, quominùs ſe mutuò tolerare, & concordiam inter ſe inire, facili negotio poſſint ac debeant.*

Vidimus Diſſenſum Fundamentalem. Secùs ſe res habet in iis diſſidiis, quæ inter eos intercedunt, qui Papale jugum excuſſêre; Quorum alii *Lutherani*, alii *Reformati*, diſtinctionis ergò, adpellantur. Etenim, quicunque, ſedatis affectibus, & partium ſtudiis valere juſſis, diſſidia hæc ponderabit, videbit ea talia non eſſe, ut mutuæ tolerantiæ, piæque conſociationi, utrique parti, cùm aliàs ſemper, tum hoc præſertim tempore, apprimè neceſſariæ, intercedere valeant.

Quod ut faciliùs oſtendamus, tria in limine præmonenda ſunt. *Primum*, non hîc agi de mutanda ſententia, quod, ut poſtulare iniquum, ita & impetrare impoſſibile omninò eſſet; ſed agi tantùm de nobis mutuò ferendis, quæ res piis & moderatis ingeniis difficilis eſſe non debet. *Alterum*, non adtendendum, in hoc negotio, ad dura quædam Privatorum placita, ſcripta vel dicta imprudenter, opiniones parùm commodas, ſed unicè ad Acta Publica, Confeſſiones nomine Principum vel Eccleſiarum editas: Quæ & ipſæ, quantæcumque ſint auctoritatis, tamen, ex mente Proteſtantium, haudquaquam infallibiles, ſed ad Verbi Dei normam neceſſariò exigendæ ſunt. *Tertium*, utriuſque partis ſententias, cum earundem conſectariis, ſeu rectè, ſeu malè deductis, neutiquam confundendas eſſe; & conſectaria nolentibus, imò & abhorrentibus, haudquaquam eſſe adſcribenda; ſaltem niſi illatio ita ſit clara & palpabilis, ipſóque facto comprobata, ut, admiſſô principiô, repudiari prorsùs nequeat.

His positis, quis sit *Consensus* Protestantium inter se, & quàm exiguus, præ consensu illo, *Dissensus*, breviter videamus: Unde adparebit, quàm facilis sit, imò & quàm æqua ac necessaria, ea Tolerantia & Concordia, de qua verba fecimus.

CONSENSUS quantus sit, & quanti momenti, vel ex collatione *Confessionum* utriusque partis, imò vel ex sola *Confessione Augustana*, quam utrique admittunt, ejúsque Socii haberi volunt, abundè conspici potest. Utrisque certè solum Dei Verbum, sola Scriptura Fidei norma est; humanæque omnes traditiones atque sanctiones ad normam illam exiguntur. Utrisque unus verus Deus religiosi Cultûs objectum est; nullisque Angelis aut Divis, nullis Crucibus, nullis Reliquiis, nullis lapideis, vel ligneis, vel aliis quibuscunque simulacris, vel minima Cultûs illius umbra adscribitur. Utrisque in solo Christo, ejúsque meritis atque promissis, tota veniæ atque salutis fiducia reponitur. Utrisque, nonnisi fide & pœnitentiâ, sed fide vivâ atque efficaci, sed pœnitentiâ seriâ, & bonorum operum studio demonstratâ, aditus ad Christi beneficia, adeóque ad æternam salutem patet. Utrisque Baptismale Sacrum, & Dominici Convivii solemnia, missis innumeris illis figmentis, quibus ab Hominibus adulterata sunt, ex Christi præscripto aguntur, ejúsque gratiam salubri instituto nobis obsignant. Utrisque preces, laudes, gratiarum actiones, eleemosynæ, corpora nostra, imò nos, quanti quanti sumus, veræ sunt hostiæ, vera sacrificia, quibus Deo litatur, missô incruentô illô, planéque impiô atque absurdô, quod alii adjungunt, Sacrô. Utrisque duo tantùm fines, æterna Gloria, æternúmque Exitium, Igne intermediô ad avaritiam & superstitionem composito, Verbi Divini aurâ difflatô. Quid multis? Universa, quanta quanta sunt, Christianæ Fidei Principia, unà cum Papalium Errorum ac Superstitionum rejectione, utrique parti communia sunt. Nec profectò concipi potest, quomodo qui seriò ad hæc adtenderint, corúmque magnitudine, ut par est, adfecti fuerint, ob unam vel alteram de rebus obscuris tantisper diversam notionem, Fraternitatem abrumpere, & à Deo unà colendo abhorrere sustineant.

Talis

Talis est *Consensus*; præ quo si dicamus leviſſimum Dissensum esse, nihil in eo est, quod per se non pateat, faciléque non demonstretur. Hic autem non moramur exiguas quasdam Rituum diversitates, v. g. de *cereis*, de *imaginibus*, de *Confessione*, de *Exorcismo* in Baptismo, &c. quæ nec sunt eædem ubique, nec quidquam habent quod concordiam impediat; siquidem unaquæque Ecclesia suos usus habere potest, eorúmque varia ac libera praxis est, prout in Confessionibus utriusque partis agnoscitur. Sed nec moramur leviores quasdam opinionum discrepantias, quæ, vel meræ sunt logomachiæ, vel privatorum potiùs Doctorum quàm Ecclesiarum placita, vel mera consectaria, ex certis sententiis ducta, quæ proinde Ecclesiis ipsis haudquaquam adscribenda sunt. Ista omnia in præsentia mittimus; Et de tribus tantùm Controversiis, putà de *Eucharistia*, de *Persona Christi*, & de *Prædestinatione*, (quæ solæ re verâ alicujus momenti videri possunt, & ad quas solas adrendi solet) breviter, animóque pacifico, ac libero, sententiam dicemus.

Et ad primam quidem Quæstionem, *An ipsummet* Christi *Corpus verè & substantialiter præsens sit in Eucharistia?* licèt magna primo adspectu videatur hæc Controversia, tamen, si penitiùs in rem inspexeris, &, quid utrique fateantur, adtenderis, sanè plurimum imminui deprehendetur. Ac sanè utrique consentiunt, panem & vinum verè adesse, & ad finem usque remanere, adeóque non converti aut transsubstantiari in Corpus Christi. Utrique consentiunt vicissim, Christum re verâ adesse, imò Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento verè exhiberi, & tantum præsentia esse, quantùm Sacramenti ratio postulat. Utrique consentiunt, Christi Corpus & Sanguinem non adesse modô crassô & sensibili, non adesse per localem inclusionem, non adesse ad modum corporum, sed adesse tantùm ad modum spirituum, seu modo spirituali, imò non plùs nec minùs adesse, quàm Sacramenti ratio postulet, adeóque tantùm *modô Sacramentali*, quâ voce utrique utuntur. Utrique porrò Ecclesiæ Romanæ abusus & superstitiones pariter

damnant, Tranſſubſtantiationem, Sacrificium Miſſaticum, ſubtractionem Calicis, Sacramenti circumgeſtationem, elationem, adorationem, &c. Denique utrinque conſtat, non manducationem corpoream, quæ probis & improbis communis eſt, ſed eam ſolam manducationem, quæ fide peragitur, ſalutiferam eſſe: qua de re diſerta ſunt *Lutheri* verba, in *Catechiſmo Minori*, nec non & dicta notabilia *Brentii*, tum in *Syngrammate Suevorum*, tum in *Exegeſi in Johannem*, quæ nos brevitati ſtudentes omittimus. Quid ergo ſupereſt diſcriminis? Certè non de præſentia ipſa, ſi adcuratè loqui velimus; nam utriſque in confeſſo eſt, corpus Chriſti tantùm adeſſe, quantùm Sacramenti ratio poſtulat: De ſolo ergo præſentiæ modo inter illos diſquiritur, unâ parte eo præſentiæ genere contentâ, quod planum eſt ac facile, & Scripturæ ſtylo conſentaneum, alterâ parte prodigioſum quendam, planéque incomprehenſibilem, præſentiæ modum ſtatuente, quem altera, utpote inutilem, & inſuperabilibus difficultatibus obnoxium, admittere nequit. Hæc ſola diſſidii materies; In qua quid ſit, quod ad fundamenta Fidei vel minimùm pertineat, quídve obſtet, quominùs alii alios tolerent, uſquedùm plenior iis qui errant lux affulſerit, haud equidem perſpicimus.

Neque verò majus momentum eſt in altera Quæſtione, quæ ex prima illa ortum duxit; de PERSONA CHRISTI nempe; *An divinæ proprietates, omnipræſentia, omnipotentia, &c. humanæ Chriſti naturæ communicatæ ſint?* Certè agnoſcit utraque pars, quidquid hîc capitale eſt; putà duas Chriſti naturas, earumdem Unionem, abſque converſione, abſque diviſione, abſque commixtione, factam; proprietates utriuſque naturæ Chriſto ipſi adſcriptas; & hoc denique Pietatis Myſterium, de *Deo in carne manifeſtato*, rem ſublimem, humanóque ingenio majorem eſſe. Cætera, de quibus ambigitur, & per ſe ita ſunt obſcura, & ad Logomachiam ita accedunt (prout oſtendit Vir eximius, *Joh. Lud. Fabricius*, Theol. Heidelb. in *Meditatione circa Perſonam Chriſti*) ut durum profectò ſit, & à Caritatis lege alienum, illos qui de rebus ejuſmodi omninò non conſenſerint, pro Fratribus habere nolle. Supe-

Supereſt tertia Controverſia, de PRÆDESTINATIONE, quæ nulla vivô *Lutherô*, imò nulla multis pòſt annis, in diſſidiis *Zanchii* & *Marbachii*, circa annum 1561. erupiſſe primùm videtur. Sed nec negabat *Zanchius* generalem Dei voluntatem, omnes ſalvos faciendi, ſi credant, prout videre eſt in *Depuls. Calumn.*; nec de Electione & Reprobatione quidquam rigidius docebat, iis quæ docuerat, Lib. *de Servo Arbitrio*, aliiſque in locis, *Lutherus*. Crevit poſtmodùm hæc Controverſia, omniúmque præcipua à pleriſque hodie habetur. Verùm, quantumcunque exaggerentur varii hujus Quæſtionis rami, putà, de *Gratia univerſali aut particulari*, de *Electione ex fide præviſa*, de *Gratiæ reſiſtibilitate vel irreſiſtibilitate*, de *ejuſdem amiſſibilitate vel inamiſſibilitate*, ſanè quicumque ad rem adtendent, videbunt, de rerum ſumma magnum utrinque conſenſum eſſe, eóſque qui in his errant (quinam illi ſint jam non diſquirimus) optimos nihilominùs Chriſtianos eſſe poſſe. Enimverò conſentiunt utrique, 1. Bonum omne à Deo oriri, malum omne à nobis. 2. Hominem liberum, laude & vituperio dignum, &, quoties peccat, inexcuſabilem eſſe. 3. Neminem eſſe hominum, qui, ſi credat & pœnitentiam agat, Deo non ſit acceptiſſimus; imò & quem credere, & pœnitentiam agere, Deo gratiſſimum futurum non ſit. 4. Eos omnes qui pereunt, propriâ culpâ perire, nullo Dei defectu aut vitio, cui eorum exitium adſcribi queat. 5. Nihil in tempore accidere, quod in æternis Dei Decretis, ſive ſtatutum, ſive permiſſum non fuerit. 6. Deum uno ac ſimpliciſſimo actu omnia decreviſſe. 7. Deum redditurum unicuique ſecundùm opera ſua, nec niſi æquiſſimè, ſapientiſſimè, clementiſſimè, cum omnibus acturum eſſe. Denique in hac omni materia, de Dei conſiliis & viis, multa incomprehenſibilia, multa, quorum rationes & modum ignoramus, occurrere; unde illud Pauli, Ω βάθος! *O Abyſſus!* huic argumento juxta utroſque apprimè convenit. Quibus omnibus ſi ſequentia adjungantur, 1. *Lutherum* æquè durè, imò fortè duriùs, quàm ullum ex Reformatis, de his rebus locutum eſſe; 2. *Melanchtonem*, qui longè mitiùs de his rebus ſentic-

tiebat, & quem Lutherani hodie sequuntur, in summa nihilominùs amicitia cum *Luthero*, imò & cum *Calvino* nostro, quamdiu vixerunt, fuisse; 3. Multos Doctores Reformatos, v. g. *Bullingerum*, magnum illum Tigurinorum Antistitem, ad Melanchtonis ideas non obscurè accessisse, (unde & dicebatur μελαγχθονίζειν,) quemadmodum videre est, cùm ex aliis ejus operibus, tum in primis ex Oratione *de moderatione servanda in negotio Prædestinationis*, &c. 4. Partem non exiguam hodiernorum Reformatorum, putà Præsules Anglos penè omnes, Doctores Brandenburgicos, aliósque magno numero, cum Lutheranis vel planè facere, vel ad eos admodum accedere; 5. Eos ex Reformatis, qui rigidissimè etiamnum de Prædestinatione sentiunt, ab omni pravo consectario, quod inde educi queat, quammaximè abhorrere, & pietatem, non minus quàm reliquos, commendare atque colere; Si hæc, inquam, omnia adtendantur, & animo pio ac pacifico ponderentur, utique patebit, Quæstiones de *Prædestinatione*, arduas oppidò atque sublimes, non debere animos dirimere, & concordiam impedire; posse unumquemque propria sententia frui, neque molestiam cuiquam hoc de negotio creandam esse; nedum ut Ecclesiæ Communio, & Fraternitatis jura, à materia ita obscura ac perplexa suspendantur.

Confirmabitur id quod diximus, de exiguo Controversiarum illarum momento, & æquitate exercendæ his in rebus Tolerantiæ, si sequentia observentur, quæ nonnisi indicabimus, sed quæ diducere atque ponderare, pii ac pacifici Lectoris erit. 1. Quæstiones illas omnes nihil ad Cultum aut Praxim spectare, sed in sola mente residere; quo fit ut tolerari sententiæ diversæ, & facilè possint, & debeant. 2. Illa vulgi captum superare, neque aliud ferè nisi Scholasticas quæstiones esse. 3. Plurimos, in utraque Communione, de Quæstionibus illis nihil audivisse, vel parùm eas intelligere, vel in iis errare, vel dubios hærere, & adsensum cohibere; Qui omnes, an à spe Salutis, & Sacrorum Communione, removendi sint, Lutheranis Fratribus judicandum relinquimus. 4. Non tam de rebus

rebus ipſis, quàm de rerum modo & circumſtantiis diſputari, quemadmodum ſuprà oſtendimus. 5. In his quæ diſquiruntur, non tam proborum quàm improborum cauſſam agi; putà de indignorum communione, & divinis circa reprobos Decretis. Quidni verò illos mittamus, utque nos in Fidelium numero reperiamur, duntaxat operam demus? 6. Utrorumque Hypotheſes bono animo prolatas eſſe; unde illis, ſi non laus, certè indulgentia tribui poteſt. 7. Fuiſſe tamen aliquid humani in illis diſceptationibus, zelum præpoſterum, iras immodicas, æmulationis & gloriolæ non obſcura ſpecimina: qui adfectus nimio plus jam viguêre, eóſque tandem ſedari convenit. 8 Graviſſimas, imò penè inſuperabiles, ab utraque parte difficultates occurrere; quod de Prædeſtinatione in primis dictum volumus. 9. Has de Prædeſtinatione Controverſias, omnium temporum, regionum, Religionum, communes fuiſſe. 10. Magnis auctoribus, nec facilè damnandis, aut communione pellendis, ſententiam utramque ſtare: Nam ab una parte ſtat *Chryſoſtomus*, & anteriorum Sæculorum Patres, ab altera ſtat *Auguſtinus*, & Diſcipuli immenſo numero; Quos omnes, ſi reviviſcerent, utique exoſcularemur, nedum ut eos ab Eccleſiis, aut muneribus Eccleſiaſticis, arceremus. 11. Prudentiam hoc in negotio ab ipſis diſcendam Adverſariis, à Pontificiis nimirùm, qui, cùm ſint rigidiſſimi utplurimùm, & à tolerantia alieniſſimi, tamen, hac ipſa in materia, imò & in aliis longè gravioribus, varias ſententias ferunt, earúmque fautores in gremio ſuo retinent. 12. Has Quæſtiones, quæ inter nos controvertuntur, ab Auguſtana Confeſſione planè abeſſe, prout à Theologis utriuſque partis in Colloquio Lipſiaco agnitum eſt. 13. Alias innumeras ſententiarum diverſitates occurrere, non modò æquè graves, ſed & graviores longè, quæ tamen ab utraque parte patienter tolerantur: Quidni igitur eadem ſit iſtorum ratio? Denique, (ne plura hic congeramus) hoc unum quærere velim; An dici poteſt, ſanxiſſe Deum, *unicum* illum *Legiſlatorem*, *cujus eſt ſervare & perdere*, hæc vel illa Dogmata, inter Proteſtantes controverſa, cognitu ad ſalutem ne-

ceſſaria eſſe, hos vel illos Errores oppoſitos à Salute excludere? Id aſſerere, ſummæ profectò temeritatis, animíque partium ſtudiis planè excæcati, eſſet. Quòd ſi verò ſummus ille Judex talem ſententiam non dixerit, quinam nos ſumus, qui Deo ipſo juſtiores ac rigidiores haberi velimus?

Hactenus igitur clarè oſtenſum eſt, & tantum inter Proteſtantes *Conſenſum* exiſtere, & *Diſſenſum* adeò levem, ut Tolerantia exerceri, & Concordia iniri optimè poſſit. Verùm ulteriùs progredimur; aſſerimúſque, rem liberam non eſſe, ſed ſummæ neceſſitatis, ſtrictiſſimíque officii, ſive ex conſcientia, ſive ex prudentia fiat judicium. Dico primùm *ex conſcientia*. Nam ſi Diſſenſus illo non impediat, quominùs ii qui ſic diſſentiunt, veri ſint Chriſtiani, vera Eccleſiæ Membra, utique communio cum ipſis neceſſariò habenda eſt. Quod ſi non facimus, certè in Caritatis violatæ, diſcerptique Chriſti Corporis, crimen incurrimus. Etenim vult Chriſtus, Diſcipulos ſuos *eſſe unum*; vult Paulus, *unitatem Spiritûs vinculo pacis cuſtodiri*; quemadmodum nos, capite VII., magno argumentorum pondere ac numero confirmatum dedimus. Rem verò nemo preſſiùs urſit, ad Controverſias Proteſtantium quod adtinet, quàm Vir piiſſimus & pacis amantiſſimus, SAM. WERENFELSIUS, in *Conſiderationibus generalibus de ratione uniendi Eccleſias Proteſtantes*; ad quas proindè, tanquam vividiſſimas ac urgentiſſimas, Lectorem amandamus.

Sed, ſi ex officio & conſcientia, non minùs *ex prudentiæ legibus*, Concordia hæc neceſſaria eſt. Quis enim neſcit, ex ea abrupta, quot mala pullulaverint, quot odia, quot rixæ, quot bella, quantum altercandi & convitiandi cacoëthes, quanta temporis jactura, quantus pietatis & caritatis neglectus, quantus obex Reformationi, quanta Pontificiorum aliorúmque adverſariorum tripudia, &c. Quorum omnium malorum contraria, ex ea, de qua dicimus, Concordia exſpectanda ſunt.

Cæterùm, ne quis fortè cauſſetur, nos, rem quidem pulchram, laudandam, optabilem, ſed non magis poſſibilem, quàm quadraturam circuli, vel Lapidem Philoſophicum, hoc

loco

loco proponere, difficultatem hanc non prorsùs inanem unô verbô diluimus: Scilicèt, quod aliàs jam ſæpe factum eſt, ſi non per omnes paſſim Eccleſias, neque conſtanti ſatis ratione, ſed multis tamen in locis, variiſque temporibus, quidni fieri etiamnum poſſet, imò & fieri univerſale? Atqui nota ſunt, omniúmque oculis expoſita, Concordiæ iſtius exempla; Putà *Marpurgi* an. 1529. *Wittembergæ* an. 1536. *Sendomiriæ*, aliiſque in locis Poloniæ atque Bohemiæ, an. 1570. & ſequentibus; *Lipſiæ* an. 1631. *Carentoni* eodem annô; *Caſſellis* an. 1661. *Regiomonti* in Boruſſia, non ita pridem. His addenda Acta plurima Comitiorum Germaniæ, inde ab ipſo Reformationis primordio, ad noſtra uſque tempora, quibus Reformati pro Sociis Auguſtanæ Confeſſionis agniti ſunt, etiamnúmque habentur. His & adjungenda Scripta innumera, tum Principum ac Civitatum, tum Eccleſiarum & Academiarum, tum Virorum utriuſque partis Piorum & Moderatorum, quibus Concordia ſuadetur, promovetur, commendatur, ejúſque inſtituendæ rationes aperiuntur. Quo in cenſu Virorum Piorum & Pacis ſtudioſorum, nomen ſuum, inſigni ſua cum laude, & bonorum omnium plauſu, profeſſus nuperrimè eſt Vir Clariſſimus ac Eruditiſſimus (nec enim exiguam, quæ inter nos intercеſſit, diſſenſionem hîc moramur) Christ. Matth. Pfaffius, Theologus Tubingenſis, tum ad calcem Diſſertationis de *Articulis Fundamentalibus*, ubi declarat, Proteſtantium coalitionem, *non rei ipſius, ſed hominum vitio*, hactenus impeditam eſſe; tum in *Inſtitutione Theologiæ dogmaticæ & moralis*, quâ momentum Controverſiarum, quæ inter Proteſtantes intercedunt, ſapientiſſimè ponderat, eáſque non eſſe Fundamentales oſtendit.

CAPUT DECIMUM.

Consilia quædam, ad Concordiam *&* Tolerantiam *pertinentia, proferuntur.*

NUnc supereſt, ut Consilia quædam, ad eam Concordiam & Tolerantiam, de qua diximus, facientia, breviter proponamus, & Lectorum piorum ac pacis amantium examini subjiciamus.

PRIMUM omnium, veram ac sanam Christianismi ideam omnium animis obversari necesse est; utpote qui, non in obscuris quibusdam notionibus, non in Scholasticis argutiis, sed in *nova creatura*, hoc est, in vera pietate & probitate situs est.

SECUNDO, Doctrinarum & Controversiarum omnium momenta, ex Dei Verbo, & sapientiæ legibus, sedulò ponderanda sunt; ne musca, quod aiunt, in elephantem convertatur, *fœnúmque* ac *stipulæ* cum ipso Christianismi *fundamento* confundantur.

TERTIO, in obscuris atque incertis, adsensus cohibendus: non plus sapiendum quàm par est, sed *sapiendum sobriè*, juxta mensuram luminis à Deo concessi.

QUARTO, optandum, ut primarium illud, verèque Fundamentale, Reformationis nostræ Principium, de SCRIPTURA SACRA UNICA FIDEI NORMA, animo excidere nunquam patiamur; adeóque nullis hominum Cœtibus, nullis humanis Scriptis, quantacunque auctoritate vel doctrina præpolleant, fidem nostram mancipemus; sed omnia, quanta quanta sunt, ad Verbi Divini normam expendamus.

QUINTO, optandum, ut nos in primis errori obnoxios esse, indesinenter recordemur: Quo fiet, ut prioribus placitis non nimiùm adhæreamus, sed novam lucem admittere, rectéque monentibus cedere, nunquam non parati simus.

SEX-

Sexto, Quæstiones illæ omnes, quæ inter Protestantes intercedunt, ad Populum nunquam deferendæ; utpote quæ captum ejus superant, neque ad pietatis aut sanctitatis promotionem quidquam faciunt.

Septimo, si in Scholis agitentur, summa semper cum moderatione & mansuetudine tractandæ; simulque ostendendum, illas ad Fidei Fundamenta non pertinere.

Octavo, in iis Quæstionibus, aliisque non minùs perplexis, ipsamet *Scripturæ* verba, quantùm possumus, usurpanda sunt; ideæ verò & voces Scholasticæ pro virili missæ faciendæ. Sic tutiori gressu incedemus, contradicentibus os occludemus, & ad incundam concordiam faciliorem viam parabimus.

Nono, exerceatur ubique, atque apud omnes, par Moderatio; caveatúrque, ne exprobari nobis queat, nos foris quidem pacificos, sed domi rigidos & morosos esse.

Decimo, quod palmarium, Pietati & Sanctitati, cùm in nobis producendæ & confirmandæ, tum aliis instillandæ, indesinenter operam demus: Quod si fiat, ad vanas & infrugiferas Quæstiones, ad ædificationem non pertinentes, nobis non vacabit.

Undecimo, primarium illud Christi Domini nostri Præceptum, quô Caritatem Discipulis suis tantoperè commendavit, ob oculos semper habendum, & erga Fratres Dissentientes exercendum est: Cogitandum quippe, exiguas illas opinionum diversitates, quæ inter nos intercedunt, idoneam abrumpendæ Caritatis caussam non esse.

Duodecimo, testanda Caritas illa, non privatis modò dictis & factis, sed & Sacram Mensam, si occasio detur, neque Fratres repugnaverint, unà cum iis adeundo. Quidni enim solemnem hanc Dominicæ mortis commemorationem, & Christianæ Caritatis tesseram, communem cum iis habeamus, qui in primariis omnibus Christianæ Fidei capitibus nobiscum consentiunt, etsi in minutis quibusdam Articulis tantisper discrepemus?

DENIQUE, ut hoc modo nos ipſos gerere, ita & eandem manſuetudinem, & factis, & ſermonibus, cæteris inſtillare, pro ea in qua verſamur ſtatione, & ea qua pollemus auctoritate, neceſſe eſt. Faciant hic quod ſuum eſt PRINCIPES, faciant NOBILES, faciant THEOLOGI. Sic ſenſim fiet, ut hæc ſemina Moderationis & Tolerantiæ, Divinæ Benedictionis rore irrigata, feliciter germinent, & ſuaviſſimos fructus proferant, ad DEI gloriam, Eccleſiæ ædificationem & concordiam, & noſtram ipſorum Salutem: Juxta illud Apoſtoli, *Fructus juſtitiæ cum pace ſeritur pacificis.* Jacob. III. 18. AMEN! AMEN!

FINIS.

PYRRHO-

PYRRHONISMUS PONTIFICIUS,

SIVE

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA de Variationibus Pontificiorum, circa Eccleſiæ Infallibilitatem.

Habita eſt diſputatio Lugduni Batavorum, annô 1692., *præſide Viro Celeberrimo,* FRIDERICO SPANHEMIO, *S. Theol. & Antiq. Eccleſiaſt. Profeſſore; auctore verò & reſpondente* JOH. ALPHONSO TURRETTINO *Genevenſi.*

THESIS PRIMA.

PRoteſtantium Fidem, multas paſſam Variationes, & idcircò veram non eſſe, probare nuper voluit *Meldenſis Epiſcopus.* † Argumenti illius nec valebat ſequela, nec antecedens probari potuit, ut à Celeberrimis noſtrarum partium Theologis optimè demonſtratum eſt. Certè vix tres aut quatuor totus Præſulis

† JACOBUS BENIGNUS BOSSUET, primò Condomenſis, deinde Meldenſis Epiſcopus, Libro, cui titulus, *Hiſtoire des Variations des Egliſes Proteſtantes*, 2. voll. Paris, 1688. Confutatus eſt, præ cæteris, à Viro Celeberr. JAC. BASNAGE, Eccl. Gal. Rotterod. Paſtore.

ſulis liber nobis objicit momenti alicujus Variationes; Quæ quidem ipſæ, ſi rectè expendantur, ad Scholam magis videbuntur pertinere, quàm ad eſſentiam Religionis. Sed vicerit hac in parte Præſul; multiplices acciderint, à tempore Reformationis, fidei noſtræ Variationes. Quid inde? Hoc unum ſcilicèt, non omnia vidiſſe primos noſtros Doctores, in quibuſdam falli potuiſſe, quod ab ipſis erratum eſt emendari à nobis poſſe, denique nos, humanam omnem auctoritatem procul eſſe jubentes, inque ipſam veritatem unicè inquirentes,

Ἀεὶ γηράσκω, πολλὰ διδασκόμενος.

Quod non negamus. Igitur, nec intentum probavit Illuſtriſſimus Præſul, nec ſi probaverit, multum promoverit.

II. Quæ verò Variationes, nec in Fide noſtra deprehenduntur, nec deprehenſæ quidquam nocerent, eas exprobrare Pontificiis, & facile nobis eſt, & palmarium. Dicat, quidquid voluerit, Meldenſis Epiſcopus. Omnium dogmatum ſuæ Eccleſiæ, ab ipſo tempore Apoſtolorum, intemeratam jactet conſtantiam. Certum tamen eſt, iiſque omnibus notum, qui Hiſtoriam Eccleſiæ vel à limine ſalutaverunt, pro una Variatione, quæ nobis impingitur, cáque leviſſima, capitalium innumerarum Romanam Eccleſiam convinci poſſe. Et quum plures Variationes, jure nobis impactæ, cauſæ noſtræ nihil obeſſent, dummodò ad Fidei fundamenta non pertinerent, vel unica Variatio, cáque leviſſima, Romanæ Eccleſiæ Infallibilitatem affectantis jugulum petit.

III. Quàm verè autem multiplicis Variationis, & in rebus quidem ſummi momenti, Romam poſtulemus, patet, ſi ad prima adſcendatur Chriſtianiſmi tempora, ſi ſtatus Religionis, ut ab Apoſtolis inſtituta eſt, cum hodierna Pontificiorum Religione conferatur, ſi denique, per omnia cundo Sæcula, quid in ſingulis factum, quidve creditum, ſedulò obſervetur. Ita multiplex Romæ, cùm à Chriſti inſtitutione, tum à ſe ipſa ſæpe, apparebit diſſenſus. Ita patebit, nihil aliud complecti Papatûs hiſtoriam, quàm continuas & omnigenas Variationes; Variationes in dogmatibus, Variationes in ritibus, Variationes in regimine;

gimine; alias quidem ſeriùs, alias citiùs factas; has ſenſim, illas ſubitò; has occultè ac tectis viis, illas apertè & quaſi χρυσῇ κεφαλῇ. Verbô, Roma patebit conſtans, non ut contendit Meldenſis Præſul, ſed in levitate ſua duntaxat conſtans. Quódque peius, non Variationes modò paſſa eſt, ſed damnoſas & culpandas Variationes; eámque Glauci & Diomedis permutationem imitata, commutâſſe plerumque comperietur

* Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων.

IV. Quot Variationes in *Imaginum* cauſa? Tribus primis Sæculis, non ignotæ ſolùm Chriſtianis, ſed deteſtatæ Imagines; eò uſque ut pingendi artem pro illicita haberent. Mox introduci ſenſim in Templa, recordationis, inſtitutionis, ornatûs ergò; nec probatâ tamen à Viris piis innovatione, ut ex † *Concilio Eliberitano*, & *Epiphanii* facto apparet. Introductæ mox adorari, damnantibus iterùm viris piis Ethnicam praxim. Sæculô primùm octavô, juſſus apparet earum cultus. *Romæ* quidem à Pontifice juſſus. Mox damnatus ‡ *Conſtantinopoli*. ** *Niceæ* reſtitutus. †† *Francofurti* rursùm damnatus. Tandem, poſt multa eâ occaſione geſta prælia, poſt multas Conciliorum ſibi mutuò adverſantium diras, paſſim invaluit. Si hæ non ſint Variationes, ſcire velim quid ſit Variatio.

V. Quod de Cultu Imaginum, de plurimis aliis affirmare licet, ſive Dogmatibus, ſive Ritibus, in quibus Romam, & cum Divina Revelatione, & ſecum etiam ſæpe pugnâſſe, claris indiciis demonſtratum eſt. Ire per ſingula jam non poſſumus. Ergo unum ſeligendum duximus de *Infallibilitate Eccleſiæ* articulum, capitalem illum, ut quivis videt, quippe quô tota Pontificiorum nititur fides; multiplicibus tamen, & jam pridem, & hoc ipſo tempore, exagitatum Variationibus.

† *In fabricâ, ſi prava eſt regula prima,*
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum,
Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſe eſt.

* *Hom. Iliad. Z. ℣. 236.* † *Con. 36.* ‡ *Ann. 754.* ** *Ann. 787.*
†† *Ann. 794.* † Lucret. *Lib. IV. ℣. 516. & ſeq.*

Si incerta, ſi dubia, fidei noſtræ norma, ſi fundamentum, cui illa innititur, infirmum & inconſtans, inconſtantem illam, incertam & dubiam neceſſe eſt eſſe. Si igitur evicerimus, circa Infallibilitatem Eccleſiæ, Romanæ Fidei fundamentum unicum, in varias partes iviſſe, ac etiamnum ire Pontificios, totam illorum Fidem dubiam eſſe & fluctuantem manifeſtum erit. Id verò demonſtrare, cum bono Deo, mens eſt, nudâ primò Variationum illarum narratione inſtitutâ, pòſt adnexis quibuſdam circa Variationes illas obſervationibus, quibus neceſſarius Pontificiorum Pyrrhoniſmus evincetur.

VI. *Eccleſia* Pontificiis duplex, *Univerſalis* & *Repræſentativa*. Per Univerſalem, totam intelligunt Chriſtianorum congregationem, ex Clero ſimul & Laïcis conſtantem, & fidei ejuſdem profeſſione unitam. Per Repræſentativam, eam intelligunt congregationis illius partem, quæ reliquis Leges præſcribit, ſive illa ſit Papa, ſive Concilium. Utramque illam Eccleſiam *Infallibilem* dicunt, illam in *credendo*, hanc *in docendo*. De primæ Infallibilitate jam non agimus, ſed de ſecundæ. Porrò in *Eccleſiæ Repræſentativæ Infallibilitate* tria poſſunt diſtingui. *Veritas* illius, *Sedes* atque *Extenſio*. Hinc tres quæſtiones. *Primò* enim quæritur, An Eccleſia illa ſit re verâ Infallibilis? *Secundò* quæritur, quænam ſit ſedes Infallibilitatis in illa Eccleſia, an Papa, an Concilium, an Concilium ſimul cum Papa? *Tertiò* quæritur, quinam ſint limites Infallibilitatis illius? nemo enim Pontificiorum illimitatam eam credit. Quàm vacillans in hiſce tribus, noviſſimis præſertim Sæculis, quàm vacillans etiamnum ſit Roma, breviter enarremus.

VII. Primum quod attinet, *An Eccleſia*, id eſt Eccleſia Repræſentativa, *ſit Infallibilis*, in eo variationes non exiguas videmus, propioribus nobis Sæculis. Quod ut eluceſcat, res ab origine repetenda eſt. Certum igitur eſt, & à noſtris ſæpe probatum, Infallibilitatem illam, quam jactat Roma, ſive in Romano Pontifice, ſive in Concilio ſedere ſupponatur, primis fuiſſe ignotam Sæculis. Nec enim ea uſi ſunt Sæculorum illorum Patres, contra hæreticos diſputaturi. Nec id modò; ſed & expreſſa

preſſa exſtant Patrum eorum loca, Infallibilitati illi prorsùs adverſa. Inſtar omnium erit Augustinus, à Noſtris toties eam in rem laudatus; Sic ille Epiſt. 19. ad Hieron. *Fateor*, inquit, *ſolis eis ſcripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam.* Et paulò poſt. *Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per illos Autores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, perſuadere potuerint.* Quid fortius? Nec in genere tantùm omnem humanam Autoritatem à Religione arcet, ſed in ſpecie, *& Epiſcopos à Conciliis provincialibus, & Concilia provincialia à plenariis, & ipſa plenaria ſæpe priora à poſterioribus emendari docet.* De Baptiſ cont. Donatiſt. lib. 2. cap. 3. Ne verò exiſtimetur, quod Conciliis & Epiſcoporum vulgo admit, uni Epiſcopo Romano tribuere, ſtatuit à Romano Epiſcopo, & cæteris Romanæ Synodi Epiſcopis *ad plenarium Eccleſiæ Univerſæ Concilium provocari poſſe, ut ſi male judicâſſe convinci poſſint, eorum ſententiæ ſolvantur.* Epiſt. 162. ad Epiſcop. Donatiſt. Ubi ergo fuit, Auguſtini tempore, Infallibilitas illa Eccleſiæ, quum & Epiſcopum Romanum, & reliquos Epiſcopos, & Concilia particularia, & Concilia generalia, & omnes in univerſum autores, ſolis exceptis Canonicis, errare poſſe dicat? Scio alia nobis opponi Hipponenſis Præſulis loca, ex libro potiſſimum quem ſcripſit *de Unitate Eccleſiæ*, ubi hæreticos ad Eccleſiam Catholicam amandare videtur, ut ad ſummum Doctorem, cui omnimoda fides debetur. Sed evictum à noſtris, Infallibilitati Eccleſiæ hæc non favere; mittere Auguſtinum ad Eccleſiam Catholicam, ut ad peritum quidem Doctorem, non ut ad Judicem errare neſcium; velle ei fidem adhiberi, non tamen cæcam; nec quod illa docet, quia docet, credi oportere, ſed quia benè docet.

VIII. Ignota igitur, Auguſtini ævô, imò verò & longo pòſt tempore, Eccleſiæ illa ἀναμαρτησία. Fateor equidem, progreſſu temporis, Romani Epiſcopi ſuperbiâ creſcente in dies, creviſſe

etiam ejus autoritatem, eúmque tandem, poſt ſuperbiſſimos *Pontificis Oecumenici*, *Capitis Eccleſiæ*, *Vicarii Chriſti* titulos, ſupremæ quoque Juriſdictionis, Legiſlationis, Appellationum, & Infallibilis judicii jura ſibi arrogâſſe. Non omnes tamen uſurpationibus illis ſubſcribere: multi autoritatem Conciliorum autoritati Pontificis opponere; & quod Pontifici non concedebant, infallibiliter pronuntiandi jus, Conciliis, præſertim generalibus, tradere. Veruntamen, nec Pontificis, nec Conciliorum, Infallibilitas pro articulo Fidei habita videtur, ipſis XIV. & XV. Sæculis. Teſtes, ex multis, paucos audiamus.

IX. Primus eſto teſtis Cardinalis ille, qui poſtea Pontifex creatus eſt, dictuſque BENEDICTUS XII. Agebatur ſcilicèt de facetâ illâ Franciſcanorum contentione, circa bonorum proprietatem. Abdicationem proprietatis, ſanctam, laudabilem, meritoriam, Chriſti & Apoſtolorum, non verbo ſolùm, ſed exemplo conformem, plures Papæ decreverant; *Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV.* ſed omnium maximè *Nicolaus III.* in Decretali *Exiit*, in quâ etiam contrà ſentientes Excommunicationis vinculo ſtringit. Idem confirmârat Nicolaï ſucceſſor *Martinus IV.* Idem *Nicolaus IV.* ac demùm *Clemens V.* in * Concilio *Viennenſi*. His non obſtantibus tot Pontificum decretis, *Johannes XXII.* conſtitutionem illam damnavit, quódque Chriſtus & Apoſtoli bonorum omnium proprietatem abdicaſſent, *erroneam*, *peſtiferam*, *damnatam doctrinam & hæreſim*, *ac blaſphemiam Catholicæ fidei inimicam* pronunciavit. Cúmque Johanni objiceretur, *quòd in his quæ pertinent ad fidem & mores*, *determinatum ſemel per ſummum Pontificem*, *non poteſt per alium revocari*; reſpondit pro ipſo Cardinalis, *id falſum eſſe*, *cùm exemplis pluribus conſtet*, *quòd illud quod circa fidem & mores malè determinatum eſt*, *per unum* PAPAM *aut* CONCILIUM, *poteſt per alium perſpectâ meliùs veritate corrigi & emendari*, *& ideò non eſſe mirum*, *ſi Dominus Johannes diligenti deliberatione*, *cum multis peritis in Theologia & in utroque Jure habitâ*, *revocavit quæ malè dixerat D. Nicolaus.* Hæc refert ex Eyme-

* *Ann.* 1312.

Eymerico *Elias Du Pin*, de antiqua Eccleſ. Diſcipl. Diſſ. V. Cap. I. §. IV.

X. Alter eſto teſtis Thomas Netterus, à natali loco *Waldenſis* appellatus, qui † Concilio Conſtantienſi, ut notum eſt, adfuit. Sic ille in tomo 1. Doctrin. Fid. Antiq. lib. 11. art. 11. cap. xix. *Hæc eſt Eccleſia ſymbo ica & Apoſtolica mater credentium populorum, quæ fidem habet indefectibilem, ſecundùm promiſſum Chriſti ad Petrum, qui tunc figuram geſſit Eccleſiæ, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Non eſt ergo ſpecialis Eccleſia, non Africana, ut Donatus dixit, nec utique particularis illa Romana, ſed Univerſalis Eccleſia, non quidem in* Generali Synodo *congregata, quam aliquoties errâſſe percepimus, velut illa Ariminenſis congregata ſub Tauro præfecto, & illa Conſtantinopolitana ſub Juſtiniano minore tempore Sergii Papæ ſecundùm* Bedam, *& quædam aliæ. Sed eſt Eccleſia Chriſti Catholica per totum mundum diſperſa.* Non Petro ipſi, niſi quatenùs Eccleſiæ figuram geſſit, non proinde ſucceſſoribus ejus Romanis Epiſcopis, non Romanæ Eccleſiæ, non Africanæ, non Generali Synodo, fides indefectibilis promiſſa eſt juxta Waldenſem. Porrò locum hunc Waldenſis citat *Launoius*, Part. V. Epiſt. VI. ad *Bevilac.* ibidemque obſervat *Martinum V.* Romanum Pontificem Waldenſis Commentarios approbâſſe & commendâſſe, epiſtolâ ad eum ſcriptâ. Addit Launoius, *Martinum non antè Valdenſis approbaſſe commentarios, quàm eos per viros doctos & Theologos diligenter examinari curaverit; quo factum, ut Martinus & alii Commentarios approbando ſuos fecerint.*

XI. Tertius addi debet ad eadem tempora Petrus Alliacus, Epiſcopus & Cardinalis Cameracenſis, qui Concilio Conſtantienſi non adfuit ſolùm, ſed aliquandiu præfuit, quique inter aſſertores ſuperioritatis Concilii ſupra Papam numeratur. Tria verò hæc aſſerit in Quæſt. Veſpert. art. 3. 1. *Concilium Generale poteſt difformari legi Chriſti.* 2. *Eccleſia Romana, quæ diſtinguitur à tota congregatione fidelium, ut pars à toto, poteſt hæreticari.* 3. *Tota multitudo Clericorum & Laïcorum virorum poteſt de-*

† *Anno* 1414.

ficere à fide. Huic è purpuratorum ordine testi, alius etiam adjungi debet NICOLAUS TUDESCHUS, qui ex Abbate Siculo *Panormitanus* Archiepiscopus & Cardinalis factus est, quique * Concilio Basileensi, ut notum est, adfuit. In cap. *significasti.* de Electione; postquàm docuit in *concernentibus fidem Concilium esse supra Papam*, addit, *Puto tamen quòd si Papa moveretur melioribus rationibus & autoritatibus quàm Concilium, quòd standum esset sententiæ suæ; nam & Concilium potest errare, sicut aliàs erravit.--- Nam in concernentibus fidem etiam dictum unius privati esset præferendum dicto Papæ, si ille moveretur melioribus rationibus & autoritatibus N. & V. Testamenti, quàm Papa.* Locus iste à *Launoïo* citatur Part. 3. Epist. VII. ad *Fauvæum.*

XII. Et hæc quidem ex multis pauca sunto. Alia testimonia GULIELMI OCCAM, DIVI ANTONINI, NICOLAÏ CUSANI, NICOLAÏ DE CLEMANGIS, aliorúmque plurium, æquè expressa, apud eos ex nostris videri possunt, qui de istis scripsêre. Fatendum tamen, ab iis ipsis Autoribus, imò & ab antiquis Patribus, aliquam Ecclesiæ tributam fuisse ἀναμαρτησίαν. Sed cui Ecclesiæ? *Universali* scil. non *Representativæ.* Illam solam Infallibilem prædicabant, & quidem duobus modis. *Primò*, quòd ea sint necessariò vera, quæ ab ipso Apostolorum tempore credita fuisse atque tradita constat. *Secundò*, quòd deficere nequeat in Mundo vera fides, & si Pontifex, si Concilia, si omnes in universum Doctores errent, remansurus semper sit aliquis fidelis, vel unicus, in quo impleantur Christi promissa. Primum ipsissima est *Vincentii Lirinensis* regula adeò decantata. Alterum, non Veterum Patrum solummodò, sed omnium ferè Scholasticorum fuit sententia. Ita *Occam* à Launoïo citatus, Part. V. Epist. VI. ad Bevilaq. *Verba hæc*, inquit, *Ego pro te oravi, ut non deficiat fides tua, dicit Christus Petro pro congregatione fidelium absque interruptione usque ad consummationem seculi. Nam fides, quam B. Petrus tenuit, prædicavit & docuit, nunquam deficiet, sed in aliquibus Christianis,*

* *Anno* 1431.

nis, Clericis vel Laïcis, viris vel mulieribus, usque in finem seculi remanebit. Hæc *Occam*, cui succenturiantur, & *Valdensis* locô citatô, & *Panormitanus*, & *Alliacus*, & innumeri Scholastici, qui fidem in uno solo, etiam Laïco, stare posse, imò stetisse tempore mortis Christi in una Virgine, expressè docent. Porrò, duplicem illam Infallibilitatem, si ita dicenda sit, & nos quoque lubentes admittimus. Ut enim rectè Tullius, *gentium omnium consensionem, in quacunque re, naturæ vocem putandam esse*; Ita omnium Christianorum, ab Apostolorum tempore, consensionem, Veritatis Christianæ notam esse non inficiamur. Credimus etiam, veram in mundo fidem deficere non posse, & in corruptissimo Ecclesiæ statu, Deum semper fideles aliquos, ab exitiali errore immunes, sibi servare. Verùm hæc ad Ecclesiam *Repræsentativam* non pertinere, & ab Infallibilitate, quam Roma ambit, longè distare, nemo non videt.

XIII. Ergo, Ecclesiæ *Repræsentativæ*, hoc est, vel Pontificis, vel Conciliorum Infallibilitas, ante superius Sæculum, credita quidem à multis & tradita apparet, à multis tamen claris Doctoribus, etiam purpuratis, negata, nondum per consequens pro Fidei articulo habita fuerat. Sæculô demùm superiori, præbente occasionem Reformatione, pro Fidei articulo in Ecclesia Romana haberi cœpit. Scilicèt cùm de variis disputaretur Doctrinæ capitibus, de *Indulgentiis* putà, de *Justificatione* & *operum merito*, de *Purgatorio*, de *Missa* &c. Pontificii Doctores, ut sese ab omnibus difficultatibus & facilè & simul expedirent, ad Ecclesiæ (h. e. sui ipsorum) autoritatem confugerunt, à cujus placitis recedere esset nefas, & cui, etiam sine examine, fides deberetur. Tuta certè elabendi via, commoda soluendarum difficultatum ratio, quâ hujus Sæculi Controversistæ uti non destiterunt. Sic illi scilicet in propria causa judices sedent. Sic nos damnamur, & inauditi. Porrò, convelli à nostris fictitia hæc Infallibilitas, à Pontificiis contrà urgeri, cúmque priùs ab ipsis problematicè ferè agitaretur, ut indubitata tum demùm credi cœpit. Sed de prima Quæstione, prima itidem Variatione, satis.

XIV.

Digitized by Google

XIV. *Secunda* quæstio est de *Sede* Autoritatis seu Infallibilitatis Ecclesiæ, An ea resideat in Romano Pontifice, vel Conciliis ab eo adprobatis, an in Conciliis Oecumenicis? In varias hic ire partes Theologos Pontificios, Gallos præsertim atque Italos, nemo ignorat; Illis pro Concilio, his pro Papa stantibus. Quàm momentosa sit hæc Variatio, infrà videbimus. Brevem hic instituamus controversiæ totius historiam. Natales ejus, circa * *Pisani* Concilii tempora, id est ad initia Sæculi XV. refert † BELLARMINUS, contenditque ante id tempus Pontificem Concilio superiorem habitum fuisse, tuncque primùm fuisse aliquos, qui Concilium supra Papam extollerent. Galli contrà, inter quos eminent ‡ LAUNOIUS, & ⸸ DU PIN, Bellarmini sententiam ad illud usque tempus, *universo orbi ignotam*, *tuncque primùm inventam & invectam fuisse*, statuunt. Malè utrique. Nec verum est, quod Galli volunt, sententiam de suprematu Papæ, ineunte demum Sæculo XV. fuisse prolatam. Jamdudùm Papalis superbia culmen attigerat. Jam dudùm Pontifices, non in Reges modò imperium, sed supremam in Ecclesia Autoritatem sibi tribuerant. Cui non dicta imprimis Gregorii VII. Paschalis II. Alexandri III. Innocentii III. Bonifacii VIII. & facta & decreta? Qui Papæ, uti notum est, tenebrosis illis ac barbaris temporibus, *ut fures nocte*, tyrannidem Antichristianam ad summum perduxerant. Reclamant Galli. Suppositititium pertendunt ** Gregorii *dictatum*. Reliqua testimonia, quantùm possunt, elevant. At eos vim veritati facere, cæcus est qui non videat. Sed nec verum est, quod Bellarminus statuit, ad Sæculum usque decimum quintum summam potestatem in Ecclesia Pontifices obtinuisse. Ecquæ ergo sex primis Sæculis erat illa potestas? Nonne, totô illô spatiô, parem cum cæteris Episcopis potestatem habuit Romanus Episcopus, & si primatum jam obtinebat, annon erat *primatus inter pares*, ob Urbis dignitatem? Nonne, totô illô spatiô, & liberè discessum ab Episcopi Romani sententia, & ab Episcopo Romano ad Concilia appellatum, & damnati in Con-

* *Ann.* 1409. † *Bellar. lib.* II. *de Conc. cap.* XIII. *&* XIV. ‡ *Part.* I *Epist.* X. *ad Faurænum.* ⸸ *De Antiq. Eccles. Discipl. Dissert.* V. *&* VI. ** LAUNOI. *Part.* VI. *Epist.* XIII. *ad Faurum.*

Conciliis Epiſcopi Romani plures? Sæculô primùm ſeptimô, *Epiſcopi Oecumenici & Capitis omnium Eccleſiarum* titulos Bonifacius III. ſumpſit. Rem paulatim ejus Succeſſores. Verùm tyrannis illa, Sæculô demùm decimô, ac undecimô, culmen videtur attigiſſe. Nec tamen defuêre, ævô illô & ſequentibus, qui uſurpationibus Paparum ſeſe opponerent. Quot Cæſares, quot Reges Gallorum, quot Synodi in omnibus propemodùm Chriſtiani Orbis partibus, tyrannidi Papali reſtiterunt? Imò inter ipſos Papas numerantur nonnulli, qui veritatis hac in parte teſtes fuerunt, & quorum teſtimonia magno apparatu exhibent & *Launoius* & *Du Pin*.

XV. Quidquid ſit, his enim immorari non licet, conſtat de Papali Auctoritate, Sæculô XIV. ad finem vergente, multùm fuiſſe diminutum, ob fœdum ſcilicet ac valdè diuturnum Antipaparum ſchiſma. Hinc ortum tandem *Piſanum* Concilium An. 1409. quô Concilii ſupra Papam & in Papam auctoritas ſancita. Succeſſit *Conſtantienſe* Ann. 1414: Piſani velut redintegratio, & in aſſerenda Concilii ſupra Papam auctoritate adhuc expreſſius. Tandem fuit *Baſileenſe* Ann. 1431. reliquorum itidem Decreta firmans. Neque verò ſolis Decretis ſuam in Pontifices Auctoritatem ſtatuerunt illa Concilia, ſed ipſâ etiam plurium Pontificum, tum exauctoratione, tum ſuffectione. Porrò, quot conatus Pontificum contra illa Concilia? Hinc *Florentinum* ab Eugenio IV. Ann. 1437. Baſileenſi oppoſitum. Quot diſſidia etiamnum inter Gallos & Italos, de *Piſanorum*, *Conſtantienſium*, *Baſileenſium* Decretorum validitate? Quot * Gallorum molimina, ut *Florentinos* Patres in ſuas partes invitos trahant? Hoc certum, *Piſanum* Concilium ab Alexandro V. *Conſtantienſe* à Martino V. *Baſileenſe* ab Eugenio IV. fuiſſe adprobata, in iis etiam Decretis in quibus Papa Concilio ſubjicitur. Viderint Itali Theologi quomodo hinc ſe expediant; Propriis enim confodiuntur armis. Si Papa ſit infallibilis, ergo Concilio ſubjicitur, cùm tres Papæ ſubjectionem illam fateantur. Si Concilio ſubjicitur, ergo non eſt infallibilis; ſiquidem, non uno in Concilio,

* Laun. *Parr.* 1. *Epiſt.* x. *ad Fauvetum.*

lio, Papæ hæretici judicati ſunt. Sic tota corruit Italorum Theologia. Negant factum: Sed factum ita clarè probatur, à * *Launoio* præſertim, ut nihil ſuprà.

XVI. Sæculi XVI. ipſò ſtatim initiò, duo occurrunt ſibi contraria, de Pontificis & Concilii auctoritate Concilia, Oecumenicis ambo adſcripta, *Piſanum* ſcilicet & *Lateranenſe*. Primum coëgerunt An. 1511. novem primæ notæ Cardinales, *Maximiliani* Imperatoris, & *Ludovici* XII. Galliarum Regis patrocinio fulti; *Julio* II. Pontifice fidem olim datam, *de Concilio intra biennium ab electione convocando*, liberare renuente. Baſileenſia Decreta ibi fuiſſe confirmata, ipſúmque Julium à Papali dignitate ſuſpenſum, nemo ignorat. Interim Julius, ne deeſſet cauſæ ſuæ, Concilium Romæ in Eccleſia Lateranenſi An. 1512. celebrari curat, à *Leone* X. mortuò Juliò continuandum, Damnati in eo Piſani Patres, atque diris devoti. Damnata Conſtantienſia & Baſileenſia Decreta. Abolita *Pragmatica Sanctio*. Pontificis ſupra Concilium ſuperioritas definita; Ipſéque Pontifex horrendis, víxque fidem impetraturis blaſphemiis, ad Cœlum uſque exaltatus. Quantùm Piſana Itali, Lateranenſia Galli exagitent Decreta, dicere nihil attinet. Hoc obſervandum, eos ferè omnes, qui Piſano Concilio vel adfuerant, vel patrocinati fuerant, poſtmodùm Pontificis artibus Piſano renuntiantes, Lateranenſi adhæſiſſe. Ipſi Galli, qui aliquando pro Piſano contra Lateranenſe invehuntur, *Leoni*, ut notum eſt, morem geſſerunt. Hinc famoſum *Leonis* cum *Franciſco* Rege *Concordatum*, An. 1515. initum, quò & *Pragmatica Sanctio* antiquata. Hinc illæ lacrymæ Theologorum Gallorum, præſertim † RICHERII. *Perdita omnia hoc Concordato. Peſſundatam omnem diſciplinam. Invectam tyrannidem. Ab eo tempore Franciſco Regi nil proſperè ceſſiſſe. Hinc univerſam Franciſci ſobolem, numeroſam licèt, animóque & corpore valentem, vix ſex & ſexaginta annos à publicatione Concordatorum perennâſſe. Periculoſiorem ſic impactam Eccleſiæ plagam, quàm Lutheri aut Calvini erroribus.* Et idgenus alia. Hinc tot convitia in *Ludovicam Sa-*

* *Part. 1. Epiſt.* VI. *ad Gerbar.* † *Hiſt. Concil. Gen. Lib.* IV. *Part. 2.*

Sabaudam Franciſci matrem, & *Pratenſem* Cancellarium, quorum ſuaſu Concordata facta cenſebantur. Hinc Epigramma per omnes Pariſiorum vicos affixum:

Prata, Leo, Mulier, frendens Leo rodit utrumque:
Prata, Leo, Mulier, ſulphuris antra petant.
Prata, Leo, conſorte carent, mulierque marito;
Connubio jungas, Cerberus alter erunt.

Sed hæc obiter. Ad rem redeamus.

XVII. Mutata ergo iſtis temporibus totius fermè Occidentis fides. Cùm enim totô Sæculô XV. & ſub initia XVI. Papa Concilio ubique ferè ſubjiceretur, tunc admiſſis Lateranenſibus Decretis, ſuprematus Papæ ſtabilitus eſt. Hæc cùm ita eſſent, prodiit *Lutherus*, Eccleſiæ Reformationem, toties expetitam, toties tentatam, ſed incaſſùm, auſpice Deo, exorſurus. Damnatur Romæ ejus doctrina. Ille à Pontifice ad Concilium provocat. Damnatur Romæ & ipſa provocatio. Tandem, expetitô magis ac magis ab Europa tota Conciliô, cùm non poſſet vitare, *ἐκὼν ἀκόντων θυμῷ* convocavit Paulus III. ſed eas ſimul adhibuit cautiones, quibus ne in rem Pontificiam quicquam fieret impediretur. Locus ſub Pontificis nutu. Itali Præſules, rei Pontificiæ addictiſſimi, reliquis longè plures. Actum nihil, niſi *proponentibus Legatis*. Talis fuit *Tridentina Synodus*, in qua hac de quæſtione, Papa-ne prior ſit Concilio, an Concilium Papa, nil definitum eſt. Scilicet, ne Papæ damnô definiretur, cavebat ipſe, & qui ipſi favebant. Ne verò Papæ ſuprematus concederetur, cùm alii multi impedituri erant, tum præſertim *Galli*, qui Lateranenſi jugô brevi excuſſô, ad priſtinam Theologiam reverſi erant. Ergo intacta relicta eſt Quæſtio, quam definiri maximè intererat, in qua quippe verſabatur Fidei cardo, & circa quam tot pugnantia inter ſe Concilia aſſenſum ſuſpendebant.

XVIII. Ab eo tempore de ea Quæſtione nihil ſtatutum eſt, fuitque diſputationibus Theologorum hinc inde agitata. Hinc nata, Sæculo hoc & ſuperiori, tot volumina, Papalem autoritatem vel extendentia, vel ſtringentia. Extenderunt Itali, quorum quippe *pagina ſub nutu dominantis*, ut ait Caſaubonus. Verùm

rùm inter aſſertores ſuprematûs Papalis, duo eminent, *Bellarminus* & *Baronius*; Ille Controverſiſta, hic Hiſtoricus. Quanquam, ut aïebat *Pithœus*, Baronianæ lucubrationes, non tam *Annales Eccleſiaſtici* dicendæ forent, quàm *Commentarii de poteſtate Papæ*. Scilicet

* *Auctoramentum non eſt leve Purpura: pridem*
Pontifices verum non didicêre pati.

Gallia Pontificiæ auctoritati limites dare, & Concilio Papam ſubmittere, ab ævo profeſſa eſt, nec niſi coacta Papæ primas partes conceſſit. Hinc *Cardinalis é Lotharingia*, qui Tridentino Concilio, ut notum eſt, adfuit, ad *Britonem*, qui ipſi erat ab Epiſtolis, ſcribens; *Negare*, inquit, *non poſſum quin Gallus ſim, & Pariſienſis Academiæ alumnus, in qua Romanum Pontificem ſubeſſe Concilio tenetur, & qui docent ibi contrarium, ii tanquam hæretici habentur.* Non defuerunt tamen in ipſa Gallia, & ſuperiori Sæculô, & hoc ipſô quod vivimus, Pontificiæ Auctoritatis ac Infallibilitatis patroni. Notum, quanta tulerit *Edmundus Richerius*, pro ſuo de *Eccleſiaſtica & Politica poteſtate* tractatu. Notum, quot ſcripta fuerint pro Papæ ſuprematu, & ab *Andrea Vallio* Doctore Sorbonico, & à Cardinali *Perronio*, Gallo utroque. Notum, quantô ardore Infallibilitatem Papæ defenderit *Jeſuitarum* Societas, cùm alias, tum præſertim in cauſa Janſeniana, *Janſeniſtis* é contrario Papam fallibilem ſtatuentibus: Quanquam poſtea Jeſuitæ in Papam, Janſeniſtæ pro Papa ſteterint. Sic vivitur. Sic quiſque judicat, ut eſt affectus.

Lurida nempe *fiunt, quæcunque tuentur*
Arquati. †

Dum Papa Jeſuïtis amicus, Janſeniſtis infenſus fuit, illis Infallibilis, his fallibilis erat. Cùm Papa Jeſuïtis infenſus, Janſeniſtis favere cœpit, (is fuit *Innocentius XI.*) his Infallibilis, fallibilis illis evaſit. Porrò, quàm frequentibus Decretis, & Sorbona, & ſuprema Curia Pariſienſis, Pontificem fallibilem & Concilio ſubjectum ſtatuerint, quàm ſolemniter id factum Ann. 1682.

à

* GROT. vers. in Caſaub. Exercit. Baron. † LUCRET. Lib. IV. v. 333.

à Clero Gallicano, quomodo damnaverit hunc Cleri actum Papa, & passim in *Italia*, *Hispania*, *Belgio*, & *Hungaria*, damnari curaverit, quomodo actum Cleri Sorbona, & suprema Curia, & Rex ipse, firmaverint, damnatâ *Strigonienſis* Archiepiſcopi cenſurâ, hæc omnia ita nota ſunt, ut pigeat referre. Itaque ad tertium tractationis noſtræ caput pergimus.

XIX. Tertia Quæſtio eſt de *Limitibus* Infallibilitatis Eccleſiæ. Nec enim ullus Pontificiorum illimitatam eam ſtatuit. Sed in ponendis illis limitibus valdè diſcrepant. Ut id pateat, obſervandum, limites illos ſtatui, tum in *Objecto*, hoc eſt, in rebus de quibus judicat Eccleſia, tum in *Subjecto*, hoc eſt, in ipſa Eccleſia. Limites prioris ordinis ſunt, quòd Eccleſia, non in rebus *Philoſophicis*, ſed in rebus *Fidei*, non in rebus *Facti*, ſed in rebus *Juris*, non in rebus *Diſciplinæ*, ſed in rebus *Doctrinæ*, denique non in rebus omnibus Fidei & Doctrinæ, ſed in eis ſolùm quas proponit *ut res Fidei*, ſit Infallibilis. Limites poſterioris generis ſunt ex gr. quòd Papa nonniſi *Ex Cathedrâ* loquens, quòd Concilium nonniſi *legitimè convocatum*, *legitimè congregatum*, *Canonicè procedens*, errare nequeat. Alias limitationes addunt nonnulli. Quantùm diſcrepent in his omnibus Theologi Pontificii, his præſertim temporibus, ſigillatim oſtendendum eſt.

XX. Et *primò* quidem, Eccleſiam in *Philoſophicis* errare poſſe, omnium eſt conſenſio; nec enim ut Philoſophiam doceat, Spiritum S. Eccleſiæ promiſſum credunt. Verùm, quæ ſint Philoſophica, & quomodo à Theologicis diſtingui debeant, inter illos non conſtat. *Accidentia ſubjecto deſtituta in Euchariſtia ſubſiſtere*, definivit Concilium Conſtantienſe. Invalidum decretum judicant Philoſophiæ recentioris principiis imbuti, & de re agi dicunt merè Philoſophica. Validum ſtatuunt alii, & de re fidei agi contendunt. *Galilæi* & *Copernici* ſyſtema Romæ fuit damnatum. Condemnationem multi reverentur, multi non curant. Sexcenta alia produci poſſent, verè Theologica quibuſdam habita, aliis merè Philoſophica. Nec mirum, Philoſophica à Theologicis vix ac ne vix quidem poſſe ſecerni, poſt Phi-

loſophiam Ariſtotelis Theologiæ toti immixtam, & ita quidem immixtam, ut aſſerere non vereatur Cardinalis Pallavicinus, † *Che ſenza Ariſtotele noi mancavamo di molti articoli di Fede*; Quòd *ſine Ariſtotele multi articuli fidei nobis defuiſſent.*

XXI. II. Quod ad *Facti* & *Juris* diſtinctionem, miſſis ante actis temporibus, notum eſt, celeberrimam illam fuiſſe, & valdè agitatam, in lite Janſeniana. Quàm bonâ fide à Janſeniſtis obtruderetur, dicere hic nihil attinet. Hoc obſervandum, Papæ Infallibilitatem in *Facto* ut in *Jure*, publicis fuiſſe Theſibus propugnatam à *Jeſuïtis* in Colleg. Claromont. 12. Decemb. 1661. Damnavit Theſes illas Sorbona; Damnârunt plerique Galliarum Theologi, nec eas Jeſuïtæ auſi ſunt ulteriùs tueri. Verumtamen, ſi ad ſeriem Janſenitici belli attendatur, patebit, Eccleſiæ ἀναμαρτησίαν in rebus *Facti*, ab iis ipſis qui Claromontanas Theſes damnaverant, fuiſſe ſtabilitam; ſi non ἀντοπτικὴ, at certè ipſô factô. Scilicet, Janſeniſtis ſuam illam *Juris* & *Facti* diſtinctionem continuò obtrudentibus, ut ab illa deturbarentur arce, ſtatutum *, non *Divinam* quidem, ſed *humanam* & *Eccleſiaſticam* fidem, Factis ab Eccleſia determinatis eſſe adhibendam, hocque fundamentô, exacta ſummô rigore à Janſeniſtis ſubſcriptio Formulæ, circa Facta de quibus agebatur. Quid verò illud erat, quàm Eccleſiam in rebus *Facti* infallibilem pronuntiare? Dicent, non *Divinam*, ſed *humanam* tantùm & *Eccleſiaſticam* fidem requiſitam. Verùm quid refert? Cui plena & omnimoda fides debetur, & ſub Eccleſiaſticarum Cenſurarum pœna exigitur, is debet eſſe Infallibilis. Fides illa *Divina*, an *Humana* nuncupetur, nihil intereſt. Vel ſi quid interſit, hoc unum eſt, quòd eum cui fidem Divinam deberi dico, fide Divina infallibilem credam; eum verò cui fidem humanam deberi ſtatuo, fide tantùm humanâ infallibilem ſtatuam: Utrumque tamen verè credo Infallibilem. Ergo, qui Formulæ ſubſcriptionem à Janſeniſtis exigebant, Eccleſiam ſtatuebant verè Infallibilem in rebus *Facti*, quâcunque uterentur, ut id vitarent, diſtinctione. Quod ut alibi paſſim, præſertim verò in eximio Trac-

† *Lib.* VIII. *cap.* 19. * *Ordonn. de M. l'Archev. de Paris.*

Tractatu *de Fide Humana*, probatum dederunt Janſeniſtæ.

XXII. Verùm, demus Pontificios, in hoc concordes eſſe, ut profitentur, quòd Eccleſia in *rebus Facti* poſſit errare, diſcrepant certè in definiendo quæ ſint illæ *res Facti*, circa quas Eccleſia errare poteſt. Quòd ſacri codices ſint Θεόπνευστα, Quòd eos habeant Auctores, quorum præ ſe ferunt nomina, Quòd Chriſtus ſit verus Meſſias, Quòd pro peccatis noſtris paſſus ſit, Quòd ex mortuis reſurrexerit, verbô, omnia fermè Fidei capita, vera Facta ſunt, ſed in quibus tamen ſecundùm eos Eccleſia eſt Infallibilis. Ergo diſtinxerunt nonnulli inter Facta *Revelata*, & Facta *non revelata*, * ut in illis non poſſet, in his poſſet Eccleſia errare. Quia verò Romana Fides non Scripturâ ſolùm, ſed Traditione nititur, Traditio autem nihil eſt aliud quàm continua Factorum ſeries, diſtinxerunt alii inter Facta quæ *ad Scripturam & Traditionem pertinent*, & Facta quæ *non pertinent*; Alii inter facta *Dogmatica*, & facta *non Dogmatica*; Alii inter facta *principalia*, & facta *minùs principalia*; Alii inter facta *generalia*, & facta *particularia*; Alii inter facta *ſolemniter deciſa*, & facta *nondum ſolemniter deciſa*, &c. ut in illis Infallibilis, in his Fallibilis ſit Eccleſia. Nec de vocibus ſolùm diſceptatum eſſe, exiſtimandum. De rebus agebatur, & de rebus quidem ſummi momenti. Diſputatum enim 1°. An Eccleſia hujus vel illius libri ſenſum abſque errore poſſit dignoſcere? 2°. An hujus vel illius hominis ſententiam, tum ex ſcriptis, tum ex dictis ejus, certò poſſit intelligere? 3°. An hunc vel illum librum, abſque erroris periculo, poſſit vel probare, vel damnare? 4°. An Judicia illius, de iis quos in Divorum album refert, poſſint eſſe falſa? &c. De his omnibus, ſummi, ut quivis videt, in Pontificiorum fide, momenti, acriter diſputatum. Si quæratur, de Diſputationibus illis quid ſentiendum; Ἄρρητα ἀνοσιώματα, ut alibi, ſic & hîc fuit. Victi iidem atque victores.

νίκη δ' ἀναμέλητο ἄνδρας.

Scilicèt, dum Eccleſiam in determinandis factis ſæpe errâſſe, *Janſeniſtæ* demonſtrant, vincunt hauddubiè. At cum probant *Jeſuïtæ*,

* *Vid.* Traité de la Foi humaine, *cum ejuſd. refutatione, cui titulus* Avertiſ. aux Incr.

Jesuitæ, si Ecclesia in facto Jansenii errare potuit, errare eam posse, & in Scriptura interpretanda, & in Traditione determinanda, & in tota, quanta quanta est, Religione, tum vincunt isti.

XXIII. III. Ecclesiam in Quæstionibus ad *Disciplinam* pertinentibus errare posse, unanimis ferè est Pontificiorum consensus. Certè ita sentit Gallicana Ecclesia, quæ Tridentinas de Disciplina constitutiones, improbare & rejicere in hunc usque diem non dubitavit. Quænam verò sint res *Disciplinæ*, & quibus præcisè terminis à rebus Fidei segregentur, in eo rursùs Theologi Pontificii non sunt concordes. Si nuperis Conciliatoribus, si *Episcopo Meldensi* fides, quàm latissimè patet Disciplina. Ad eam enim, & Imaginum cultum, & Calicis in Eucharistia subtractionem, referunt. Ad eam per consequens, si ἀναλόδως ratiocinentur, & Sanctorum Invocationem, & Missaticum Sacrificium, & Latinæ linguæ in divino cultu usurpationem, & Papæ auctoritatem, denique omnia, non ad regimen modò Ecclesiæ, sed ad externum Religionis cultum pertinentia referre debent. Verùm, an hæc sit reliquorum inter Pontificios Theologorum sententia, & an res Disciplinæ, in quibus ut variè sentire, sic & errare potest Ecclesia, adeò latè extendant, nórunt qui illos Theologos vel à limine salutaverunt.

XXIV. IV. Non res omnes Fidei, sed eas solùm quæ *ut Fidei* proponuntur, infallibiliter definiri ab Ecclesia, statuunt itidem plerique omnes Pontificii. Sed quæ res ab Ecclesia, *ut res Fidei*, proponantur, id verò est de quo acriter inter se disputant. Exempla innumera. Unum vel alterum notare sat est. Panem Eucharisticum mutari in corpus Christi, *vi verborum Sacramentalium*, Vinum in sanguinem, *vi concomitantiæ*, definivit Tridentina Synodus, non additô, quod sæpe solet, in dissentientes anathemate. Hinc orta Quæstio, An distinctio illa esset *ex Fide*? Negabant multi. Affirmat *Vasquez*, & operosè probat. In damnandis cujusplam Auctoris dogmatibus, quoties accidit, ut plures congestæ sint varii generis propositiones, & tanquam *hæreticæ*, *erroneæ*, *temerariæ*, *scandalum piis auribus creantes*, respectivè damnatæ, ita ut, quæ unicuique propositio-

ni

ni convenirent censura, minimè appareret? Sic damnatæ in Concilio Constantiensi *Wicleffi* atque *Hussi* propositiones. Sic damnatæ propositiones *Baii*, & à * *Pio* V. & à † *Gregorio XIII.* Quomodo verò in hoc acervo, *hæretica*, quorum damnatio est de fide, à simpliciter *erroneis* vel *temerariis*, quorum damnatio non est de fide, secerni queant?

XXV. Neque solùm res quæ sunt *Fidei*, à rebus quæ non sunt Fidei, vix distinguuntur; sed in iis ipsis Decretis, in quibus *de Fide* agi dubium non est, sæpe usu venit, ut veritas ab errore secerni nequeat. Scilicèt, eæ sæpe damnatæ sunt Propositiones, quæ duplicem sensum, fatentibus ipsis Judicibus, possent admittere, alterum hæreticum, alterum orthodoxum, non distinctô tamen ac determinatô utrôque illô sensu. Sic damnatæ propositiones *Baji*. Sic damnatæ quinque illæ celebres *Jansenii* propositiones, quæ quô sensu damnatæ fuerint, nec definire unquam Papæ voluerunt, rogati licèt, & etiamnum disputatur. Huc pertinet adfectata illa & politica tum obscuritas, tum ambiguitas, quâ sæpissimè & Papis, & Conciliis Decreta sua velare placuit: Eorum scilicèt

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Tridentina Decreta, maximam partem, eô animô & eô modô fuisse concinnata, observat *Paulus Sarpi*, nec diffitetur *Pallavicinus*. In articulis præsertim de *Gratia*, de *Justificatione*, de *Libero Arbitrio*, ut, hinc *Scotistis* & *Franciscanis*, illinc *Thomistis* & *Dominicanis* satis fieret,

Οἷαι τέχναι τε καὶ δόλοι ἐμήσαντο!

Res pro voto cessit. Ambigua decreta, regulam Lesbiam, nasum cereum, vera ænigmata, in suas quisque partes flexit, & in sui commodum interpretatus est.

XXVI. Curro, nec nisi summa tango rerum cacumina. Dicendum jam de iis quæ in *ipsa Ecclesia*, sive Papa, sive Concilio, requiri existimantur, ut judicet ἀναμαρτήτως. *Papam* quod attinet, qui Infallibilem illum statuunt, non semper eum ac quocunque in casu credunt Infallibilem, sed tunc solùm, ut loqui amant,

* *Ann.* 1567. † *Ann.* 1580.

cùm *ex Cathedrâ* loquitur. Quàm ambigua autem ſit hæc locutio, & quàm varii à variis ipſi aſſignentur ſenſus, audiamus ex *Du Pin* ‡. *Quibuſdam*, inquit, *loqui Ex Cathedrâ, idem eſt ac cum Concilio loqui; ſed iſti non tam videntur Infallibilitatem Pontifici tribuere, quàm Concilio. Aliis Ex Cathedrâ loqui, idem ſonat ac ſecundùm Scripturam & Traditionem loqui; quæ quidem expoſitio nihil magis tribuit Pontifici, quàm cuilibet alii; Certum enim eſt eum non errare, qui ſecundùm Scripturam & Traditionem loquitur Sed illud quæritur, quomodo & an certò ſciri poſſit, Pontificem ſecundùm Scripturam ac Traditionem loqui? quod ſi cuilibet examinare liceat, ruit profectò Infallibilitas illa Pontificia. Alii ſic explicant illud ex Cathedrâ loqui, ut idem ſit ac loqui re maturè & diligenter examinatâ. Vulgatiſſima expoſitio verborum iſtorum, quam Cajetanus, Bellarminus, Duvallius & alii ſubminiſtrant, hæc eſt, Pontificem loqui ex Cathedrâ, cùm circa Fidem aut bonos mores Eccleſiam docet, ſed nec iſta nodum planè ſolvit; Uteriùs enim quæritur, unde cognoſcatur utrùm Eccleſiam doceat Univerſam, an verò ut privatus loquatur. Hic eis aqua hæret; Quidam dicunt Pontificem tunc cenſeri Eccleſiam docere, cùm Decretalem condit; alii cùm conſultus reſpondet; Nonnulli cùm Bulla ejus certô tempore ad valuas S. Petri affixa eſt, quô nihil ineptius dici poteſt.* Quid verò hinc colligat *Du Pin*, adversùs Romani Pontificis Infaillibilitatem, operæ pretium eſt hic ſubjungere; Sic enim non Pontificis tantùm, ſed omnis planè Romanæ Eccleſiæ Infallibilitas evertitur. *Caterùm*, ait, *inde colligitur quanta ſit eorum, qui Romanum Pontificem Infallibilem eſſe docent in ſuâ opinione tuendâ anxietas & inconſtantia, ex qua de ejus falſitate præjudicari quodammodo poteſt; Enimverò ut certi eſſe poſſimus de Infallibilitate judicii alicujus à Romano Pontifice lati, debemus habere certam regulam, per quam manifeſtè cognoſcamus hoc illorum de numero eſſe quæ neceſſariò infallibilia ſunt. At nondum de ejuſmodi regula convenit inter eos ipſos qui Pontificem infallibilem eſſe prædicant, ſed hi quidem unam, alii verò aliam conditionem ad certitudinem alicujus judicii Pontificii riquiſitam eſſe contendunt, ac proinde neceſſe*

‡ *De Antiq. Eccleſ. Diſc. Differ. V. Præloq.*

eſt

eſt judicium illud in dubium ab aliquibus revocari, quod ab aliis pro certo & infallibili habebitur. Quomodo ergo, addit, *quiſquam poteſt eſſe certus hoc vel illud judicium de numero infallibilium eſſe, cùm ſecundùm aliquos in dubium revocari poſſit, ſecundùm alios de eo dubitare ſit nefas? Ergo hic ἐποχὴ oportet, & neutrum judicium pro infallibili habere.* Euge! bellè! rectè! Sed ita non Pontificis modò, ſed Conciliorum, ſed Univerſæ Rom. Eccleſiæ Infallibilitas funditùs evertitur, ut evincemus.

XXVII. Hæc circa Papam poſſent ſufficere, ſed facetæ illi exceptioni, quam ultimò locò proponit *Du Pin*, de Bullis ſcil. valvis S. Petri per certum tempus affigendis, immorari pauliſper libet. Hinc enim patet, ſi alicunde, quas redigantur ad anguſtias Infallibilitatis Papæ patroni. Ignota hæc exceptio ad illud uſque tempus, quô *Sixtina* Bibliorum Editio à *Clemente VIII.* ſuppreſſa eſt & emendata. Quàm clarè factô illô everteretur Pontificis Infallibilitas, cæcus eſt qui non videat. Sixtus enim in Bullâ Editioni ſuæ præfixâ, hanc ſuam Editionem *emendatiſſimam* eſſe, & *priſtinæ puritati reſtitutam* ſanxerat. Clemens tamen, deprehenſis in illa Editione multis erroribus, illam ſimul cum Sixtinâ Bullâ ſuppreſſit, novamque multò emendatiorem confici curavit. Ergo, vel hic Biblia de novo corrigens, vel ille ſuam Editionem emendatiſſimam, & priſtinæ purirati reſtitutam pronuntians, in negotio ſummi ad Religionem momenti, erravit. Quid ad hæc Infallibilitatis Papæ fautores? Nimirùm, *Promulgatam non fuiſſe Sixtinam Bullam, In regeſto hujuſmodi promulgationum non reperiri, Affixam quidem fuiſſe Petrinis valvis, ſed refixam, mortuô Sixtô, duobus antè menſibus quàm requiſitum tempus elapſum eſſet*, aliáque idgenus, quæ *Tannerus* refert. O præclaras obſervationes! Quis non miretur? Quis non exclamet,

Ω πόσου γελᾶτε, πόσου μεμέπτεσθε πᾶσι φρενῶν!

Sic *Albertus*, ſic *Azorius*, *Bellarminus*, *Tannerus*, aliique, Papalem ἀναμαρτησίαν in tuto collocârunt. Nænias illas piget perſtringere; ſed falsè & vividè perſtringentem audiamus * *Launoium*; Juvat enim cum Pontificiis Pontificios committere, in ipſiſſimo Fidei fundamento. *Chriſtus igitur*, inquit, *muris, parietibus, &*

* *Part. 1. Epiſt. V. ad Formon.*

Basilicarum valvis, non errandi privilegium, quod Romano Pontifici concessit, illigari voluit, eóque præterea illigari modò, ut tandiu errare posse censeatur Pontifex, quandiu decreta ab illo edita ad muros, parietes, & Basilicarum valuas per aliquantulum temporis non affiguntur. Tannerus, addit, *cum suis autoribus deliramenta loquitur, Iberas nænias sectatur, & frivola Siculis gerris vaniora Theologiæ importat.* Et paulò pòst. *Promulgatio, nec veritatem, nec falsitatem definitioni tribuit, sed inesse supponit. Itaque, si falsa est definitio, falsa promulgabitur; si vera, vera quoque promulgabitur. Dico amplius, si falsa esset definitio, vera ex promulgatione redderetur nunquam, etiamsi charta promulgationis ad valvas Basilicarum omnium Romanæ urbis per æternitatem totam affigeretur, & cursores sexcenti Stentore clamosiores adstarent* &c. Benè omnia. Hinc porrò liquet, quàm sit desperata Infallibilitatis Papalis caussa, cùm ad eam tuendam, novas quotidie exceptiones, & quidem ita putidas, comminisci oporteat.

XXVIII. At certior fortè, sibique meliùs constans Gallicana Theologia? Neutiquam. Totidem difficultates, totidem variationes hîc sese offerunt. Primò, illud ambigitur, non inter Gallos modò atque Italos, sed inter ipsos Gallos, utrùm *Concilia*, ut legitima sint, à Romano Pontifice, necessariò sint convocanda. Negant, scio, & exertè negant *Richerius*, *Launoïus*, aliique plures. Richerius quidem statuit *, *esse summi Pontificis regulariter & ordinariè generalia Concilia indicere, congregare, nisi ab aliis distrahatur negotiis, vel id rogatus facere detrectet.* Hinc *Pisanum* Concilium acerrimè defendit, licèt à Pontifice non convocatum. Launoïus verò disertè asserit †, *non à Synodorum convocatione, quæ ab hoc vel illo fiat, sed à* RECTA FIDE *quæ in Synodis sancitur, Synodorum autoritatem esse depromendam.* Hinc eâ quâ solet ἀκριβείᾳ, probat ‡, non modò nullum, vel Scripturæ locum, vel Ecclesiasticum Canonem, convocationem Conciliorum Papæ adscribere; sed & octo prima Latinorum Oecumenica, ab Imperatoribus, non à Papis, *Nicenum* I. à Constantino, non à Sylvestro, *Constantinopolitanum* I. à Theodosio

* *Apol. Axiom.* XXV. † *Part.* 6. *Epist.* XI. *ad Cusin.* ‡ *Part.* 6. *Epist.* I. II. *usq. ad* VIII.

doſio M. non à Damaſo, *Epheſinum* à Theodoſio juniore, non à Cæleſtino, *Calcedonenſe* à Valentiniano & Marciano, non à Leone, *Conſtantinopolitanum* II. à Juſtiniano, non à Vigilio, *Conſtantinopolitanum* III. à Conſtantino, non ab Agathone, *Nicenum* II. à Conſtantino & Irene, non ab Hadriano I. denique *Conſtantinopolitanum* IV. à Baſilio Macedone, non ab Adriano II. fuiſſe convocata. Probat quinetiam particulares Synodos, quæ inter has generales celebratæ ſunt, à Principibus pariter congregatas fuiſſe. Imò contendit diſciplinam illam, ſi non in omnibus, in pleriſque certè Conciliis viguiſſe, uſque ad Ann. Chriſti MLXXXI. quô Alexius Comnenus apud Orientales imperare cœpit. Hæc *Launoïus*. Refert idem *, fuiſſe in Gallia, fuiſſe in Germania, qui ex eo Tridentinum Concilium rejiciendum ſcripſerint, quòd ab Imperatore indictum non fuerit. Eos refellit, probátque, ut dixi, Conciliorum validitatem à convocatione nullatenùs pendere. At eadem non fuit plurium, imò plerorumque, etiam Gallorum, ſententia. Teſtis ipſe Launoïus †, qui, confutatô & irriſô hac de re Bellarminô, addit, *Si ſolus Bellarminus rideretur, ferri quidem hoc utcunque poſſet: ſed in Bellarmino plerique omnes Catholici ſcriptores ridentur ab hæreticis.* Ac re verâ, multi prodierunt & quotidie prodeunt Theologorum Gallorum libri, convocationem Conciliorum, tum in Facto, tum in Jure, Papæ adſcribentes. Ii certè, qui *Conciliorum generalium* hodiernâ die concinnant hiſtoriam, & quorum tomus primus ‡, de *Nicæno Concilio*, nuperrimè prodiit, duplicem convocationem ſedulò diſtinguunt, *Politicam* unam, alteram *Eccleſiaſticam*, illam à Conſtantino, hanc à Sylveſtro; De illâ verò ſolâ Hiſtoricos loqui contendunt, quòd ad plures ſe extenderit. Atque hæc videtur potiſſima cauſa, cur *Piſanum* Concilium Ann. 1511. tomis Conciliorum, etiam in Gallia, non inſeratur, quia ſcil. à Pontifice non congregatum.

XXIX. Diſputatur etiam, non modò inter Gallos & Italos, ſed inter ipſos Gallos, An Papa Conciliis, ut legitima ſint,

* *Part. 6. Epiſt. XI. ad Cuſin.* † *Epiſt. 10. ad Rulland.* ‡ *Hiſt. des Concil. Generaux. Tom. 1. 1692. pag. 106.*

præesse debeat? *Launoïus*, *Du Pin*, nonnulli alii, apertè negant. Ille quidem evincit *, nec *Niceno* I. Sylvestrum, nec *Sardicensi* Julium, nec *Constantinopolitano* I. Damasum, nec *Ephesino* Cælestinum, nec *Calcedonensi* Leonem solum, sed & Anatolium, nec *Constantinopolitano* II. Vigilium, vel per se, vel per suos Legatos, præsediſſe; Unde colligit, hanc nullatenus esse Romani Pontificis prærogativam, vel necessariam legitimorum Conciliorum conditionem. Hæc Launoïus. Sed quin omnes Galli Theologi, tum in Facto, tum in Jure, idem sentiant, plurimùm abest. Illi certè *Conciliorum Generalium* Historici modò laudati, *Osium* Cordubensem Episcopum, *ut legatum* Romanæ Sedis, Nicænis Patribus præfuisse, cum *Baronio*, *Perronio*, *Valesio*, acerrimè defendunt †. Ut verò de Pontificis tum convocatione, tum præsidentiâ, ita & de ejusdem *Adprobatione*, disputatur. Sed non hic est disputationum atque difficultatum finis.

XXX. Quæritur porrò, quinam jus habeant, & sedendi in Concilio, & definitivè judicandi de rebus propositis? An Episcopi soli, & Delegati ab Episcopis; quæ Pontificiorum plerorumque est sententia: An omnes ex omnibus Ecclesiasticorum ordinibus; quod *Gerson*, *Almainus*, *Richerius*, alii, statuunt. Quæritur rursùs, quæ sit Conciliorum Oecumenicorum ratio formalis? Mirum, sed verum tamen, quòd inter eos ipsos qui *Concilia Oecumenica* continuò crepant, eáque pro summo habent rerum Fidei Arbitro, non constet tamen, quid sit Concilium Oecumenicum. *Convocationem generalem*, omnibus majoribus Christianis provinciis innotescentem, plerique omnes requirunt; quamvis ita plurima, Oecumenica vulgò habita, ab eorum tollantur numero: Sed quæritur, an præter Convocationem generalem, *Congregatio* etiam generalis requiratur? Affirmandum videtur, tum quia id exigit ipsa Universalis Concilii notio, ad Universam Ecclesiam repræsentandam comparati, tum quia si dicatur Universalem convocationem sine universali congregatione sufficere, hoc inde absurdum emerget, si convocatis omnibus Episcopis, octo tantùm vel decem convenerint, fore Concilium Universale. Affirmari tamen non potest, nisi

* *Part.* 8. *Epist.* III. *& seqq.* † *pag.* 109.

dica-

dicatur, & nullum unquam fuiſſe Concilium Univerſale, & nullum, rebus ut ſunt ſtantibus, haberi poſſe, & peſſimum quemque Epiſcopum, adeſſe renuentem, ne Concilium generale ſit, poſſe impedire: Quæ tria dicere nemo audeat. Mediam hic plerique inſiſtunt viam, & ſufficere aïunt ſi Epiſcopi aliqui venerint *ex majori Provinciarum parte*. Sed nec id omnem quæſtionem tollit; Præterquàm enim, quòd illô mediô Univerſalis Concilii notio non impletur, reſtat ſemper quærendum, quot præciſè Eccleſiarum vel Provinciarum Epiſcopi, ſalvâ Concilii generalitate, poſſint abeſſe? Quod determinare impoſſibile eſt, cò magis, quòd & hæreticas Synodos, ut *Ariminenſem*, *Epheſinam* λῃστικὴν, numeroſiſſimas, & quaſdam ex Occumenicis, ut ex. gr. *Conſtantinopolitanam* I. non magno numero conſtantes videamus. Quidam omnem difficultatem amotam putant, ſi dicatur, Generales Synodos, nec à Convocatione, nec à Congregatione eſſe deſumendas, ſed à ſequenti Univerſæ Eccleſiæ *Adprobatione*, quâ etiam particulares Synodi, Generales evadunt & Infallibiles. Sic multi hodie. Sed, pace illorum, abſurdius nihil dici potuit. Ecquæ enim hæc eſt, tum Infallibilitas, tum Generalitas, quæ in iis non ſita eſt qui adſunt, ſed ab abſentium pendet arbitrio? Ergo *Nicena altera*, quæ tamdiu reprobata eſt, in Gallia præſertim, tum demùm & Oecumenica & Infallibilis evaſit, cùm paſſim eſt recepta? Ergo Synodus, quæ adprobata Oecumenica eſt ac Infallibilis, deſinente adprobatione, talis eſſe deſinet? Præterea, illud ſemper quærendum ſupereſt, an omnium, nullâ exceptâ, Eccleſiarum approbatio neceſſaria ſit, vel an ſufficiat ſi major pars approbet? Quæ omnia ſatis oſtendunt, quàm perplexa ſit, parúmque ſibi conſtans Gallicana Theologia. Sed nondum hic eſt difficultatum finis.

XXXI. Quæritur ulteriùs, An ad recipienda Conciliorum Decreta, de adhibita neceſſaria in decernendo diligentia, conſtare debeat? Affirmat *Richerius*, dum aſſerit * *Eccleſiam*, i. e. Concilium, *errare non poſſe in quæſtionibus Juris decidendis*, SI MODO *diligentiam neceſſariam adhibeat, & prudenter agat.* Affirmare etiam videntur *Bellarminus* & *Schelſtratius*, qui inter argumen-

* *Apolog. Axiom.* XXIII.

ta

ta quibus utuntur, ut Basileensia de autoritate Papæ decreta vexent, dicunt ea fuisse *absque sufficienti examine* facta. Negat *Canus* id licere expendere. *Si semel*, inquit †, *hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent requisitam Judicum Ecclesiasticorum diligentiam, quis adeò cæcus est ut non videat omnia mox Pontificum Conciliorumque Decreta labefactari?* Verissimè. Quæritur adhuc, An ad recipienda Conciliorum Decreta, de illorum, & cum Scripturâ, & cum Ecclesiasticis Canonibus consensione, constare debeat? Affirmat *Launoïus*, qui ‡ autoritatem Conciliorum, nonnisi *à* RECTA FIDE *quæ in Synodis sancitur*, depromendam statuit; quique hoc *Gelasii* ** plus quàm centies & refert & adprobat: *Malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra regulas Ecclesiasticas, quam meritò Ecclesia non recepit; Benè gesta Synodus, id est, secundùm Scripturas, secundùm Ecclesiasticas regulas, pro fide Catholica & communione prolata.* Verùm an hæc clausula à Theologis Pontificiis possit admitti, ipsi viderint: non admitti, constat. Quæritur etiam, An ad recipienda alicujus Concilii decreta, constare debeat, liberum illud fuisse, sic ut in eo nihil potuerint

spes, ira, cupido,
Turba, metus.

Affirmat *Richerius* expressissimè, tum in *Apolog.* Axiom. XXII. tum in *Histor. Concil.* passim. Hinc in plura Concilia, Pontificibus serva, potissimùm verò in *Tridentinum*, adeò debacchatur. Ipse *Du Vallius* ††, Richerii adversarius, in hoc ab eo non dissentit, utpote qui & *Ariminense* Concilium, & *Ephesinum* II. & ipsum *Basileense*, *libertate Conciliis necessariâ caruisse* pertendit. E contrario *Canus* ‡‡, si expendere illud liceat, fore asserit, *ut nullius Synodi explorata autoritas habeatur.* Quod verissimum.

XXXII. Quid multis? Ipsa hîc sufficit experientia. Quanta enim est, cùm inter omnes Pontificios, tum inter ipsos Gallos,

† *Loc. Theolog. Lib. 5. cap. 5.* ‡ *Part. 6. Epist.* XI. *ad Cusin.* ** *Epist.* XIII. *ad Episcop. Dardan.* †† *De Potest. Pont.* ‡‡ *Loc. Theol. lib. 5. cap. 5.*

los, in numerandis Conciliis pugnat? Quædam Concilia, his Oecumenica, illis non Oecumenica; his legitima, illis illegitima: Eadem ab iisdem mox rejecta & mox admissa; Adeò nihil est certi firmive in ipsorum de Conciliis fide. Exempla innumera. De multis pauca. *Ariminensem* Synodum, *Ephesinam* II. &c. inter Oecumenicas, sed non legitimas refert Bellarminus. Galli, nec inter legitimas, nec inter Oecumenicas. Itali *Florentinam* & *Lateranensem V.* Oecumenicas habent & legitimas. Galli, nec Oecumenicas, nec legitimas. Ipsi Galli, quàm diu *Nicænam alteram* repudiârunt; ut Oecumenicam atque legitimam, progressu temporis recipiendam? Imò *Lateranensi*, quam hodie repudiant, adhæserant pridem, ut jam vidimus. Atque hic habemus reum confitentem, ingenuum *Launoïum* *, qui relatis variorum, de numero Oecumenicorum Conciliorum, & de conditionibus ad illa requisitis, discrepantibus placitis, concludit, illud determinare arduum, imò ἀδύνατον esse. Unde colligo, Theologiam Gallicanam Italâ, si non absurdiorem, at certè multò magis & fluctuantem & incertam esse: Itali enim nôrunt saltem cui credant; Galli, non item.

XXXIII. Et Hæc quidem Historicè dicta sunto. Subjungendæ jam, ut polliciti sumus, quædam Observationes, quibus Pyrrhonismus Pontificius ad oculum demonstretur. Igitur, ex dictis colligere licet, quàm temerè, quámque nullo fundamento, suam in Fide constantiam jactent Romanenses. Continuò illam prædicant, & mirâ quidem prædicant confidentiâ. Sic *Meldensis* Episcopus, in novissimo opere, quod † *Statum præsentem Controversiarum atque Fidei Protestantium* inscripsit: *Quemadmodum*, inquit, *audacter ac confidenter dicebat Christus, Quis vestrûm me peccati convincet? Sic Ecclesia Catholica* (Romana scilicet) *vera ejus atque unica sponsa, omnibus quæ ab ipsâ secesserunt Sectis, Quæ vestrûm, ait, innovationis & variationis me arguet? In genere quidem de Servatore dici potuit, Hic seductor est &c. At in particulari, nec ullius in Doctrina Erroris, nec*

* *Part. 8. Epist. x 1. ad Amelin.* † *Etat présent des Controv. & de la Relig. Protest. pag. 813. & 814.*

ullius in tota vita παραπαίειν, potuit convinci. Pariter, si Ecclesiam ipsius (Romanam putà) *comparare ipsi liceat, in communi quidem innovationes ac Variationes ipsi possunt exprobrari; Nullæ in particulari vel probari potuerunt, vel poterunt unquam.* Bone Deus, quam confidentiam! Ergo, æquè certa est Fidei Romanæ immutabilitas, atque Christi innocentia! At nolite credere. His utuntur artibus, qui desperatas causas defendunt.

Pergula pictorum, veri nil, omnia ficta.

Quod ut à Nostris centies probatum, vel ex hoc ipso, quod exhibuimus, specimine, potest colligi.

XXXIV. Nec dicendum, quas retulimus Variationes, momentosas non esse. Momentosiores enim dari non possunt. Agitur de ipsissimo totius Romanæ Fidei fulcro. Agitur de eo dogmate, quô verô vera omnia, sed quô dubiô dubia omnia atque incerta. Agitur de eo dogmate, sine quo, juxta Pontificios, ad veritatis cognitionem perveniri nequit, & in castra Pyrrhoniorum necessariò transeundum est. Quum enim duæ tantùm ad veritatem nos ducant Viæ, *Examinis* una, altera *Autoritatis*; prior verò sit, secundùm eos, longa, intricata, difficilis, maximæ hominum partis longè superans captum, denique summè periculosa, utpote privato cujusque judicio ad errorem valdè prono innixa; restat posterior, *Autoritas* putà *Infallibilis*, * quæ nisi detur, & certò quidem detur, nulla, juxta ipsos, fides, nulla veritas, nulla Religio. Sed, pressius agendum, & necessarius Pontificiorum Pyrrhonismus, ex antè dictis apodicticè est demonstrandus. Sic argumentor,

Si Autoritati in terris Infallibili fides non innitatur, nulla fides, nulla Veritas, Pyrrhonismus necessarius. Atqui Autoritati in terris Infallibili fides inniti nequit. Ergo &c.

Major propositio ipsorum est Pontificiorum, Lib. *de Præjuditiis*, & à nuperis Controversistis repetita plus quàm sexcenties. Minor sic probatur.

Ut Autoritati in terris Infallibili Fides innitatur, tria in antecessum & certò & facilè constare debent; Primum, An verè detur talis

* *Préjug. legit. contre les Calvinistes.*

talis Autoritas; Alterum, quæ ſit illius Sedes; Tertium, quas ad res ſe extendat, & quibus terminis circumſcribatur.

Atqui tria hæc Pontificiis, nec certò, nec facilè, conſtare poſſunt.

E. Autoritati in terris Infallibili fides ipſorum inniti nequit; & proinde,

Si ἀναμαρτήτως ratiocinentur, Pyrrhoneos eos neceſſe eſt eſſe.

Major evidentiſſimæ eſt veritatis. Quis enim, niſi ſtultus, ei Autoritati ſuam fidem mancipet, de quâ *certò* non noverit, & an re verâ ſit Infallibilis, & quæ ſit ejus ſedes, & quibus in caſibus, quibus de rebus pronuntiet *ἀναμαρτήτως*? Addo, debere tria hæc, non tantùm *certò*, ſed & *facilè* conſtare: Niſi enim illud ſit, Via *Autoritatis* ad ſingulorum captum non erit accommodata, eademque incommoda in ipſam refundentur, quæ viæ *Examinis* ineſſe dicunt Pontificii. Minor probanda eſt per partes.

XXXV. Et I. quidem, An Eccleſia (*Repræſentativam* intelligo) ſit re verâ Infallibilis, Pontificiis certò conſtare nequit. Quid enim? An eſt veritas per ſe nota? Nequaquam: Nec id contendunt Adverſarii. An eſt Veritas *Fidei*? Dicunt id quidem; ſed quô fundamentô? An quia Eccleſia illud ſancivit? ſed quô jure Eccleſiæ in propria cauſa fides habebitur? An quia Scriptura illud docet? Sed ſic Sacrorum Codicum & autoritas & ſenſus, privatô judiciô, citra Eccleſiæ teſtimonium, poterunt noſci; Quod juxta ipſos ſummè abſurdum eſt. Rursùs, quomodo Eccleſiæ Infallibilitas, quæ ipſis XI v. & XV. Sæculis, ad Fidem non pertinuit, ad eam nunc pertinet? Vel ſi jam tum pertinuit, cur pro hæreticis habiti non ſunt tot Viri Magni, quos eam negâſſe demonſtravimus, & quorum ſumma fuit olim, éſtque etiamnum, in Eccleſia Romana exiſtimatio? Adhæc, cùm Infallibilem dicunt Eccleſiam, vel Papam, vel Concilium intelligunt. Atqui nec Infallibilitas Papæ, nec Infallibilitas Concilii, juxta ipſos, ad fidem pertinet. Ergo, nec Eccleſiæ. Nec dicendum, Eccleſiæ *ἀναμαρτησίαν*, licèt Fide, id eſt *Fide Divinâ* non teneatur, certis tamen conſtare argumentis. Primò enim, id non ſufficeret. Quæritur Autoritas, quæ Divinis myſteriis fidem, & fidem quidem Divinam conciliet. Ergo, cùm ipſe aſſenſus

ejuſdem generis eſſe debeat, cum fundamentis aſſensûs, ſequitur, vel nullius eſſe usûs Eccleſiam Infallibilem, vel *Fide Divinâ* debere credi. Sed præterea, falſiſſimum eſt Pontificios, ullam, vel minimam certitudinem Infallibilitatis Eccleſiæ poſſe obtinere, quam nec à Scripturæ, nec à Rationis, nec ab Eccleſiæ ipſius teſtimonio poſſunt colligere, niſi infinitis ſeſe involvant, &abſurditatibus, & contradictionibus; prout à nobis demonſtratum eſt.

XXXVI. II. Sed hunc demus ſcrupulum tolli. Nihil promoveris, niſi alterum pariter tollas. Quid enim juvat, dari Autoritatem Infallibilem nôſſe, niſi ſcias, & certò quidem ſcias, quid præcisè illa ſit, ubi reſideat, ubi quærenda? Hic verò nihil certi, tanquam *de Fide*, ſtatui poſſe, ipſi fatentur Adverſarii: *Italis* Papæ, *Gallis* Concilio ἀναμαρτησίαν tribuentibus, ſed nec Gallis apud Italos, nec Italis apud Gallos, hæreticorum loco habitis. Quid ad hæc *Meldenſis?* * Controverſiam illam inter Gallos & Italos flocci facit; Laudat ſapientem Tridentinorum Patrum moderationem, qui de ea nihil determinârunt; Refert *Petronii* & *Du Vallii* teſtimonia, qui Controverſiam illam *de Fide* eſſe pernegaverunt. Pariter *Launoïus* †, Theologorum Gallorum mentem explicans, *Quamvis*, inquit, *certum ſit non errandi privilegium ineſſe Concilio, longè tamen certius eſt apud Theologos Eccleſiæ ineſſe.* Quàm abſurda hic ſit, ſibique adverſa, Pontificiorum Theologia, dici ſatis non poteſt. Hoc enim eos rogatos velim, Quô teſtimoniô fides ipſorum nititur? Eccleſiæ, dicunt: Sed quid hoc eſt, *Eccleſiæ?* An *Eccleſiæ*, id eſt, vocis ſenſu vacuæ? Non id, opinor, dicent. An *Eccleſiæ*, id eſt, Eccleſiæ Univerſalis? Nec id dici poteſt; Nihil enim pronuntiavit Eccleſia Univerſalis. Ergo neceſſe eſt, per *Eccleſiam*, vel Papam, vel Concilium, ipſos intelligere; quorum alterum Infallibile eſſe, niſi certiſſimè, & fide quidem Divinâ conſtet, tota ipſorum fides corruit.

XXXVII. Eximiè *Du Pin*, in eâ Diſſertatione ‡, quam *de fictitia Romani Pontificis Infallibilitate* primò inſcripſerat, mitiorem

* *Hiſt. des Variat. liv. XV. §. 165.* † *Part. II. Epiſt. V. ad Vallant.*
‡ *De Antiq. Eccl. Diſcip. Diſſert. V. Præloq.*

rem titulum poſtmodùm ſuffecturus; Eximiè, inquam, ita loquitur: *Quò majus & excellentius eſt iſtud (Infallibilitatis) donum, eò diligentiùs cavendum eſt, ne illud temerè ac ſine fundamento ipſis (Pontificibus) adſcribamus: Nam, præterquam quòd indignum eſt alicui autoritatem eam quæ ipſi non competit tribuere, nihil magis periculoſum quàm eum, qui poſſit errare, infallibilem credere; Si enim contingat eum de facto errare, neceſſariò in errorem ducuntur qui eum deficere minimè poſſe arbitrantur, cùm ei autoritati, quæ putatur Infallibilis, adhærendum omninò. ſit igitur Romani Pontificis Infallibilitatem credere nemo debet, niſi tam perſpicuè demonſtretur, ut nullus dubitationi ſupereſit locus. Nam niſi* OMNINO CERTUM *ſit eum eſſe infallibilem, quî poteſt ejus judicium pro certo & infallibili haberi? Quippe ſi probabile tantùm eſt Pontificem eſſe infallibilem, poteſt id etiam eſſe falſum; Quod ſi falſum id eſſe poteſt, poteſt in particulari judicium quodlibet Papæ eſſe falſum: Quomodo ergo dicetur infallibile judicium quod poteſt eſſe falſum? Itaque, qui Pontificis defendunt Infallibilitatem, tenentur apertiſſimè demonſtrare iſtud privilegium ei à Deo conceſſum eſſe &c.* Benè omnia, imò optimè. Verùm

† *Mutemus clypeos, Danaûmque inſignia Teucris*
Aptemus;

Hoc eſt, in Pontificis locum *Concilium* ponamus, & Gallicana Theologia eodem quô Itala confodietur telo.

XXXVIII. At certum eſt, inquit *Launoïus*, non errandi privilegium ineſſe Concilio, quamvis certius ſit Eccleſiæ ineſſe. Primò id non ſufficit, juxta *Du Pinum*; Omnimodam requirit ille, & quâ major dari non poſſit, certitudinem; Quia, inquit, *nihil eſt magis periculoſum, quàm eum, qui poſſit errare, Infallibilem credere.* Sed rursùs, tantùm abeſt, ut vel Gallicana Theologia, vel Italica, ullô modô certa ſit, ut inextricabiles utramque premant difficultates; Quemadmodum, nobis tacentibus, Itali contra Gallos, Galli contra Italos, ſolidè demonſtrârunt. Hinc certè Galli, 1. ex Scripturâ, 2. ex Veteris Eccleſiæ diſciplina, 3. ex innumeris Romanorum Pontificum, qui re ipſâ errarunt, exemplis, 4. ex pugnantibus Pontificum decretis,

† *Virgil. Æneid. Lib. II.*

Papæ ἀναμαρτησίαν validè exagitârunt: Quibus argumentis omni exceptione majoribus addiderunt, & Pontificum plurium confessionem, & Conciliorum non paucorum Decreta, & Illustrium Academiarum ac Theologorum testimonia. Illinc Itali Conciliorum Universalium, tum ex Scripturæ de illis silentio, tum ex ipsorum ad Nicenum usque defectu, tum ex Conciliis Universalibus qui reapse errârunt, tum ex pugnantibus inter se Conciliis, Infallibilitatem fortiter impugnârunt; Neque ipsis defuerunt, tum Concilia, tum Scholæ, tum Theologi, quos opponerent Scholis, Conciliis, Theologis Gallorum. Quid ad hæc Pontificius, qui de re omnium momentosissima temerarium nolet judicium ferre? Tot inter difficultates, utrinque occurrentes, quid consilii tandem capiet? Scilicèt, judicium hic suum cohibebit. Nec Concilio, Nec Pontifici, non errandi privilegium adscribet. Cúmque omnis alia ipsi præcluſa sit veritatis noscendæ via, in Scepticorum castra transibit.

XXXIX. Dicent, si de Pontificis vel Concilii Infallibilitate constare nequeat, constare saltem posse de utriusque simul sumpti Infallibilitate. Sed nec id dici potest. Primò enim, quomodo ex duobus fallibilibus unum Infallibile poterit conflari? An Papa Concilio, An Concilium Papæ Infallibilitatem communicabit, cùm neutrum eâ præditum constet? Sed hoc volo esse posse; Unde constabit ita esse re verâ? Ubi argumenta? Ubi promissio? Certè omnia Scripturæ loca, quibus Ecclesiæ ἀναμαρτησίαν adstruunt Pontificii, vel ad Papam ipsum spectant, ut *Tu es Petrus, Dabo tibi claves, Pasce oves meas*, &c. vel ad Concilium, ut *Ubi duo aut tres erunt congregati* &c. Nullus locus, quô Papæ cum Concilio juncti Infallibilitas adstruatur, potest adduci. Denique non pauciores sese hic offerunt difficultates, non pauciora dubitandi argumenta. Conciliorum enim, à Pontificibus adprobatorum, innumera Decreta, sibi invicem repugnantia citari possunt; Ut vel ex *Constantiensis*, *Basileënsis*, *Florentini*, *Lateranensis*, historiâ, suprà à nobis indicatâ, potest colligi. Ergo, semper stat dubium, & Pontificius ratione sua tantisper utens, ad Pyrrhonismum semper adigitur.

XL.

XL. III. Sed & hunc demus eximi ſcrupulum. Quî eximetur tertius? Unde conſtabunt Infallibilitatis Eccleſiæ genuini ac præciſi limites? Unde conſtabunt, Philoſophiæ & Fidei, Facti & Juris, Diſciplinæ & Doctrinæ, vera diſcrimina? Unde conſtabit, apud Italos, quandonam Papa ex Cathedrâ loquatur? Unde conſtabit apud Gallos quando Concilium, & legitimè congregatum, & Canonicè habitum fuerit? Rursùs, unde conſtabit, præter exceptiones jam adhibitas, alias non debere, vel non poſſe conſtitui? Sanè de his omnibus, neque conſtat hactenus inter Pontificios, neque poteſt conſtare. Attamen (verba ſunt *Du Pini* * jam laudata) *ut certi eſſe poſſimus de Infallibilitate judicii alicujus à Romano Pontifice* (vel à Concilio) *lati, debemus habere* CERTAM REGULAM, *per quam manifeſtè cognoſcamus hoc illorum de numero eſſe quæ neceſſariò infallibilia ſunt; At nondum de ejuſmodi regulâ convenit inter eos ipſos qui Pontificem infallibilem* (nec inter eos qui Concilium infallibile), *eſſe prædicant, ſed hic quidem unam, alii verò aliam conditionem ad certitudinem alicujus judicii requiſitam eſſe contendunt, ac proinde neceſſe eſt judicium illud in dubium ab aliquibus revocari, quod ab aliis pro certo & infallibili habebitur. Quomodo ergo*, addit, *quiſquam poteſt eſſe certus hoc vel illud judicium de numero infallibilium eſſe, cùm ſecundùm aliquos in dubium revocari poſſit, ſecundùm alios de eo dubitare ſit nefas: Ergo hic* ΕΠΕΧΕΙΝ OPORTET, *& neutrum judicium pro Infallibili habere.* Benè habet, quòd Doctor Sorbonicus neceſſarium in Eccleſiâ ſuâ Pyrrhoniſmum expreſſis verbis ſtatuat. Non aliter meliùs fortiúſve cauſa noſtra poterat agi. *Hæc eſt magna vis veritatis, quæ*, ut ait Tullius, *contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſa defendit.*

XLI. Atque ſic neceſſarius Pontificiorum Pyrrhoniſmus, ex variis ipſorum de Infallibilitate Eccleſiæ ſententiis, apodictìcè, ut puto, demonſtratur. Plura addere mens errat, de utriuſque Theologiæ, tum Italorum, tum Gallorum, abſurdis, de maxima imprimis Principiorum Gallicorum ἀναισθησίᾳ, de expreſſis, quæ Adverſariis ſæpenumerò exciderunt, confeſſionibus &c. Sed

* *Diſſert. in. Prolog.* hæc

hæc ſpecimina abundè ſufficiunt. Hoc unum addimus, non ſine Deo, nec ſine omine, tantam in Romana Theologia occurrere perplexitatem, & quidem in ipſiſſimo Fidei fundamento. † *Propterea vocabitur nomen ejus* BABEL, *quia Jehova confudit labia eorum.* Immane illud Ædificium, malè compactum licèt, Politicis artibus hactenùs ſtetit. Gallia Romani Pontificis non agnovit ſolùm, ſed ſæpe carpſit ſacrilegas uſurpationes. Se *Babylonis nomen perditurum* LUDOVICUS XII. in Nummo minabatur. Verumtamen, Meretricis illius dolis, in ipſius gremio etiamnum retinetur. Sic pacata vidimus noviſſima diſſidia, & ita quidem pacata, ut hodiernus Pontifex (is erat *Innocentius XII.*) *de eximia Chriſtianiſſimi Regis pietate, filialique in ſanctam Sedem obſervantia planè confidat, ipſum omninò facturum, ut quemadmodum pluries promiſit, Regium Edictum, quò in Comitiis Ann.* 1682. *edita de poteſtate Eccleſiaſtica declaratio firmabatur, viribus & effectu vacuum declaretur*; Sic enim ille, Oratione habitâ 9. Januar. 1692. cùm promulgarentur Epiſcoporum Gallorum Bullæ. Sperandum tamen, adeò malè conſutorum dogmatum, & Gallos, & Italos, tandem pertæſum iri. Sic eſt: *acerba fata Romanos agunt, & ſecundùm vota* fidelium,

Suâ
Urbs hæc peribit dexterâ. ‡

Ita fiet, quod factum iri *Fridericus II.* Imperator prædixerat, verſibus hiſce Romam miſſis, cùm *Gregorius IX.* in ipſum deſæviret:

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Acceleret ea tempora benigniſſimus Deus, cui, ſoli Sapienti, Immortali, Inviſibili, ſit Laus, Honos, & Gloria, in *Sæcula* Sæculorum. AMEN.

† *Gen. XI. 9.* ‡ HORAT. *Epod. Od. VII.*

FINIS.

EXAMEN

EXAMEN QUÆSTIONIS

ad

THEOLOGIAM MORALEM ET ARTEM CONCIONATORIAM pertinentis,

Quomodo Incitamenta é Commodis Temporalibus ducta Populis Chriſtianis proponenda ſint?

Habita eſt diſputatio, reſpondente LUDOVICO ANTONIO CURCHOD *Lauſannenſi.*

CAPUT PRIMUM.

Quæſtio proponitur. Variè hìc peccari oſtenditur.

EXponebamus non ita pridem, in Prælectionibus noſtris, præclarum illud Chriſti præceptum, Matt. VI. 33. *Quærite primùm Regnum Dei, ejuſque juſtitiam, & hæc omnia adjicientur vobis.* Occaſione autem poſteriorum verborum, quibus Chriſtus temporalia quædam, additamenti loco, Diſcipulis

ſuis promittit, placet Quæſtionem expendere, hactenus fortè non ſatis tritam, ſed magni tamen momenti, & futuris Concionatoribus apprimè convenientem, *Quomodo ſcilicèt Commoda Temporalia, quæ ex Pietate & Virtute fluunt, Populis Chriſtianis ſint proponenda?* Non ita expedita eſt Quæſtionis hujus ſolutio, ut prima fronte videtur. Multæ hîc difficultates, multæ diſtinctiones occurrunt, ad quas Concionatores & Theologi benè multi non ſatis adtendunt. Ut quod res eſt dicamus, duplici modo hîc peccatur; in duo itur extrema. Quidam in *defectu* peccant, quidam in *exceſſu*. Sunt, qui Commoda Temporalia vel prorsùs negant, vel nimiùm ſaltem deprimunt. Sunt viciſſim, qui ea nimis urgent, nimiſque generaliter proponunt. Nos utriuſque illius Extremi incommoda oſtendemus: Deinde, quænam ſit vera ratio hujus tractandæ materiæ, ſeu quænam cautiones ac limitationes hîc adhibendæ ſint, palàm faciemus.

CAPUT SECUNDUM.

Adversùs eos qui Commoda Temporalia, *vel prorsùs negare, vel deprimere nimis videntur.*

PRIMÒ igitur dantur Theologi & Concionatores non pauci, qui de ſtatu Fidelium in hac vita verba facientes, docent, nil niſi cruces atque ærumnas iis expectandas eſſe. Atque id confirmant variis Scripturæ locis; qualia hæc ſunt, inter alia multa. Matt. V. 10. 11. 12. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam eorum eſt Regnum Cœlorum*; &c. Matt. X. 16. 17. *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum*; &c. *Tradent vos Synedriis, & in Synagogis flagellabunt vos* &c. ℣. 22. *Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum.* Joh. XV. 19. 20. 21. *Si è Mundo eſſetis, Mundus quod ſuum eſſet amaret: Quia verò è Mundo non eſtis, ſed ego vos è Mundo elegi, ideò vos odit Mundus.* — *Non eſt*

eſt ſervus major domino ſuo: Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Joh. XVI. 20. *Flebitis & lugebitis; at Mundus gaudebit.* ℣. 33. *In mundo tribulationem habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.* Act. XIV. 22. *Per multas tribulationes oportet nos ingredi in Regnum Cœlorum.* 1. Cor. XV. 19. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperaremus, miſerrimi omnium hominum eſſemus.* 2. Tim. III. 12. *Quicunque volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.*

Et hæc quidem loca, aliáque idgenus, à Theologis & Concionatoribus adducuntur, tum ut ſolentur Fideles adflictos, in primis tempore Perſecutionum, tum ut refellant unam ex Notis Eccleſiæ, juxta Bellarminum, ductam nempe ex *Felicitate temporali eorum qui defendunt Eccleſiam*: Quæ Nota re verâ falſa eſt atque abſurda, & ab his Scripturæ locis evidenter refellitur. Verùm, in ea refellenda, ulteriùs quàm par eſt procedunt; & nimis generaliter docent, teſſeram Eccleſiæ, ejus caracterem atque vexillum, eſſe crucem, ærumnas, perſecutiones; Quæ profectò nimia ſunt, & à veritate non parùm abludentia. Etenim 1. id adverſatur experientiæ, quæ oſtendit, ſæpe quidem vexari Fideles, ſed non ſemper; dari quidem tempora nubila, procellas quæ jactent Eccleſiam, ſed & ſuccedere alcyonia, quibus refocilletur. 2. Loca ſuperiùs adducta, agunt tantùm de certis temporibus, v. g. de tempore Chriſti & Apoſtolorum, quò Evangelium inter cruces & ærumnas ſtabilitum eſt. Sed hæc non ſunt generalia, neque omnibus Eccleſiæ temporibus ac ſtatibus aptari poſſunt. 3. Ea ſententia quam refellimus, Dei bonitati & ſapientiæ injuria eſt; quaſi ſcilicèt Deus velit Fideles ſuos perpetuò in terris miſeros eſſe. 4. Eò ipſò ſententia illa pietati non parùm nocet, infirmóſque ab ea abducit. Fateor equidem, Bona æterna tanta eſſe, ut debeant malis omnibus temporalibus præponderare. Sed tamen ea eſt hominum plerorumque infirmitas, ut præſentibus nimiùm quantùm afficiantur. Quamobrem, ſi iis dicatur, Pios in hac vita ſemper infelices eſſe, fieri

non poterit quin animum deſpondeant. Itaque ab his exaggerationibus ſummo ſtudio cavendum eſt: Cùm præſertim, ut jam diximus, hæc non ſit Scripturæ doctrina, neque ulla ſit ratio idonea quæ id ſuadeat.

CAPUT TERTIUM.

Adversùs eos qui Commoda Temporalia *nimis urgent, & nimis generaliter proponunt.*

DIximus de primo Extremo hac in materia vitando. Sed & alterum Extremum occurrit, eorum nempe qui Commoda Temporalia Pietatis nimis extollunt, & nimis generaliter proponunt; quaſi ſcilicet via certiſſima ad felicitatem hujus vitæ obtinendam, ad opes congerendas, ad honores adſequendos, ad famam & auctoritatem inter Homines comparandam, ſit, Pietati & Virtuti operam dare. Mittimus jam Pontificios; v. g. BELLARMINUM, cum ſua illa Eccleſiæ nota, ex *Felicitate temporali* ducta, de qua modò diximus; nec non & alterum Purpuratum, Cardinalem PALLAVICINUM, qui Chriſtum, novô commentô, in Politicum conſummatiſſimum convertit, qui, in Eccleſia conſtituenda, omnia ad externam pompam & felicitatem mundanam direxerit; quâ de cauſſâ, cùm ab aliis; tum in primis ab auctore *Novi Evangelii à Card. Pallavicino retecti*, meritò exſibilatur. Iſti ſunt exceſſus, qui ingenio quidem & moribus Romanæ Eccleſiæ non malè conveniunt, ſed quos Viri omnes ſapientes, etiam illarum partium, non poſſunt non admodum culpare. Sed, ut de noſtris tantùm dicamus, ſunt & quidam inter nos Theologi, imò quidam planè eximii, & in Arte concionandi Principes (v. g. inter *Britannos*) qui hîc ulteriùs quàm par eſt procedere videantur, & Commoda Temporalia, quæ ex Pietate fluunt, nimiùm exaggerare. Et hanc quidem in rem varia adducuntur Scripturæ loca, tum Veteris, tum Novi Teſtamenti, quibus Promiſſiones temporales pro-

proponuntur. Nam, ut mittamus Legem Mosaïcam, in qua ejusmodi Promissiones atque Minæ ubique occurrunt, sunt & multa loca Psalmorum & Prophetarum, ubi docetur, *magnam fore pacem*, magnam felicitatem, eorum qui Dei mandatis obsequuntur. Ps. XIX. 12. Ps. CXIX. 165. &c. Item loca Proverbiorum, ubi dicitur, Sapientiam bona omnia in manu habere, quæ cultoribus suis distribuat; *longævitatem*, *divitias*, *gloriam*. Proverb. III. 13—18. Quibus adduntur loca quædam ex Novo Fœdere, & hæc quidem præ cæteris. Matt. V. 5. *Beati mites*, *quoniam hæreditate possidebunt terram*. Matt. VI. 33. *Et hæc omnia* (putà res temporales, de quibus sermo fuerat) *adjicientur vobis*. 1. Tim. VI. 8. *Pietas ad omnia utilis est*, *promissiones habens vitæ præsentis & futuræ*. 1. Petr. III. 10. 11. coll. cum Ps. XXXIV. 13—15. *Qui vult vitam diligere*, *& videre dies bonos*, *coërceat linguam suam à malo*, &c. *declinet à malo*, *& faciat bonum*, &c.

Verùm, pace Virorum Magnorum, qui Commoda Temporalia tantoperè urgent, eáque modô adeò generali proponunt, ea Methodus, & veritati, & prudentiæ Christianæ, non satis consentanea videtur. Primo enim, nemo non videt, aliam longè esse methodum Christi & Apostolorum. Etenim legantur Sermones Christi; Legatur in primis eximia illa Concio, Matt. V. VI. VII. Quis non videt, Christum Pietatem & Virtutem alio longè modo, & ob alia longè incentiva, quàm ob Commoda Temporalia, commendare? Nam statim *Beatos* prædicat, non eos qui secundùm carnem, non eos qui per Commoda Temporalia beati sunt, sed egenos, sed afflictos, sed mansuetos, sed pacificos, &c.; Et qua de caussa Beatos illos prædicat? Quòd sint *Filii Dei*, quòd *solatium accepturi sint*, quòd *hæreditate possessuri sint Regnum Cœlorum*.

Una est, fateor, ex his Beatitudinibus, quæ videtur aliquid temporale promittere, putà *Mansuetorum*, quibus promittitur, quòd *terram possessuri sint*, Matt. V. 5. Sed observandum, locum illum ex Ps. XXXVII. desumptum esse. Jam autem fatemur, illo tempore fuisse promissiones temporales. Hic verò

promiſſio illa juxta ſpiritum Evangelicum intelligenda eſt, tum de effectu naturali Manſuetudinis, quæ aliorum animos & favorem nobis conciliare apta nata eſt, tum de animo contento ac placido, in quo vera rerum poſſeſſio ſita eſt, tum denique de Bonis cœleſtibus, quæ, ſub Evangelio, Canaanis terreſtris, & bonorum terrenorum locum occupant.

Verba Chriſti Matt. VI. 33. *Et hæc omnia adjicientur vobis*, tantùm abeſt ut faveant ei Methodo quam refellimus, ut eam contrà potentiſſimè evertant. Etenim 1. jubet Chriſtus *quærere primùm Regnum Dei* &c. 2. Si quid temporale hîc promittat, promittit tantùm vitæ neceſſaria, *Victum* & *Veſtitum*, de quibus ſolis ſermo fuerat. 3. Ea promittit tantùm tanquam *appendicem*, tanquam *acceſſionem* quandam, planè diſtinctam à veris Bonis Evangelicis, quæ primum ac præcipuum votorum noſtrorum objectum eſſe debent.

Dictum Pauli 1. Timot. IV. 8. *Pietas habet promiſſa vitæ præſentis*, nihil probat. Nam non negamus, multa in hac vita Piis promitti, ſed ſpiritualia potiſſimùm, putà veniam peccatorum, Spiritûs Dei auxilia, ejus amorem atque adoptionem, &c. Itaque de his agit Paulus: Vel ſi agat de temporalibus, notat tantùm neceſſaria vitæ, & defenſionem à periculis, quæ graviſſima tum temporis imminebant, prout notatur in verſibus ſequentibus.

Locus 1. Petr. III. 10. 11. deſumitur ex Pſ. XXXIV. quo tempore Promiſſa temporalia locum habebant, ſed hîc eſt modô Evangelicô intelligendus. Nam hi ipſi Fideles, ad quos ſcribit Petrus, afflictiſſimo in ſtatu erant, ut ex hac Epiſtola liquet. Itaque ſibi ipſi contradiceret, & Piorum fidem convelleret Petrus, ſi hoc Promiſſum modo generali & Judaïco intelligendum eſſet. Notatur ergo duntaxat, 1. naturalis habilitas Animi probi, pacifici, à convitiis & injuriis alieni, ad varia præcavenda pericula, & vitæ tranquillitatem procreandam; Unde ſubjungit Apoſtolus, *Quis vobis nocebit, ſi boni æmulatores ſitis?* 2. Interna felicitas, gaudium ex bona conſcientia & probitate fluens. 3. Vita immortalis, quæ ſola Vitæ nomine verè digna eſt, & præ qua Vita hæc omnis merum eſt ſomnium. Et

Et hæc quidem ſunt ſola fermè loca, quibus Chriſtus & Apoſtoli Bona temporalia polliceri videantur. Jam verò, præ paucis illis locis, quàm multa ſunt, imò innumera, quibus Evangelii Promiſſiones ad Bona ſpiritualia & æterna reſtringantur? Certè Chriſtus perpetuò promittit *Regnum Cœlorum*; perpetuò promittit, in ſe credentes *non perituros, ſed habituros vitam æternam.* Pariter Apoſtoli de *Hæreditate cœleſti*, de *Corona gloriæ*, nunquam non verba faciunt; Volunt Fideles gaudere, ſed quomodo? *In ſpe* nimirùm, ob ſibi repoſitam Vitæ futuræ felicitatem. Nuſpiam dicunt, Si ſitis pii, Commercium veſtrum florebit, firma erit veſtra Valetudo, longævam vitam adtingetis, Terræ veſtræ feraces erunt. Nihil ſimile: Ubique *Vita æterna*, *Regnum Cœlorum.* Itaque hoc primum habet incommodi ea Methodus quam refellimus, quòd à Chriſti & Apoſtolorum Methodo planè abhorreat.

Secundo abhorret etiam ea Methodus à ſcopo atque ingenio Doctrinæ Chriſtianæ, quæ eò tendit, ut à rebus temporalibus animum avocemus, & ad cœleſtia adtollamus. Hinc Chriſtus Matt. VI. multus eſt in animis Diſcipulorum à Divitiarum amore, & cura rerum terrenarum avellendis; quibus opponit *inquiſitionem Regni Cœlorum & Juſtitiæ*, ℣. 33. Pariter Joh. VI. 27. *Operamini, non cibum pereuntem, ſed cibum manentem in vitam æternam* &c. Sic & Coloſſ. III. 1. 2. *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi Chriſtus ſedet ad dexteram Dei; ſuperna curate, non terreſtria.*

Tertio confundit hæc Methodus Diſpenſationem Legalem cum Diſpenſatione Evangelica, ingenium Judaïcum cum ingenio Chriſtiano. Nam ſub Lege quidem, erant Promiſſa temporalia, & Minæ temporales. Sanctio Legis Iſraëlitis datæ talis erat. Sed ſub Evangelio, Promiſſiones illæ temporales locum ampliùs non habent. Non amplius promittitur terreſtris Canaan. Non ampliùs promittitur longævitas, proles numeroſa, agri atque vites fœcundæ, &c. Ad majora adtollitur ſpes Chriſtianorum, nempe ad Canaanem cœleſtem, ad Bona ſpiritualia atque æterna.

Quar-

QUARTO Methodus illa experientiæ manifestò advertatur. Etenim frequentissimè accidit, ut Pii bonis temporalibus, saltem bonorum copia, destituantur; Sæpissimè accidit, ut Probi affligantur, Improbi verò floreant. Itaque, si Promissiones temporales in Evangelio darentur, & iis multùm insisterent Evangelii præcones, certè id cum experientia perpetuò pugnaret, magnúmque hinc scandalum & periculum oriretur.

QUINTO illa Methodus Piis afflictis (qui quidem magno numero sunt, ut modò diximus) admodum damnosa atque injuria esset. Cùm enim commodis illis temporalibus careant, hinc dubia orirentur, cùm in ipsis, tum in aliis, de veritate Pietatis ipsorum, aut etiam de Promissorum divinorum certitudine. Hæc quidem dubia sub Veteri Testamento etiam oriebantur, Piósque non rarò sollicitos admodum habebant, ut videre est Ps. LXXIII. At visibilibus Dei judiciis, illô ævô frequentissimis, facilè coërcebantur. Nunc mutata rerum facies est, neque sunt ejusmodi dubia excitanda & confirmanda, per eam Methodum quam refellimus.

DENIQUE hæc Methodus impiis ac profanis magnam cavillandi ansam præbet. Dicunt, multa nos promittere, quæ effectum non sortiantur, neque Concionibus nostris cum experientia ullatenùs convenire.

CAPUT QUARTUM.

Quæ sit vera ratio hujus tractandæ materiæ, & quænam cautiones, in Commodis Temporalibus *proponendis, adhibendæ sint.*

NUnquámne igitur *Commoda Temporalia* Christianis proponenda sunt? Nunquámne ex illis Commodis incentiva ad Pietatem & Virtutem desumentur? Imò verò, id magno cum fructu fieri potest; nec modò potest, sed etiam debet. Verùm, quomodo id agendum sit, quô adductô fundamentô, &

& quibus cum cautionibus, id verò eſt quod ſedulò obſervari convenit.

Igitur duo ſunt Principia, noſtro judicio certiſſima, & ob oculos ſemper habenda. Primum; *Commoda temporalia, ſi ſtrictè ac propriè loqui velimus, Evangelii Promiſſiones non eſſe.* Erant quidem Promiſſa Legalia, prout ex ſanctione Legis adparet: Sed Evangelium, ut ait Apoſtolus; *in melioribus Promiſſis ſancitum eſt*; Hebr. VIII. 6. Evangelium, ſtrictè loquendo, nihil aliud quàm *Salutem* nobis pollicetur. Salus autem illa, eſt venia peccatorum, Dei gratia atque auxilium, ac denique Vita Æterna. Nihil aliud. Vel, ſi quid promittitur in Evangelio circa res temporales, eſt tantùm paterna Dei cura, in vitæ neceſſariis nobis ſuppeditandis, nobiſque adversùs pericula vitæ defendendis: Neque verò hæc abſolutè; ſed quantùm cum gloria Dei & ſalute noſtra conveniunt. Quò ſpectat argumentum Chriſti, ex *avibus Cæli, & liliis agri* ductum, Matt. VI. 25——32. Et illud Hebr. XIII. 5. *Non te deſeram, non te derelinquam.* Unde jubentur Chriſtiani, *contenti eſſe rebus præſentibus*, Hebr. XIII. ibid. Quam artem ſe in Chriſti ſchola *didiciſſe* teſtatur Apoſtolus, Phil. IV. 11. 12. 13. Imò gaudet & *gloriatur in adverſis*, Rom. V. 3. 2. Cor. XII. 10. gnarus Fidelium *ſpem non confundi*, ibid. Confunderetur autem, ſi in temporalibus, ſæpenumerò deficientibus, hæreret. Itaque ex his omnibus abundè liquet, Commoda Temporalia ad ipſam Evangelii ſanctionem haudquaquam pertinere.

Secundo, certum tamen eſt, *Pietatem & Virtutem, naturâ ſuâ, & ex ſapienti conſtitutione rerum, multos uſus temporales, multa commoda temporalia ſecum trahere; ut ex adverſo Vitia pleraque ſuam ſecum pœnam non rarò trahunt.* Sic v. g. negari nequit, Sobrietatem ac Temperantiam ad valetudinis conſervationem non parùm valere; ut é contrario Gula, Ebrietas, Libido, ad valetudinem adterendam ac vaſtandam plurimùm valent. Pariter, negari nequit, Juſtitiam, Æquitatem, Veracitatem, Candorem, efficere ut alii fiduciam in nobis ponant; hincque multa commoda creari, multa mala propelli,

pelli, quæ ex animo doloso ac iniquo oriri solent. Ad hæc; quis dubitet, Bonitatem, Mansuetudinem, Beneficentiam, Facilitatem morum, ex se ipsis, ad animos colligandos, & mutuam generandam benevolentiam, non parùm conducere? Rursùs, quis nescit, Patientiæ, ad mala lenienda ac toleranda, quammaximam virtutem esse? Atque idem de cæteris Virtutibus, & Vitiis oppositis, juro merito adfirmari potest.

Et in eo quidem se prodit singularis Dei benignitas & sapientia, quòd nempe talem rerum ordinem constituerit, ut Virtutes penè omnes sua secum commoda ferant, Vitia ferè omnia suas secum pœnas habeant conjunctas. Quod profectò non unum ex postremis censendum est, pro Divina Providentia, ejusdémque sapientia & bonitate, argumentis.

Cùm itaque Homines plerique præsentibus quammaximè adficiantur, & Præcones Evangelii nihil debeant prætermittere, quod ad Virtutes commendandas & Vitia exstirpanda facere possit, certè, inter alias rationes, Commoda hæc Temporalia neutiquam omittenda sunt, sed studiosè proponenda atque urgenda. Verùmtamen, dum id agitur, sequentes cautiones ac limitationes sedulò adhibendæ sunt.

PRIMO, non hæc proponenda sunt, quasi sint, propriè loquendo, Promissiones Evangelii; sed tanquam effectus naturales rerum, tanquam series constitutionis naturalis à Deo positæ.

SECUNDO, in his proferendis Commodis, non dissimulandum, plurimas esse exceptiones, plurimos casus, in quibus ista effectum non sortiantur. Hæc quidem sæpe locum habent, imò utplurimùm, sed non semper; ob varias nempe, quæ incidunt, circumstantias; Deóque persæpe volente, ut Virtus exerceatur, & Vitiorum pœnæ suspendantur, prout Dei Verbum & Experientia plus satis docent.

TERTIO, propterea, Christianorum animus Commodis hisce Temporalibus affigendus non est: sed semper docendi sunt, ista non modò absolutò, sed conditionatò, optare, atque à Deo petere; quatenùs nimirùm cum gloria Dei, & salute nostra

tra, conveniunt. Sic fiet, ut, cùm Commoda illa deficient, jacturam illam patienter feramus, neque Promissiones Dei quidquam detrimenti inde accipiant.

Quarto denique, in iis prædicandis Commodis, non ita iis adhærendum est, quasi essent unica, aut præcipua, ad Virtutem incitamenta. Contrà, semper adjungendum est, longè majora esse quæ nos moveant, putà Bona spiritualia atque æterna. Id nunquam omitti par est: Etenim absque hoc foret, modò Ethnicô vel Judaïcô concionaremur. Itaque, his prolatis Commodis, quæ ex rerum natura fluunt, semper animus Auditorum ad majora & solidiora evehendus est.

Si hæ cautiones ac limitationes apponantur, tunc magno cum fructu Commoda Temporalia ad Pietatem & Virtutem commendandam proponi possunt.

Unô verbô, recordandum est modi, quô Christus Dominus noster Vitæ præsentis Commoda memorat, in Textu qui huic Dissertationi locum præbuit: *Primò*, quidem nihil promittit, nisi res ad vitam necessarias; nec enim de aliis hîc agebatur: *Secundò*, non aliter eas promittit, nisi ut minima & adscititia; nonnisi ut levem quandam ad vera ac præcipua Bona accessionem. Itaque ista memorat Christus, potiùs ut imbecillitati nostræ se adcommodet, quàm ut ea tanquam votis nostris digna proponat. Ac re verâ, si Bonis cœlestibus ac spiritualibus, ut par est, tangamur, profectò Commoda omnia & Incommoda Temporalia in oculis nostris vilescent.

FINIS.

Digitized by Google

005657291

Digitized by Google

Digitized by Google